4° Crim. 83.

Ex Libris Casp: Ignatij Cal[illegible]enberg Vlti

COMMENTARIVS RATIONALIS
IN CAROLINAM SANCTIONEM CRIMINALEM, VULGO
Die peinliche Halßgerichts Ordnung
dictam, quatenus

DE PROCESSV CRIMINALI
agitur.

Additis etiam ijs, quæ in iure Bauarico magis declarata, vel addita, vel mutata reperiuntur.

Publicè prælectus

IN CATHOLICA ELECTORALI VNIVERSITATE Ingolstadiana.

A

CASPARO MANZIO
IVRIVM DOCTORE ET PROFESSORE ORDINARIO, SER:mi DVCIS NEOBURGICI CONSILIARIO.

Nunc autem in gratiam eorum, qui in foro versantur, in lucem editus.

2R. P.P. Capucinorum Monachii.

INGOLSTADII
Typis GREGORII HÆNLINI.
ANNO M. DC. L.

BAYERISCHE
STAATS-
BIBLIOTHEK
MUENCHEN

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

BAYERISCHE STAATS-BIBLIOTHEK MUENCHEN

CVm anno 1642. juſſus eſſem à Sereniſſimo Principe ac Domino D. MAXIMILIANO, vtriuſque Bauariæ Duce & Electore, materiam criminalem in manus ſumere, eandemque publicè in ſcholis prælegere, diu mecum deliberaui, quidnam tradere & tractare deberem, eò quod plurimi alij de hac ipſa materia, vel copiosè vel concisè, & quidem tam bene ſcripſerint, vt nihil mihi dici poſſe videretur, quod non prius ab ijs dictum, vel ſcriptum eſſet. Decreui proinde Carolinam ſanctionem, quæ apud nos in Imperio paſſim in judicijs criminalibus obſeruatur, more meo, adductis ſingularum deciſionum rationibus, vberius explicare. Quamuis enim ſcirem Nicolaum Vigelium, Georgium Remum, Bernhardum Zierizium, & Matthiam Stephani (quorum veſtigia in hoc commentario ſecutus ſum) aliquid præſtitiſſe, ac poſtea etiam in Ludouici Gilhauſen, & Antonij Bullæi annotationes inciderem, & de Gobleri notis aliquid intelligerem: tamen quia ipſorum notæ, declarationes, annotationes, additiones, remiſſiones, collationes, & obſeruationes (vt vocant) vtcunque breues ſunt, me à propoſito meo minimè abſterruerunt, ſed occaſionem præbuerunt, ſingulos articulos, qui de proceſſu tractant, plenius examinandi. Dum autem hoc in ſcholis egi, numerus auditorũ meorum, præter morem in tantum decreuit, vt pauciſſimi ſupereſſent, qui lectiones iſtas criminales exciperent, ſtultâ videlicet perſuaſione decepti, materiam hanc non niſi cauſarum criminalium cognitoribus, & Latrunculatoribus, vulgò

den PannRichteren / seruire: ignari eam non modò aduocatis, in accusandis & defendendis reis, sed etiam assessoribus & Consiliarijs in examinandis & formandis processibus, dictandisque pœnis plurimum prodesse. Cumque id serò nimis, posteaquam ad praxin deuenerunt, intelligerent, meq; per literas instanter rogarent, vt negligentiam ipsorum supplerem, & Commentarium meum typis committerem, nolui ipsorum desiderio & petitioni deesse, sed pro meo omnibus inseruiendi, & gratificandi studio, præsertim verò in gratiam eorum, qui reliqua mea scripta cum auiditate legerunt, & exceperunt, publici juris facere. Cum autem viderem Carolinæ sanctionis articulos sine debito & iusto ordine collocatos esse, & compilatores subinde in necessarijs defecisse, subinde in superfluis abundasse, post absolutam seriem eorum in id incubui, vt omnia à me tradita, & aliunde suppleta, in meliorem ordinem redigerem, & SVMMAM totius processûs criminalis, apud nos in Imperio & Bauaria vsitati, decem capitibus breuissimè comprehenderem. Ne quid autem illis, qui in foro versantur, & consilijs assident, deesset, adieci compendiosum MODVM EXAMINANDI processum criminalem, vt illos quibus vel acta criminalia referenda, vel sententiæ formandæ obtingunt, in suis laboribus subleuarem. Quod si finem & scopum scriptionis meæ assecutus fuero, plurimum mihi gratulabor: sin minus, prodesse saltem voluisse, satis esse judicabo. Vale lector, & faue.

IN PRAEFATIONEM.

SVMMARIA

1. Auctor huius constitutionis criminalis quis?
2. Carolus V. quis fuerit?
3. Quam magnus in militia armata?
4. Quam magnus in administranda republica?
5. Quam pius in religione?
6. Quos populos sibi subditos habuerit?

QVÆSTIO † hoc loco inprimis occurrit: quisnam fuerit auctor huius constitutionis criminalis, quam vulgò die peynliche Halßgerichts Ordnung appellamus? Ad quam Respondetur statim in procœmio: Nos CAROLVS V. DEI gratia Romanorum Imperator semper Augustus. 1.
Gloriosissimæ † memoriæ monarcha, Austriacæ domus illustre sidus, Maximiliani I. Imp. è filio Philippo nepos, qui cum esset Hispaniarum Rex, postea anno 1519. 28. Iunij in Romanorum Imperatorem electus, atque in thronum aui sui assumptus fuit, Princeps longè potentissimus, nunquam satis laudatus. Eius virtus in administranda rep: tam togata, quam armata, fuit prorsus excelsa, & pene diuina, cum summa felicitate coniuncta, ita vt Germani eum libenter CAROLVM Magnum appellâssent, si alteri CAROLO, (qui anno Christi 800. regnauit, imperiumq; occidentale ab orientali diuisum in Germanos transtulit, *vide Beseld. Synops. hyst. f. 324.* atque hoc cognomen quasi præscripsit *R. P. Hay. in præfat. opusc. Blosij*) gloriam suam imminuere voluissent, erat enim omninò magnus, fortitudine, justitia, scientia, & pietate. 2.
Fortitudinem † suam in eo ostendit, quod Franciscum I. Galliæ Regem potentissimum prælio vicerit, atque in Hispaniam abduxerit, Mediolanum Regiam vrbem recuperauerit, Turcas crudelissimos è Germaniæ finibus propulsauerit, Viennam ob obsidione Solymanni, & Christianos pene vniuersos periculo & internecione liberauerit, ipseq; in Africam bis Turcarũ opprimendorũ causâ profectus fuerit. Quantum porrò præstiterit in 3.

rit in debellandis rebellibus imperij, in subiugandis tumultuosis rusticis, in componendo bello Smalcaldico, recens adhuc memoria est, & copiosè de eo scribunt superioris seculi historici, Surius, Auila, Freherus, Hortensius, & alij, qui videri possunt. Atque hæc pauca de militia armata.

4. Sed quia † Imperatoriam Maiestatem non solum armis decoratam, verùm etiam legibus oportet esse armatam, vt vtrumque tempus, bellorum & pacis, rectè possit gubernari; *princ. præfat. instit.* ideo Augustissimus noster Imperator CAROLVS V. nec hac in parte officio suo deesse voluit, sed comitia fere plura, quàm vllus alius Imp. indixit, cum statibus imperij de tranquillitate publica, & salute totius imperij fideliter deliberauit, multas salutares leges & constitutiones, quas adhuc in recessibus imperij videre licet, de pace publica, de reformatione politiæ, & similes, nec non istam, quam præ manibus habemus, publicorum judiciorum legem, siue constitutionem criminalem, quàm à nomine ipsius *Carolinam pœnalem* appellare solemus, condidit. Ita, vt quemadmodum Principem Romanum decet, non solum in hostilibus prælijs victor existeret, sed etiam per legitimos tramites calumniantium & delinquentium iniquitates expelleret, fieretque tam juris religiosissimus, quam victis hostibus triumphator magnificus, *dict. princ. & quæ ib. notaui.*

5. His † omnibus accessit magna in religione pietas, quam priuatim & publicè vbique ostendit, præsertim in procurando Concilio Tridentino, in asserenda & tuenda fide Catholica, & toto Imperio cum habitu religioso commutando, æternis annalibus dignum facinus. Nam cùm imperâsset annis 36. curis & laboribus fractus, nouo & raro in Romana historia exemplo, non modò regnis suis, sed etiam imperio se abdicauit, atque illa quidem filio suo Philippo anno 1555. contulit: hoc verò in fratrem Ferdinandum anno 1558. transmisit, atque exinde in solitudine D. Iusti vitam religiosam duxit, ditior inde factus, quàm ex omnibus regnorum suorum aurifodinis.

Quæ cum ita sint, non modò magnus, sed ter maximus appellari meretur.
6. Quos † autem populos sibi subditos habuerit, id ex sylloge titulorum, hoc loco ordine descriptorum, colligi poterit,

poterit,

terit, illi enim vel Romano Imperio, vel domui Austriacæ subfuerunt, aut subesse saltem debuerunt.

Ad §. Bekennen offentlich 1.

SVMMARIA.

7. Occasio huius constitutionis cõdendæ.

8. Plebei & illiterati an rectè causas criminales tractent? n. 9. & 10.

11. Cur olim fuerint tolerati? 12.

13. Iurisconsulti quam exosi fuerint aliquando apud Germanos, & quare? n. 14.

15. Iudicia criminalia & sanguinaria cur multi fugiant?

16. De sanguine humano judicare an piaculum?

17. Causas criminales quibus Romani commiserint?

18. Cur tantum maioribus magistratibus?

19. Plebei & illiterati judices quæ mala causauerint?

20. Quam iniqua & reip. perniciosa? 24.

21. Nocentes & malefactores cur puniendi?

22. Iudex nec clementiæ, nec seueritatis gloriam affectare debet.

23. Accusatori cur imperitia judicis periculosa?

25. Status Imperij cur judiciorum criminalium emendationem petierint?

IN hoc §. † recenset Imp. causam & occasionem huius criminalis constitutionis, *Zieriz. v. quandoquidem* dum ait: postquam per nostros & Sacri Imperij Electores, Principes, aliosque status & ordines seriò ad nos perlatum fuit, quod in Romano Germanico imperio, ex inueterato vsu atque consuetudine, plura pœnalia judicia à personis plebeis, nostrorum imperialium jurium imperitis, inexpertis, atque minus exercitatis, constituantur, atque ordinentur: & quod propterea † in multis locis sæpe contra jus, æquitatem & rectam rationem agatur; ita vt vel innocentes torqueantur, & occidantur; vel nocentes per inordinatos, malitiosos, & frustratorios processus, & cunctationes, in magnum accusatorum, & reip. præjudicium tolerentur, pœnis subducantur, & liberentur, & quod pro latitudine & moderno statu Germaniæ, juxta antiquam consuetudiem, omnia judi- 7. 8.

ciorum subsellia & tribunalia multis in locis, nequeant viris legum peritis & exercitatis repleri. Hactenus Imperator.

9. Ex cuius † verbis apparet, quod judicia criminalia passim per homines rudes & plebeios, videlicet per rusticos & artifices fuerint pertractata, contra expressum prohibitionem *Ecclesiastici 38.* vbi de agricolis, fabris, architectis, figulis, & huius farinae
10. sordidis hominibus (eò † quod negotijs publicis impares & idonei sint) expresse scriptum est, *v. 38.* super sellam judicis non
11. sedebunt. Ratio autem † & causa, quare infimi quique è plebeis, modò nummis instructi, vtcunq; rerum gerendarum ignari sint, cum magna saepe jactura rerumpublicarum ad judicandi mu-
12. nera fuerint elati, erat duplex. Prima, † ruditas & inscitia istius seculi, quae tanta fuit, vt viri docti passim odio & ludibrio haberentur, & de Iurisconsultis omninò ex imperio eliminandis, quemadmodum postea ab Heluetijs, ita tunc ab illiteratis ordi-
13. nibus cogitaretur. Vide † Besoldum *in dissertat. de studiosis, & Doctoribus f. 124.* vbi testatur, Friderico III. Imperatori fuisse à quibusdam statibus inter caetera puncta, reformationi suae inserenda, hoc quoque oblatum: Alle Doctores der Rechten/ sie seyn Geistlich oder Weltlich/ im H. Röm. Reich teutscher Nation, sollen nach laut der fürgenommenen reformation an keinem Gericht/ bey keinen Rechten/vnd in keines Fürsten oder andern Rhat mehr gelitten/ sondern gantz abgethan werden. Sie sollen auch fürbaß hin vor Gericht oder Recht nit weiter Reden/ Schreiben oder Rathgeben / hoc est: nulli amplius Doctores juris, siue Ecclesiastici, siue seculares, juxta tenorem suscipiendae reformationis in vllo judicio, vel consilio Principum, vel aliorum, posthac
14. tolerandi, sed omninò eliminandi sunt. Rationem † addiderunt istam: Seytemalen Gott den Menschen mit seiner eigenen Weißheit begnadet / vnd versehen hat/ so mag er in der newen fürgenommenen Ordnung seines Rechtens selb wol warten/ hoc est: quia DEVS hominem propria sapientia & intellectu donauit, ideo quisque jus sibi dicere (vel ex lumine naturali aequum ab iniquo secernere) potest. Egregia equidem ratio (rectè subiungit Besoldus) quae vno quasi impetu destruere potest omnes artes atque disciplinas.

Altera

Altera † causa, quare iudicandi potestas in causis crimina- 15.
libus, vbi de vita & sanguine hominis agitur, fuerit ad homines plebeios & illiberatos deuoluta, est ista: quia sicuti hodie non desunt, ita nec olim defuerunt, qui nescio quâ formidine, & conscientiæ remorsu causarum criminalium cognitiones fugiebant, & de sanguine † humano sententiam ferre piaculum existima- 16.
bant, immemores illius, quod apud Saluianum *l. 7. de gubernat.* DEI habetur: homicida cum â iudice occiditur, suo scelere punitur, & latro aut sacrilegus, cum flammis exuritur, suis criminibus concrematur, *Zieriz ad art. 1.* malè etiam intelligentes scripturam, quod DEVS non velit mortem peccatoris, sed magis, vt conuertatur, & viuat, vnde dubitabant, an hominem vltimo supplicio afficere liceret? Sed non considerabant isti, quod in veteri testamento DEVS ipse leges capitales Moysi dictauerit, *Vigel. c. 1.* Hinc autem factum est, vt Principes & nobiles viri potestatem suam iudicandi parùm curarent, causasque meri imperij plebeis hominibus dijudicandas mandarent. Quod † val- 17.
de inconueniens erat, & veteri Romanorum instituto planè contrarium. Nam quia magnæ causæ magnos judices requirunt, *L. non distinguemus 32. §. de liberali 7. ff. de recept. c. causa 9. ext. de in integ. restit. Gail. 1. obs. 32.* ideo ipsi potestatem judicandi de causis criminalibus magistratui municipali non permittebant, *L. ea quæ 26. ff. ad municipalem*, sed illis tantùm, qui merum imperium habuerunt, puta consulibus, vrbi præfectis, prætoribus, & prouinciarum præsidibus. Rationem † assignat Nicol. Vigel. *in* 18.
meth. Carol. c. 1. quia existimabant veteres Romani, hac potestate disciplinam publicam conseruari, eaque maiestatem imperij Romani maximè contineri, ideoq; eam non nisi viris dignis, quorum prudentia & justitia plenè perspecta esset, committendam esse.

Verùm † cum totum contrarium in Germania fieret, secu- 19.
ta fuerunt ista mala, de quibus Imp. in præsenti §. *& arti: 150.* §. hierumb / vt videlicet homines isti, juris planè imperiti, absurdissimas judiciorum publicorum consuetudines introduxerint, & vel insontes cum sontibus damnârint, vel sontes cum insontibus absoluerint *contra Daniel. 13. v. 53.* prout judices vel seuerita-

tis vel clementiæ gloriam affectabant. *vide simile quid in Nouell.*
20. *8. in pr. §. 1. v. administrationes namque.* Quorum † vtrumque erat iniquissimum, & tam reip: quam accusatori periculosum. Nam sicuti bene cauendum est, ne respectu nocentis patiatur innocens *L. f. in f. C. de his qui latron: occult.* ita quoq; studiosè aduertendum, ne cum innocente elabatur nocens. Cum enim per
21. malefactores † turbentur publica gaudia, & lætitia communis, *L. 3. C. de Episcopali aud.* ideo reip: interesse censetur, ne delicta maneant impunita *L. ita vulneratus 51. §. æstimatio v. quod si quis ff. ad L. Aquil* adeo vt secundũ Senecam qui malos non plectunt, bonis iniuriam facere, & qui parcunt improbis, probis nocere di-
22. cantur? *vide c. non frustra 18. caus. 23. q. 5.* Insuper † iudici perspiciendum est, ne quid aut durius, aut remissius constituatur, quam causa deposcit, nec enim seueritatis, nec clementiæ gloria affectanda est, sed prout quæque res expostulat, perpenso iudicio statuendum, *L. perspiciendum 11. in pr. ff. de pœnis* quod quia rusticani illi, & imperiti iudices non animaduertebant, ideo sæpe in absoluendo & condemnando contra jus & æquitatem pecca-
23. bant, & ipsum † accusatorem in non paruum discrimen adducebant. Ratio: quia reo absoluto accusator non modò periculo sumptuum, persecutionis & insidiarum, sed etiam tanquam calumniator olim eidem pœnæ subijciebatur. Nam pœnæ, quam reo intentabat, obligabatur, iuxta regulam: calumniantes ad vindictam poscit supplicij similitudo, *L. f. v. sed quisquis C. de accusat. L. f. C. de calumniat.* hodie autem arbitrariè punitur, vt infra sæpius dicetur. Vnde in capitali iudicio non modò reus, sed etiam actor de capitis periculo certat, *vid. VVesenb. in parat. n. 5. ff. de transact. n. 5. ff. de calumniat. & n. 12. ff. de accusat.*

24. Cum igitur † iudices pro suo affectu & capritio iudicarent, & nemo esset, qui reos facile accusaret, secuta est summa Impe-
25. rij ac publicæ disciplinæ dissolutio, *Vigel. c. 1. f. 21.* Quam † cum animaduerterent Electores, Principes, alijque Imperij status, & ordines, Imperatori submissè retulerunt, atque rogârunt, vt sua Maiestas hos criminalium iudiciorum defectus & confusiones emendare, & abdicatis abusibus statum iudiciorum ad pristinum vigorem reducere clementissimè dignaretur. Ratio: quia mem-

bra in

bra in partem solicitudinis vocantur, *arg. c. decreto 11. & c. qui se scit. 12. caus. 2. q. 6.* & ordines quodammodo in consortium imperij, *Matth. Steph. de iurisd. lib. 1. c. 1. n. 4.*

Ad §. Demnach haben wir. 2.

SVMMARIA.

26. Carolus qua ratione iudicia criminalia emendauerit? & cur prudentibus commiserit?

27. 28.

29. Pragmaticæ sanctiones quæ, & an Carolina talis?

QVia † honesta & iusta petentibus non est denegandus assensus *L. 2. ff. de his qui sunt sui*, ideo CAROLVS Imp. qui iam ante propensus erat omnia in meliorem statum reducere, facile & libenter hanc relationem admisit, *arg. L. 2. C. de off. Vicar* ac petitioni ordinum satisfecit. 26.
Idcircò vnà cum Ele- „
ctoribus, Principibus, alijsque statibus, benignissimâ & propen- „
sissimâ voluntate, quibusdam viris doctis, præstantibus & peri- „
ris mandauit, vt formulam compendiosam, iuxta quam in cau- „
sis capitalibus & criminalibus deinceps juri & æquitati confor- „
miter procederetur, componerent, atque in summam contra- „
herent. Qua † in parte iterum imitatus fuit Iustinianum, qui 27.
cum vellet totum jus in breuem summam contrahere, mandauit viris illustribus (quorum omnium solertiam, & legum scientiam, & circa jussiones suas fidem, iam ex multis rerum argumentis cognouerat, *§. cumque 3. in procem. instit.*) vt ipsi institutiones componerent. Vterque † hac ratione motus, quod Princeps in 28.
jure constituendo non meram animi sui sententiam, sed prudentum consilium sequi debeat, *L. diui 17. in pr. ff. de iur. patron: L. humanum 8. C. de LL.* Periculosum enim est, omnia velle ex se facere, nec aliorum consilia adhibere. Ex hoc † autem, quod ex sug- 29.
gestione statuum imperij, de communi sententia, & vnanimi voluntate, ista constitutio imperata & facta fuerit, apparet & sequitur, quod sit vna ex pragmaticis sanctionibus. Nam pragmaticæ dicuntur illæ sanctiones, quæ non ad singulorum preces super priuatis negotijs, sed de communi procerum consilio, & precibus, ob causam publicam fusis, proferuntur, & emittuntur,

tur, inde forte deducto vocabulo, quod pragmaticis & peritis viris in consilium adhibitis interponantur, *argt. L. vlt. §. 1. & quæ ibi notant. Dd: C. de diuersis rescriptis & pragmat. sanction. Hotomannus & Schard in lexic. v. pragmatica. sanctiones.*

Ad §. Welches wir alſo. 3.

SVMMARIA.

30. *Constitutionem istam quomodo Carolus recognouerit?*
31. *Cur publicari & imprimi jusserit? 32. 33.*
34. *Causæ criminales cur arduæ & periculosæ?*
35. *In causis criminalibus dijudicandis quo ordine consuetudo, statuta localia, Carolina, & jus commune sit sequendum? n. 36. cum seqq.*
46. *Præmium judicum criminalium. & 49.*
47. *Vtilitas judiciorum & judicum criminalium?*

30. POstquam † illustres & prudentes illi viri, quibus cura ista demandata fuerat, leges publicorum judiciorum hinc inde dispersas, & antea confusè tractatas, tum etiam perprauas consuetudines, quæ cateruatim irrepserant, antiquatas, vnum in fascẽ collegissent, resectisq; inutilibus, superadditis autem necessarijs rectè transposuissent, & ad nostri seculi mores accomodatas Imperatori obtulissent, ipse eas legit, recognouit, & imperialis constitutionis robur plenissimè accommodauit.

31. Inprimis † ergo mandauit, vt publicarentur, & typis publicis imprimerentur. Rationem ipse adduxit in textu his verbis: „ vt omnes & singuli nostri & imperij subditi posthac in causis cri„ minalibus (vtpote magis arduis & periculosis) prædictæ formu„ læ, juri communi, æquitati, & honestis laudabilibusque consue„ tudinibus se possint conformare. Quemadmodum credimus, „ vnumquemque per se facturum, & propterea ab omnipotente „ DEO retributionem speraturum.

32. Ratio † publicationis est: quia lex non obligat, nisi subdi-
33. tis insinuata, & publicata, *Nouell: 66. c. sancimus. 1.* Ratio † impressionis redditur à Georgio Remo *in Nemesi Carolina* §. 6. vt possint in auditorijs legi, doceri, explicari, allegari, in foro teri, judicando sanctè obseruari. Vt quotquot in orbe Romano legum studiosi

studiosi erunt, hinc maleficiorum puniendorũ ordinem discant, prudentes alios instruant, & qui potestatem legitimè vsurpant, & jus gladij exercent, hic habeant, quod vel in reis puniendis, vel insontibus absoluendis sequantur, & quotiescunque de causis capitalibus decernendum erit, hanc epitomen sibi ob oculos religiosè versandam proponant, vide Summam nostram *c. 9. n. 7.*
Ratio cur † causas criminales arduas & periculosas vocet, est i- 34.
sta: quia non concernunt tantum stillicidium auertendum, flumen excipiendum, tignum immittendum, glandem legendam, pecora pascenda &c. quemadmodum causæ ciuiles, sed hominum vitam, sanguinem, caput, salutem, famam, & fortunas vniuersas, *idem ibid.*

Quod autem † Imp. dicit, in criminalibus causis secundum 35.
hanc pragmaticam constitutionem, secundum jus commune, æquitatem, & laudabilem inueteratã consuetudinem procedendũ,
id eo ordine debet intelligi, vt ante † omnia, quando de crimine 36.
puniendo agitur respiciendum sit ad rationabilẽ consuetudinem loci, quid videlicet practicari, & in aliqua regione obseruari, vel
quæ pœna malefactoribus imponi soleat. Deinde † ad statuta 37.
localia ciuitatis, vel territorij, die Statt vnd Landtrecht / vbique enim fere locorum similia statuta reperiuntur. vide jus Bauar. der
Malefitz Procefs Ord. *tit. 2. art. 3. in fin.* Tertiò: si † nulla spe- 38.
cialia reperiantur statuta, sequenda est hæc Carolina pœnalis, *const. Bauar. loc. cit.* Quartò: † si quid in ea desideratur, à jure 39.
communi mutuandum, *ibid.* Denique † quid æquitas postulet 40.
& dictet, probè inspiciendum, *vide jus Bau. loc. cit.*

Ratio † primi: quia consuetudo fori derogat juri scripto. 41.
L. 3. §. f. ff. de testib. L. venditor 13. §. si constat ff. commun. præd.
Ratio † secundi: quia Generi derogatur per speciem, *c. generi.* 42.
34. d. R. I. in 6. atque illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est, *L. in toto 80 ff. eod.* si ergo speciale & locale reperiatur statutum, illud derogat juri communi. Ratio † tertij: 43.
quia posteriora derogant prioribus, *L. f. ff. de constitut. Princip.* Ergo Carolina pœnalis, tanquã recentior, antiquis Imperatorum constitutionibus, & legibus in corpore juris contentis. Ratio
† quarti: quia Casus omissus (in statutis vel pactis remanet sub 44.

 dispo-

dispositione juris communis, *argt. L. si extraneus 6. vbi Ias. ff. de condict. causâ data Gail 1. obs. 35. n. 10.* & si quid in lege noua desideratur, illud ab antiqua suppletur, *argt. L. 2. vbi Dd. C. de no-*
45. *xal. act.* Ratio † vltimi: quia deficiente jure vel lege æquitas supplet, *L. in summa 2. ff. item Varus 5. in f. ff. de aq. & aq. pluu. arc.* non enim possunt omnes articuli legibus & Senatusconsultis comprehendi, *L. non possunt 12. ff. de LL.* vide quæ scripsi *in append. ad tit. instit. de pub. judic.*

46. Obiter autem hoc loco † NOTANDVM est, quod CAROLVS Imp. præmij loco non honores vel diuitias, vel gratiam populi
47. proponat, sed retributionem diuinam. Ratio: quia † illi, qui in justitia administranda zelosi sunt, & à tramite justitiæ, rectæque rationis, se neque metu periculi, neque spe turpis lucri, neque gratia, alioué affectu abduci permittunt, sed ex recta conscientia, & legum scientia, constanter iudicant, raro gratiam apud
48. homines reportant, non † obstante, quod bona plurima etiam criminalium causarum cognitores & iudices priuatis & reipub. præstent, dum ciuibus securas opes, immunes à prædonum incursibus agros, inuiolatam coniugum ac liberorum pudicitiam, commerciorum libertatem, & pulcherrimam quietem conseruant, *Remus hic* §. 7.

49. DEVS autem, † omnium bonorum auctor & retributor, iudices æquitatem & iustitiam administrantes bonis omnibus affatim cumulabit, coronaque iustitiæ decorabit haud dubiè. Ita vt neque odium, neque inuidia malignorum, neque persecutiones eis possint multum nocere, iuxta effatum Christi Saluatoris nostri: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, ipsorum enim est regnum cœlorum.

Ad §. Doch wollen wir. fin:

SVMMARIA.

50. Carolina an deroget moribus, & constitutionibus Principum & locorum? & seqq.

53. Caroli Imp. intentio & propositum.

Quam-

QVamuis † autem CAROLVS Imp. hanc constitutionem criminalem voluerit esse generalem, (sicuti constitutiones & leges sui natura sunt vniuersales & generales, *L. 1. L. 8. ff. de LL. L. properandum 13. in pr. C. de iudicijs L. humanum 8. v. formam generalem. C. de LL. Gail. 1. de P. P. c. 1. n. 10.*) nihilominus † 50. 51.
tamen in fine præfationis annectit, quod per eam nihil Electorum, Principum, & ordinum reliquorum moribus antiquis, & legitimis consuetudinibus velit detractum, vel derogatum. Ratio: quia: † pœnæ publicis legibus proditæ non vbiq; apud omnes obseruantur, sed pro moribus regionum, atque municipalibus statutis sæpe variantur, *Bernhard. Zieriz h. v. nolumus tamen.* Et vt Imp. Iustin: *in præfat. auth. de nuptijs* dicit: ea quæ sancita sunt à nobis, non omnibus conueniunt, nec hominibus, nec rebus, nec temporibus. Cum itaque † mens & intentio CAROLI 52. 53.
V. Imperatoris tantum fuerit abusus iudiciorum pœnalium, & prauas consuetudines tollere, jus antiquum ad modernum temporum nostrorum statum reducere, ea quæ controuersa erant definire, & si quid iuri communi deesset, de nouo supplere: ideò † si qua in regione quædam salubriter à maioribus introducta, 54.
iam ante definita, & vel statuto vel laudabili consuetudine recepta essent, ea noluit ex improuiso turbare, sed statibus imperij, qui facultatem statuta condendi habent, jus suum intactum & illibatū conseruare, *argt. §. f. inst. de his qui sui vel alieni iuris sunt.*

De Iudicibus, assessoribus, cæterisq; personis in iudicio capitali interuenientibus.

ARTICVLVS I.

SVMMARIA.

1. In Iudicio criminali quot personæ interueniant?
2. De Iudice cur primo loco agatur?
3. Iudices criminales quales esse debeant? 4. 5. cur probatæ vitæ? 6. cur honesti, & bonæ existimationis? n. 7. cur prudentes & periti? 8. 9. 10. cur tam idonei, quam haberi possunt?
11. an imperiti quandoque in defectu? Cur pij præsertim in processu maleficorum.
12. Doctores præ alijs judicare & cognosce-

cognoscere debent de causis criminalibus. 13. 14. | *15. Æquiparatio eruditionis & nobilitatis.*

1. SIcut † in omni ciuili iudicio, ita quoque in capitali, siue criminali, tres personæ plerumque intercedere solent, judex,
2. actor siue accusator, & reus. De singulis † Imp. agit, & à iudice tanquam digniore incipit. Ratio: quia basis iudiciorum est eorundem recta constitutio, vnde meritò hinc sumptum est exordium, *Georg. Remus h.* Si itaque

3. QVÆRATVR: quales † esse debeant causarum criminalium, seu publicorum iudiciorum iudices? Respondet Imp: in
4. præsenti articulo sequentibus verbis: sancimus, † ordinamus & „ volumus, vt iudicijs publicis & pœnalibus præficiantur iudices, „ assessores, scribæ, & actuarij tam probi, honesti, prudentes & pe„ riti, quam iuxta loci cuiusque commoditatem maximè idonei „ haberi possunt. cum quo concordat *text. in L. sancimus 6. C. ad L. Iul. repet. L. 1. in fin. C. de off. magist. offic. Nouell. 82. in pr.* Mez-
5. ger *consil. crim. 15. n. 14.* Ratio † generalis est: quia in omni actu expediendo habilitas agentium desideratur, *argt. L. 1. §. ceterum 9. ff. de acquir. vel amitt.* multò magis ergo apti & idonei iudices requiruntur, vbi de vita & sanguine agitur. Ratio spe-
6. cialis, † quare CAROLVS V. Imp. & Iustinianus *in L. 1. C. de off. magistri offic. & in L. 6. in pr. C. ad L. Iul. repet.* requirat iudices probatæ vitæ, & proborum morum est, ista: quia si ipsi sint improbi, quomodo poterunt improbitatem malefactorum coërcere? Quod quis in se approbat, in alijs reprobare non potest, *L. in arenam 11. in f. C. de inoff. testam:* absurdum est in alio corrigere, quod in seipso conspicitur vigere, *L. si vxor 13. § iudex 5. ff. ad L.*
7. *Iul. de adult.* Lupus lupum non mordet. Ratio cur † requirat honestos, & Iustinianus in *Nou: 161. c. 1. in pr.* tales, qui bona existimatione noti sint, est ista: qnia si infames non possunt accusare, *L. qui accusare ff. de accusat. & ib. VVesenb. n. 9.* multò minus iudicare. Ratio vtriusq;, quia nihil Iudæus Iudæo, nihil Catilena Cethego, *argt. L. quoniam 21. C. de hæretic:* Deinde si ex præcepto juris omnes iubentur honestè viuere, illud maximè debent judices facere. Nam quod subditi in ipsis vident, sibi quoque licerè existimant.

Ratio

Ratio † cur requirat prudentes & peritos, qui (vt Imp. Iu- 8.
stin: in Nouell: *161. c. 1. in pr.* declarat) in exercenda iustitia plurimum reposuerunt solicitudinis, est ista: quia imperiti legum, & vsu rerum destituti, indigni sunt munere iudicandi *Nouell: 82. in pr.* vbi Imp. Iustinianus noluit, vt legum inerudití, qui nullum haberent causarum experimentum, nomina gererent iudicum.
Rationem † ipse annectit; quia non possunt per se nosse, quod iu- 9.
stum est, sed aliunde emendicare debent iudicandi honestatem, quod nihil est aliud, quã alienis oculis videre, aut alienis auribus audire, vide plenius Matthiam Stephani *n. 8. ad Nou. 82.* Ex his ergo textibus habetur, quod in iudicibus, & multò magis in assessoribus peritia iuris requiratur, *L. 2. ff. quod quisq. Gothof. ad d. Nou. 82.* ne tanquam cœci iudicent de colore, *Hotoman. q. 26.* 10.
Ratio † denique, cur requirat CAROLVS Imp. tam idoneos, quam haberi possunt, est ista: quia si docti & periti haberi non possunt, non propterea iustitia negligi, sed imperiti assumi debent, juxta vulgare Germanorum prouerbium: Wann man nit
Sperber hat / muß man mit Eulen baissen. Nam † sicuti subinde 11.
in defectu plurium vnus admittitur, *Gail. 2. obs. 111. n. 3. & seqq.* & in originariorum defectu necessitas rem eò deducit, vt ad magistratum & syndicatum extranei admittantur, *VVesenb. in parat. n. 5. ff. quod cuiusq. vniuersit. id. n. 5. C. de magistrat. municip.* ita quoque in defectu peritorum imperiti ad iudicandi munus admittuntur, *argt. L. pen. C. de judic. L. cum quem 79. §. 1. ff de judic. L. expertes 6. C. de decurion.* vide ad longum Hotomannum. *quæst. illust. 26.* Possunt enim & debent tunc peritiores consulere, *L. in bonorum 10. ff. de bon. possess.* Hisce addit Dominus Weizenegger *differt. 6. c. 2. n 24.* quod ad processum veneficnm eligendi sint egregiè pij, & animosi, per rationem: quia cum pugna hæc suscipiatur aduersus diabolum, & causa per se obscurissima & intricatissima sit, non sine periculo suo & aliorum, imò & ipsius communitatis hoc officium sustinebunt.

Ad Versic: Darzu.

QVÆRITVR † in hoc versic: vtrum in criminalibus iudiciis 12.
possint etiam Nobiles & Doctores adhiberi? Ad quod Respondetur affirmatiuè. Ratio quoad nobiles examinabi-

13. tur sub §. seq. Ratio quoad † Doctores redditur ab Imp. Iustiniano *in Nouell. 82. in pr.* vbi ait: quomodo non maximũ vitium erit reip. non eis lites tradere, qui ex se, quod agendum sit, sciant, sed admittere eos, qui quærere debent alios, à quibus discant,
14. quæ ipsos in iudicando eloqui decet. Ex quo † deprehendimus primò, Imperatorem CAROLVM detestatum fuisse impudentissimum illud consilium, Friderico III. Imp. in comitijs oblatum, de eliminandis Doctoribus à Principum aulis, consilijs, & iudi-
15. cijs. Inferunt † secundo ex eo, quod Imp. Nobiles & Doctores coniungat, eruditionem nobilitati æquiparari, *per L. prouidendum. 7. vbi Dd. C. de postulando.*

Ad Versic: In dem allem.

SVMMARIA.

16. In judicijs criminalibus constituendis cur magna diligentia adhibenda? 17. 18.

19. Comminationes pœnarum ad quid fiant? 20.

21. Operâ hominum imperitorum & officialium socordium vtens cur pœnam mereatur? 22. 23.

24. Quam ille magistratus, qui opera imprudentum vel imperitorum judicum vtitur.

25. Extraordinaria pœna imponenda est, vbi nulla certa definita est.

16. IN hoc † Versic: monet Imperator omnes illos magistratus, qui ius constituendorum publicorum & capitalium judiciorũ habent, vt omnem possibilem diligentiam adhibeant, quò pœnalia & publica iudicia rectissimè constituantur, & ne cui iniuria
17. fiat. Ratio † finalis per se nota est: proinde Imperator duas tantum causas impulsiuas adiungit, quarum prima est ista: quia in magnis & arduis causis magna diligentia adhibenda est, *Nicol. Vigel. meth. Carol. c. 1. circ. f.* causæ autem criminales arduæ valde sunt, quemadmodum supra vidimus, & Imp. hoc loco eius
18. † Rationem talem assignat: quia non tantum pecuniæ & bonorum amissionẽ (quemadmodum causæ ciuiles, & iudicia ciuilia, quæ proinde facile corrigi & reparari possunt) sed famã, corpus, vitam, & vniuersas hominis facultates, concernunt. Ergo in ijs egregia excitata industria, & præmeditata diligentia adhibenda. Nam vt ait Imp. in *Nouell. 8. in pr. §. administrationes* in criminalibus

libus de anima est periculum: vbi autem maius est periculum, cautius est agendum, *c. vbi periculum 3. in pr. de Elect. in 6.* Altera † causa, siue alter modus impellendi magistratus ad iudicia 19.
poenalia rectè constituenda, est comminatio poenæ, quam Imp. hoc loco facit, dicens: propterea in transgressione huius nemi- "
nem sua negligentia, & incuria excusabit, sed meritò tenore "
huius nostræ constitutionis punietur, cuius etiam omnes magi- "
stratus, qui publica iudicia exercent, acriter admonitos volu- "
mus. Ratio † huius comminationis est, vt quos amor justitiæ 20.
officij sui non commonet, eos formido poenæ ad illud faciendum compellat, *argt. c. vergentis 10. extra de hæretic. c. cum in cunctis 7. §. f. de elect. vid. Gail. 1. de PP. c. 3. n. 7.*

Minatur † autem hoc loco CAROLVS Imp. non ipsis iudicibus 21.
& assessoribus, qui officium suum non rectè faciunt (nam quam poenam sustineant, qui per imprudentiam, per ambitionem & gratiam, vel etiam pecunia corrupti, malè iudicant, vide *tot. tit. & Dd. ibid. C. de poenis iud. qui malè iudic. §. 1. inst. de obligat. quæ quasi ex delict. L. vlt. ff. de extraord. cognit. L. 7. C. quando prouoc. non est neces. L. 2. C. de commerc: & mercat*) sed ijs potius magistratibus, qui imperitorum & socordium hominum operâ vtuntur. Et meritò, Nam † si exercitor nauis, aut cauponæ, aut sta- 22.
buli, de facto & malitia eorum tenetur, quorum operâ vtitur, *§. item exercitor 3. inst. d. T.* multò magis Principes, Comites, Barones, prælati & nobiles de imperitia & socordia suorum criminalium judicum tenebuntur, præsertim hoc tempore, vbi peritorum & doctorum virorum satis magna copia reperitur. Ratio † habetur *d. §. f.* quia culpæ reus est, qui operâ malorum ho- 23.
minum vtitur. Et sicut diligens paterfamilias non debet pati oscitantes & negligentes ministros: *L. si seruus 17. §. si fornacarius ff. ad L. Aquil. L. videamus 11. §. 1. & §. f. ff. locati* ita nec magistratus socordes & imprudentes, vel negligentes officiales: quia negligentia officialium ex voluntate domini facta præsumitur.

Sed qua † poenâ afficiuntur tales? Imperator non exprimit, 24.
itaque puniendi sunt pro ratione commissi extra ordinem, *Georg. Remus hic* Ratio: quia quotiescunque lex poenam comminatur, nec tamen eam exprimit, toties extraordinaria controuenienti

irroga-

irrogatur,& arbitrio superioris committitur, *argt. c. f. in f. ext. de transact. c. de causis §. f. ext. de off. delegat. L. hodie 13. ff. de pœnis vide Gail. 1. obs. 87. n. 1.* Wesenb. *ff. de extraord. crim: eund. n. 6. C. de LL. & n. 7. ff. de postulando* quod præcipuè in supremo Principe siue Imperatore locum habet (nam Principi omnes pœnæ
25. sunt arbitrariæ *VVesenb. n. 6. C. de hæretic.*) qui † meo iudicio bene faceret, si subinde talibus magistratibus, præsertim inferioribus (quales sunt Nobiles in Sueuia) propter suam in constituendis judicijs socordiam, propter nimiam crudelitatem, vel lenitatem jus gladij, vulgò den Bluetban iterum adimeret. Nam priuilegium amittere meretur, qui concessa potestate abutitur *c. 2. ext. de postul. prælat. c. priuilegium 63. caus. 11. q. 3. c. tuarum 11. ext. de priuileg. vide Gail. 1. obs. 17. n. 2. & seqq.*

Ad §. Vnd dieweil.

SVMMARIA.

26. Nobiles an iudicijs criminalibus præsidere, vel assidere possint, saluo statu suo. n. 27. 28. 29. & cur debeant. 30. 31. 32.

26. QVoniam † ab aliquo tempore in quibusdam locis Nobiles & alij, quos capitalibus iudicijs ex officio vel præsidere vel assidere decebat, illis (nescio quo pudore & formidine) interesse recusarunt, & ratione status atque dignitatis suæ sese subduxerunt, ita vt sæpe delicta propterea fuerint impunita relicta: ideo voluit & ordinauit Imp. CAROLVS in hoc §, vt in posterum ipsimet pœnalibus iudicijs, quoties rei vtilitas & necessitas postulauerit, tanquam iudices & assessores, vel præsiderent, vel assiderent, eaq; agerent & tractarent, quæ huic constitutioni criminali consentanea sunt. Rationem huius pudoris, formidinis, nauseæ & fastidij audiuimus supra in explicatione præ-
27. fationis. Rationem autem, cur † formidare non debeant, affert Imp. ipse in textu talem: quia iudiciorum publicorum tractatio & administratio eorum dignitati & statui nullum præiudicium parere potest, vel debet, sed potius ad profectum iustitiæ ad maiorem malefactorum pœnam & terrorem, & ad honorem ipsorum nobilium, & officiorum, quæ gerunt, cedere atque spectare.

Ideò

Ideò † autem criminalia judicia nobilitatis ſplendorem, 28.
proſapiæ laudem, & bonam exiſtimationem non obfuſcant, vel ſuggillant, quia legimus in prouerbijs *c.31.* quod Lamuelem Regem erudiuerit mater eius, & inter cætera *verſ. 9.* inſtruxerit, vt decerneret, quod iuſtum eſt, & iudicaret inopem & pauperem. Sic de Samuele in libris Regum *c. 7. u. 15. & ſeqq.* legitur, quod iudicauerit Iſraëlem cunctis diebus vitæ ſuæ, & circumiuerit per ſingulos annos prouincias, & iudicauerit Iſraëlem in varijs locis. Similiter etiam in jure noſtro ciuili & canonico legitur, quod ipſi Reges, & viri præcellentes in honore poſiti ſæpe iudicauerint, & ab equitibus iudicia exerceri ſolita fuerint, tam ciuilia, quam criminalia, *vide cap. dilecti.extra de arbit. L. obſeruandum ff. de off. præſid. L. 3. §. ſed vim 1. ff quod met. cauſ. vide Franciſc. Hotoman. quæſt. 26.* Sic ipſe † CAROLVS Imp. dum rebus criminalibus ſe 29.
immiſcuit, ſuo exemplo oſtendit, non eſſe alienum à ſanguine regio & nobili, vindictã publicam exercere, verùm id potius ad profectum iuſtitiæ facere. Ratio: quia † ſi contingat ipſos vi- 30.
ros Principes, & nobiles, iudicijs præſidere & præeſſe, ſuâ præſentiâ iudicum & aſſeſſorum animos excitabunt, & erectos conſeruabunt, præterea iudicij locum, qui idem iuſtitiæ ſedes & ſacrarium eſt, cohoneſtabunt. Et quia non leuem apud vulgares, & alios inferioris conditionis homines auctoritatem obtinent, lumen & dignitas toti curiæ per eos accedet, vt bene dicit Georg. Remus h. His accedit Ratio † deſumpta ex verbis Iuſtiniani. 31.
Nouell. 15. c. 6. §. ſi qua: quia conuenit vnumquemque nobilium ſemper functionem agere ciuitatum, quas inhabitat. Et quia magnæ cauſæ magnos iudices requirunt, *c. cauſa 9. ext. de integ. reſtit.* Quibus omnibus accedit, quod iudicia publica competant regulariter tantũ apud iudicem ordinarium, non delegatum, *per L. 1. in pr ff. de off. eius cui mand. eſt juriſd. L. nemo poteſt ff. de R. I. L. placuit §. quod non ita, C. de ped. judic.* Mezger. *conſil. crim. 15. n. 17.*

Ad Verſic: Wo aber.

IN hoc † Verſic: hortatur Imp. viros nobiles, atque alijs inſi- 32.
gnibus conſpicuos, ſi qui eorum hucuſque iudicia criminalia in propria perſona exercuiſſent, vt deinceps idem abſque om-

ni recuſatione facere, atque iſtam laudabilem conſuetudinem & morem in ſuo vigore conſeruare velint. Ratio: quia ſi æquum eſſe iudicauit, Imp. eos iudicia criminalia poſthac exercere, qui antehac ea ſubterfugiebant, longè conuenientius eſt, eos in ſuo iudicandi munere perſiſtere, qui eoúſque illa tractabant.

De ijs, qui ratione bonorum ſuorum iudicijs publicis præſident, vel aßident, ſiue de ijs, quorum prædijs iudicandi munus cohæret.

ARTICVLVS II.

SVMMARIA.

1. Gladij poteſtas quibus olim competierit?
2. An potuerit alijs delegari? quare non. n. 3. quando autem? n. 7.
4. Quibus hodie competat?
5. An delegare, vel alios ſubſtituere poßint? & n. 10.
6. Subſtituere alios poſſunt & debent, quibus judicandi vel aßidendi munus ratione bonorum competit. 7. cum conſenſu & praſcitu tamen ſuperioris.
8. Cauſæ ob quas alium ſubſtituere licet.
9. Fæmina judicare vel aßidere nequeunt.
11. Clerici quomodo juriſdictionem criminalem exerceant.

1. PRo hoc † articulo intelligendo NOTANDVM: quod olim gladij poteſtas, ad animaduertendum in homines facinoroſos *L. 3. ff. de juriſdict.* conceſſa fuerit tantum certis quibuſdam magiſtratibus, quibus in ſignum poteſtatis lictores ſecurim cum faſcibus virgarum præferebant, de quibus vide Feneſtellam *de magiſtratib. Rom. c. 7. &* 19. & Nicol. Vigel. *h. c. 1. in pr.* vide
2. quæ ſcripſimus ſupra ad præfationem *n. 17. & ſeqq.* Eam † autem poteſtatem non poterant alijs committere, vel delegare, vel ad alios transferre, *L. nemo poteſt 70 ff.* de *R. I. L. 1. ff. de officio eius cui mandata eſt juriſd. L. placet, 2. §. quod non ita C. de pedaneis judicibus, L. ſi quid 11. ff. de off. procon ſ.*

Ratio-

Rationem † reddit Wesenbecius *n. 4. ff. de off. eius cui man-* 3.
data est jurisd. quia iure priuilegij personalis competebat. Aliam
Iul: Clarus *recept. sent. §. f. q. 41. n. 2.* quia cum huiusmodi cau-
sæ specialiter concessæ sint maioribus magistratibus, censetur
electa industria personæ: vbi autem industria personæ electa est,
res non transit ad tertium, & non potest per alium expediri, *L.
vn. §. ne autem. 9. C. de caduc. toll. Gail. 1. obs. 97. n. 2* Ratio alia:
quia hæc potestas erat connexa magistratui & officio. Ergo ne-
mo eam poterat exercere, nisi qui gereret magistratum & offi-
cium. Hodie † autem in Imperio Romano-Germanico sæpe 4.
competit gladij potestas non ratione officij, sed ratione bono-
rum. Nam sæpe castra & arces cum suis pertinentijs, & omni
iurisdictione conceduntur, quemadmodum in Sueuia videmus
equestris ordinis viros, die freye ReichsRitterschafft / habere ple-
rumque altam & bassam iurisdictionem, die Hoche vnd Nidere
Obrigkeit / & ipsam gladij potestatem, vulgò den Bluetban / non
ratione officij vel nobilitatis suæ, sed ratione suarum arcium, ca-
strorum, pagorum, &c. Similiter etiam officium assessoris com-
petit quandoque personis quibusdam, certas villas, prædia, & ca-
stra possidentibus. *textus hic.* Hoc ita præcognito & notato

QVÆRITVR † in hoc articulo: Quid si tales personæ, qua- 5.
rum prædijs iudicandi vel assidendi munus cohæret, siue quæ ra- ,,
tione bonorum suorum ad publica & pœnalia iudicia exercenda ,,
& administranda obligatæ sunt, propter infirmitatem, & corpo- ,,
ris valetudinem, propter defectum iudicij, ætatis, vel similem ali- ,,
quam causam assidere, vel interesse, & præsidere, vel officium ,,
eiusmodi ipsi præstare, vel obire non possunt, alios assessores in ,,
locum suum substituere, vel alijs tanquam iudicibus causas cri- ,,
minales delegare possint, & debeant? ad hoc † Respondet Im- 6.
perator: quod omninò alijs personis aptis & idoneis, cum præ-
scitu & consensu tamen superioris, causas illas delegare, vel eos
in locum suum surrogare possint, & debeant, vide Thom. Mezg.
cons. crim. 15. n. 18. Ratio cur † debeant: ne judicum nume- 7.
ro quicquam decedat, & ne iustitiæ cursus remoram patiatur,
Georg. Remus h. Ratio cur possint: quia quando prædijs iudi-
candi munus cohæret, tunc personæ industria non censetur, ele-

cta: Ergo facilius permittitur delegatio, præsertim cum etiam antiquitus proconsules & præsides prouinciarum, qui ex speciali Principis, vel legis permissione, merum imperium habuerunt, illud alteri mandare potuerint, non quidem generaliter, & præsentes, sed si iusta de causa absfuturi essent, *L. 1. ff. de off. eius cui mand. est jurisdict.* & propter causas alias, quas vide apud Barthol. Socinum *regul. delegari 117.* Mezger *dict. consil. 15. n. 18.* Ratio, cur consensus superioris requirarur, est: quia interest illius scire, quos vel judices vel assessores habeat, ne propter eorum negligentiam ipse pœnam incurrat, vt in *præced. art.* vidimus. Ratio, cur hunc articulum tam de iudicibus, quam assessoribus intelligamus, est ista: quia Imp. loquitur de ijs, so die Gericht jhrer Güter halber besitzen/ quæ vox non tantum assessoribus, sed etiam iudicibus competit. Assessores solos rarò vocat Beysitzer/
8. sed schöpffen vñ Vrthelsprecher/ *inf. art. 4.* Quænam † autem causæ similes sint ijs, quas Imp. hic exprimit, vide apud Georg: Remum, vbi præter morbum sonticum, id est talem, qui negotijs agendis obsit, *L. quæsitum 60. inf. ff. de re iudic. Bernhard. Zieriz. h. & Steph: hic* recenset etiam senectutem, militiam, iustam necessariam & diuturnam absentiam: item si fœmina sit, quæ præ-
9. dia possidet. Nam † fœminæ ab omnibus officijs ciuilibus vel publicis remotæ sunt: & ideo nec judices esse possunt, nec magistratum gerere, *text. in L. fœminæ 2. ff. de R. I.* Ratio: quia iudicare munus publicum est, *L. quippe 78. ff. de judicijs,* ideo quidam lege, quidam natura, quidam moribus iudices dari vetantur, *L. cum prætor 12. §. non autem 2. ff. eod. Georg. Rem.*

10. Plura † de delegatione causarum criminalium, vide apud Iul. Clar. *loc. sup: n. 2. cit.* Nicol. Vigel. *in method. Carolin. cap. 2. q. 4. reg. 3.* Thomam Mezger *consil. crim. 15. n. 19.* vbi dicunt, hodie ex generali consuetudine omnes causas meri & mixti imperij indistinctè etiam quoad pœnam vltimi supplicij delegari posse. Ratio: quia non amplius ex speciali priuilegio, sed vnà cum jurisdictione datur, Wesenb. *n. 4. ff. de off. eius cui mand. est jurisd. idem n. 12. ff. de jurisd. idem n. 7. C. de judic.* Hinc in Ger-
11. mania † passim Episcopi, & alij Prælati imperij, qui ipsi citra irregularitatem in causa sanguinis judicare non possunt, consilia-

rijs

rijs suis secularibus totam causarum criminalium vniuersitatem committunt & delegant: ita vt ipsi quidem ius & potestatem gladij habeant, exercitium autem illius iuris alijs committant. Quamuis nonnulli petant suos consiliarios inuestiri.

De iuramento iudicis criminalis, siue in capitalibus causis dati.

ARTICVLVS III.

SVMMARIA.

1. Iudex criminalis debet esse iuratus, & quare? n. 2. 4.
3. Iuramenti, quod iudex criminalis præstare debet, forma. n. 12.
5. Iudex iustitiam administrare debet æquè pauperi ac diuiti. 6. & non habere acceptionem personarum. 7. nihil tribuere odio, amicitiæ, affectui, donis. 9. manus puras à muneribus conseruare. 11.
10. Munera an accipere liceat iudici?
13. Iuramẽtis cur adyciatur clausula sine fraude & dolo, & altera: sic me Deus adiuuet. 14.
15. Iuramentorũ formulæ in alijs, vel antiquitus vsitatæ. 16. 17. 18. 19.

INter † cæteras conditiones, in iudice criminali requisitas, est 1.
vna quoque ista: vt sit iuratus. Ratio: quia omnes omnino iudices, siue maiores, siue minores, siue ordinarij, siue delegati, tenentur præstare juramentum de rectè iudicando, *Mynš. cent. 2. obs. 76.* Ergo etiam, & multò magis, iudices causarum capitalium, cum suis Assessoribus iurati esse debent, Thom: Mezger. *consil. crim.* 15. *n.* 14. Ratio rationis est: quia † is qui iuratus est, 2.
præsumitur memor juramenti, & salutis suæ, debitam fidelitatẽ & industriã in officio adhibiturus, & vt Theodosius & Valentinianus Impp. in *L. 6. C. ad L. Iul: repet.* loquuntur: Neminem diuini timoris (contemnendo jusiurandum) arbitramur immemorem, vt saluti propriæ vllum commodum anteponat.

Formula † autem juramenti præscribitur in hoc articulo ta- 3.
lis: Iuro quòd debeam, ac velim, in pœnalibus causis iudicare „
& administrare iustitiam pauperi æquè atque diuiti, neque id in- „
termittere, causâ gratiæ, amoris & amicitiæ, odij aut inimici- „

 tiæ,

„ tiæ, doni, vel vtilitatis meæ, vel rei cuiusquam alterius gratia.
„ Et præsertim volo Caroli V. Imperatoris, & sacri Romani Im-
„ perij pœnali constitutioni fideliter parere, ac pro virili illam con-
„ seruare, & exequi, sine fraude & dolo. Sic me Devs adiuuet, &
4. hæc sancta Dei Euangelia. Ratio † huius iuramenti generalis iam est nota, cui accedit ista: quod Carolvs Imp. & cæteri ordines imperij, ad præsentem constitutionem criminalem tantò religiosius obseruandam, & iudicia criminalia cum maiori diligentia tractanda, voluerint iudices, cum suis assessoribus ac ministris, peculiari iuramento adstringere, quemadmodum passim hodie in omnibus alijs officijs & functionibus, etiam longè minoris momenti, ab officialibus & ministris iuramentum fidelita-
5. tis exigitur. Ratio † primæ partis, cur iuratò promittere debeant, iustitiam administrare pauperi æquè, atque diuiti, est ista: quia in iudicijs non est acceptio personarum habenda, *c. in iudicijs* 12. *de R I. in 6. c. nouit.* 13. *post med. ext. de indic. argt. c. statutum* 11. §. *insuper. de rescript. in 6.* Sic *Leuitici. c.* 19. *vers.* 15. locutus est Dominus ad Moysen, dicens: non facies, quod iniquum est, nec iniustè iudicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Iustè iudica proximo tuo. Similiter *Deut. c.* 1. *v.* 16. & 17. præcepit Moyses principibus, tribunis & centurionibus, dicens: quod iustum est iudicate, siue ciuis sit ille, siue peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita paruum audietis, vt magnũ, quia Dei iudicicium est. Eodẽ lib. *c.* 16. *v.* 18. mandauit Devs Moysi, dicens: iudices constitues per singulas tribus, vt iudicent populum isto iudicio, nec in alteram partem declinent. Deniq; etiam Christus Dominus apud Ioan: *c. 7. euangelij v.* 24. Iudæos ita alloquitur: nolite iudicare
6. secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate. Ratio † rationis horum omnium: quia iudex debet exanimare causas, non personas, hoc est, non attendere, quis & qualis in iudicio stet, sed quam iustam causam foueat.

7. Ratio † cur debeat iurare, quod nihil velit tribuere gratiæ, odio, amicitiæ, donis &c: desumi potest ex *can: 78. caus.* 11. *q.* 3. vbi dicitur, quatuor modis peruerti humanum iudicium; timore, dum metu potestatis alicuius veritatem loqui pertimescimus:

mus: cupiditate, dum præmio animum alicuius corrumpimus: odio, dum contra quemlibet aduersarium molimur: amore dum amico, vel propinquo, complacere contendimus. Ratio † bre- 8.
nior: quia iudex sine affectu procedere debet. Ergo deponendus est omnis affectus odij, fauoris, præmij, timoris &c. hinc regula: iudex non debet flecti ira, odio, precibus, aut amicitiâ, neque voluntati suæ obtemperare, sed tenere, quod legum est, *c. iudicet 4. cauſ. 3. q. 7.* Ratio † specialis quoad dona & munera ha- 9.
betur Exodi *c.* 13. *v.* 8, vbi dicitur: nec accipies munera, quæ etiam excœcant prudentes, & subuertunt verba iustorum. Similiter Deuteron. *c.* 16. *v.* 19. non accipies personam, nec munera: quia munera excœcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum. Item Ecclesiastici *cap.* 20. *v.* 31. xenia & dona excœcant oculos iudicum, & quasi mutus in ore auertit correptiones eorum. Idque agnouit etiam Poëta, quando ita cecinit:

Munera crede mihi placant hominesq́ȝ Deosq́ȝ,
Placatur donis Iuppiter ipse datis.

Hac † de causa iam olim in libera repub. Romana prohibitum 10.
erat munera indistinctè omnia recipere, *L. 6. §. 3. ff. de off. proconſ.* sed esculenta tantum, & poculenta, quæ intra dies proximos absumuntur, *L.* 18. *ff. eod.* De iure autem Nouellarum nulla prorsus munera accipere possunt ij iudices, qui publica salaria habent, *Nou: vt iudic: sine quoqȝ suff. 8.* de quo vide plenius Andr. Gail. 1. *obſ.* 152. *n.* 6. Mynſ. *cent. 2. obſ. 75. n. 6.* Pet. Greg: Tholoſ. *lib. 36. syntagmat. c. 28. per tot.* Wesenb. *in f. tit. ff. de off. proconſ.* Sic itaque † voluit CAROLVS V. Imp. vt iudices habe- 11.
rent manus puras in accipiendo, quemadmodum Iustinianus voluit etiam puras manus habere in dando, hoc est, in officio muneribus non mercando, *L. 6. C. ad L. Iul. repet. dict. Nou. 8. de quo vide Iod. Damhauder. in prax. crim. c. 131. & Bernh. Zieriz. h.* Ratio † cur judices criminales promittere debeant obseruantiam 12.
Carolinæ pœnalis, est ista: quia leges in viridi obseruantia semper esse debent, *L. Arriani 5. §. cunctis quoque C. de haretic.* & frustra leges feruntur, nisi etiam religiosè obseruentur.

Ratio † cur omni juramento adijciatur clausula: sine frau- 13.
de & dolo, trewlich vnd vngefährlich/ est ista: ne is, qui jurat, vtatur

vtatur verborum fallacijs, æquiuocationibus & fraudibus, quibus religionem jurisiurandi eludat.

14. Ratio † denique: cur addantur iſta verba: ſic me DEVS adiuuet, & hæc ſancta DEI Euangelia, eſt hæc: quia juramentum eſt inuocatio DEI, & iurare eſt Sacramentum præſtare: *vide VVeſenb. n. 2. & 3. ff. de jurejur.* cum itaque apud Chriſtianos ſanctiſſima habeantur Euangelia, ideo poſtquam Auguſti Chriſtianam religionem profiteri ceperunt, moribus receptum fuit, vt tactis ſacroſanctis Euangelijs jusiurandum præſtaretur, *L. rem non nouam C. de judicijs. auth. ſed judex C. de Epiſcop. & Cler. Nou. 8. tit. 3. Bernhard. Zieriz. h.* De iure Bauarico iuramento hoc adijcitur, quod æquè ſecundum Bauaricam, atque Carolinam ordinationem procedere & iudicare, & id, quod in illa amplius prouiſum, vel in quo Carolinæ derogatum eſt, præcipuè attendere velint *tit. 1. art. 4.* vbi Ratio: quia CAROLVS ipſe in ſua præfatione Electoribus, & Principibus, & ſtatibus imperij reſeruauit rationabiles ſuas conſuetudines, ad quas Sereniſſimus Elector in ordinatione ſua potiſſimum reſpexit. Atq; hæc de formula juramen-
15. ti noſtrorum iudicum criminalium. Quænam † autem tempore Iuſtiniani fuerit vſitata, vide *in L. rem. non nouam* 14. *C. de judicijs. & Nouella 8. tit. 3. rub.* iusiurandum quod præſtatur ab his, qui adminiſtrationem recipiunt, &c. ea enim digna eſt, quæ
16. legatur. Quæ à Theodoſio † Imperatore fuerit præſcripta, & ab ijs, qui ad honores & officia accedebant, præſtanda, vide in
17. *L. 6. C. ad L. Iul. repet.* de iuramento † à judice & aſſeſſoribus
18. Cameræ Spirenſis *vide ordinat. p. 1. c. 57.* De iuramento † parium
19. curiæ, Schrader. *de feud. p. 10. ſect. 11. n. 127.* De alijs † formulis apud veteres Romanos receptis Gell: *1. noct. Attic. cap. 21.* Briſſon. *8. de form. pop. Roman.* Tertull. *in Apologet. c. 32.* quos citat Bernhardus Zieriz. h.

De

De iuramento Assessorum vel Scabinorum.

ARTICVLVS IV.

SVMMARIA.

1. Assessores iudiciorum criminalium quale iuramentum, & quare praestent? 2. 3. 4.

PRæter judices † & præsides judiciorum publicorum debent etiam omnes ij, qui officio assessorum, consiliariorum, siue senatorum funguntur, & qui iudici in iudicio ad causam rectè cognoscendam assident, iuramentum præstare. Ratio: † quia omnes illi, qui assumuntur in causarum & controuersiarum definitionibus, iurare debent, quemadmodum ad longum plurimis allatis exemplis pulchrè ostendit Ludolphus Schrader. *in tr. de feud p. 10. sect. 11. n. 105. cum seqq.* ita vt nec assessores Cameræ Imperialis sint liberi & immunes, & Imperator ipse tempore electionis factæ teneatur iuramentum præstare de administrando iustitiam & rectè iudicando. Ergo ab hoc iuramento non liberabuntur assessores iudiciorum capitalium. 1. 2.

Debent † igitur prætori siue iudici criminali iuramentum prælegenti iuratò promittere, sub hac forma: Iuro me in causis " poenalibus iudicaturum & sententiam rectè dicturum (votando " nimirum) pauperi æquè atque diuiti, neque id intermissurum ex " amore, odio, vel ex ob munera, aut dona, vel ex vlla alia causa: Ac " præcipuè me CAROLI V. Imp. & sacri Imperij poenalem consti- " tutionem fideliter obseruaturum, & pro captu & intellectu meo " defensurum, sine fraude & dolo. Sic me DEVS adiuuet, & hæc " sancta DEI Euangelia. Rationes † huius iuramenti eædem sunt, quæ superioris, quibus adde pulchra verba, quæ Bernhardus Zierizius hoc loco ex Zenocaro recitat: sicut sol non alius est inopi, alius locupleti, sed omnibus æquus & communis: ita iudices personam spectare haud debent, sed rem potius, justitiaque & beneuolentia eorum omnibus patere debet. Vtrum autem hoc iuramentum remitti possit, vide apud dictum Zierizium, vbi 5. rationibus motus negat. 3. 4.

D De

De iuramento actuarij, scribæ, siue notarij.

ARTICVLVS V.

SVMMARIA.

1. Scribæ judiciorum quomodo appellentur? & quod eorum officium? 2. quæ illorum necessitas. 3. & vtilitas. 4.

5. An debeant esse jurati? 6. quomodo jurent? 7. & quare? 8. Scribæ officio quid incumbat? remißiue.

1. DEbent & † solent iudicibus & assessoribus iudicij criminalis adiungi etiam scribæ, qui omnia coram illis gesta & acta annotent, consignent, atque in scripturam redigant, vnde etiam actuarij, notarij, signatores, libellenses, tabularij, & scrinarij appellantur, de quibus est textus *in L. curent. 22. & ibi gl. ff. de testib. L. in fraudem 45. §. quoties. 7. ff. de jure fisci L. gesta 6. junct. gl. v. gesta C. de re judic. L. præcipimus 32. §. nostri verò libellenses C. de appellat. L. 3. C. de tabul. scrib. c. quoniam 11. ext. de probat. c. ad audientiam 13. ext. de præscript.* Solent illi ipsi in iure nostro quandoque vocari Cancellarij, *L. consiliarios 3. L. nemo 5. & L. nullus judicum 8. C. de assessor domestic. & cancellar. jud. vbi*
2. *Gothof.* Rationem † horum reddit Ludolph. Schrader. *p. 10. sect. 16. n. 11.* vbi ait: quod propter dolum, fraudem, falsitatem & iniquitatem euitandam legibus hoc introductum sit, quod iudices de aliqua causa cognoscentes adhibere debeant scribam judicij, qui vniuersa acta conscribat, *c. quoniam contra. in pr. vbi Dd. ext.*
3. *de probat.* Ratio alia: quia † longinquitate temporis rei memoria perit, *c. longinquitate 64. caus. 12. q. 2.* & veritas rei gestæ per scripturam facilius probatur, *L. contrahitur 4. ff. de pignor.* Ra-
4. tio † adhuc alia habetur in *c. quoniam 11. ext. de probat.* vt si super processu iudicis fuerit suborta contentio, per hoc possit veritas declarari. Iam itaque

5. QVÆSTIO † est: vtrum etiam isti scribæ debeant esse iurati? ad quam Respondetur affirmatiuè. Ratio: quia omnes, quibus committuntur scripturæ faciendæ, debent iurare, se fideliter & legitimè, quæ sui sunt officij, executuros. Ergo etiam electi vel deputati ad munus, vel officium scribæ actorum, debent præstare iura-

te iuramentum, quod ipsi velint officium suum fideliter & legaliter exercere, quia ipsis tamquam iuratis postea creditur, & ipsorum annotationi fides habetur, *per text. in c. ad audientiam vers. cum juratus sit & ibi Dd. ext. de praescript.* Ludolph: Schrader. *p. 10. de feud. sect. 11. n. 113. idem ibid. sect. 16. n. 39. & 40.* vbi tota illa *sect. 16.* multa vtilia de his scribis congerit.

Sed iam † vlterius quaeritur: in quam formam debeat iurare? ad hoc respondet Imp. praescribendo formulam talem: iu- 6.
„ ro me in causis criminalibus diligenter attendere, accusationes „
„ & responsiones, nec non indicia, suspiciones, praesumptiones & „
„ probationes, item confessiones rei, & quicquid agetur, fideliter „
„ annotare, custodire & si opus fuerit, recitare velle, neque vlla „
„ fraude vti. Cumprimis autem CAROLI V. Imp. & Sacri Imperij „
„ constitutionem criminalem, & omnia ad eam rem pertinentia „
„ fideliter seruare, & quantum mihi incumbit promouere & adiu- „
„ uare. Sic me DEUS adiuuet, & haec sancta DEI Euangelia. Ratio † 7.
huius juramenti eadem est, quae superiorum. Cum enim vnusquisque in officio suo debitam diligentiam & fidelitatem debeat adhibere: expedit etiam ad eam excitandam in principio iuratò promittere. Quid † autem in specie incumbat officio actuarij, 8.
id infra *artic. 181. item artic. 15.* plenius exponetur, interim videatur, *c. quoniam 11. extra, de probat.* Gothof. *ad L. nullus 8. C. de assessor.* ius Bauar. Malefitz proceß/ *tit. 1. art. 6.*

De captura reorum ex officio magistratus.

ARTICVLVS VI.

SVMMARIA.

1. Continuatio. 2. Summa huius articuli.
3. Quaestiones inde prodeuntes.
4. Ad capturam & incarcerationem quid requiratur?
5. Cur diffamatio publica, vel alia verisimilia indicia. 6. & 7.
8. Ad capturam an qualiscunque diffamatio sufficiat?
9. Quid judex expendere debeat? & n. 10.
11. Ad famae probationem quot testes sint necessarij.
12. Ad capturam an sola diffamatio idonee probata sufficiat? 13.
14. an verò praeterea quaedam

alia indicia? 15. & qualia requirantur? 16. distinctio juris Bauarici. 17. 18. 19.

20. Quid amplius requiratur ad torturam, quam ad capturam?

21. Capturam pracedere debet aliqualis informatio. 22. citra quam judex iniuriarum tenetur. 23.

24. Ad torturam requiruntur legitima & sufficientia indicia.

25. A tortura non est incipiendum. 26. ne quidem in grauissimis delictis.

27. Tortura quam sit res grauis.

28. Tortura non habet locum, nisi in delictis grauioribus, trahentibus post se pœnam corporis afflictiuam. 29.

30. Tortura an nunquam locum habeat deficientibus alijs indicijs?

31. Indicia ad torturam sufficientia debent facere semiplenam probationem.

32. Tortura inferri non potest, nisi constet de corpore delicti. 33. exempla. 34. limitatio. 37.

35. Condemnari reus nequit, nisi constet de corpore delicti.

38. De corpore delicti constare non debet in ijs, quæ nulla relinquunt vestigia, & quibusdam alijs.

39. De corpore delicti quando & quomodo constare debeat, antequam ad capturam, torturam vel condemnationem procedatur.

1. HActenus † de officio iudicis, assessorum, & scribarum fuit actum: nunc Imperator ad accusatorem & reum descendit, & quia reus subinde ad instantiam accusatoris, subinde ex officio magistratus vinculis mancipatur, ideo quid in vtroq; casu juris, & judicis officium sit, ostendit. Antequam autem ad vlteriora progrediamur, monitum volumus lectorem, ordinem sequentium articulorum non semper satis esse concinnum, & aliquando nigrum non satis aptè respondere rubro, quod inde fortassis factum est, quia plures compilatores operam suam in vnum contulerunt, & à collectore sine debito ordine & connexione postea collocati fuerunt. Quam ob causam rubricam subinde omittemus, & totam Carolinam, iuxta ordinem Imperatoris, annotationibus nostris declaratam, postea in Summam & meliorem ordinem redigemus, totumque articulorum numerum ad decem capita reuocabimus. Hoc autem loco id statuit
2. Imperator: Si quis † ob delictum publicè sit diffamatus, vel alijs verisimi-

verisimilibus indicijs ſuſpectus, & ita oneratus, vt propterea per ,,
magiſtratum ex officio capiatur, quod is tamen non prius tor- ,,
turæ ſubijci debeat, quam legitima & ſufficientia indicia, & præ- ,,
ſumptiones illius delicti, contra ipſum probentur. ,,

Ex quibus † verbis duæ potiſſimum quæſtiones prodeunt. 3.
Prima eſt: quidnam requiratur ad hoc, vt aliquis tanquam reus apprehendi, capi, & incarcerari poſſit? Secunda: quidnam neceſſarium ſit ad torturam reo inferendam? Ad primam † 4.
quæſtionem quod attinet, multi iuris interpretes exiſtimant, in cauſis criminalibus ſemper incipi poſſe à captura, quod plerique etiam intelligunt, iudici licere indicijs non præcedentibus; vide eos apud Mynſ. *cent. 5. obſ. 69. n. 1. & 2.* relatos. Verùm † Imp. 5.
CAROLVS in hoc noſtro articulo manifeſtè contrarium decidit, & voluit, vt præcederet vel diffamatio publica, vel alia veriſimilia indicia, præſumptiones & ſuſpiciones. Ratio quoad † dif- 6.
famationem eſt: quia fama publica vicem accuſatoris ſupplet, *c. inquiſitionis 21. §. tertia c. cum oporteat 19. c. qualiter 24. §. debet igitur. ext. de accuſat.* Sicut ergo inſtante accuſatore, (& cæteris concurrentibus) reus capi poteſt, vt inf. *artic. 11.* videbimus: ita quoque fama volante, & diffamatione præcedente. Ratio quoad † indicia: quia vtique non ſemper expectandum eſt, an & 7.
quid fama publica loquatur, ſed etiam indicia & præſumptiones interdum ſunt loco diffamationis, *Bernhard. Zieriz. h. v. vel alijs.*

Sufficitné † autem qualiſcunque diffamatio ad capturam? 8.
Reſpondetur quod non. Nam non quælibet vana vox populi pro diffamatione haberi debet, & non omni verbo, vel cuilibet rumuſculo credendum, *Bernhard. Zieriz. h. v. ob delictum diffametur.* Rationem reddit Poëta, dum ita canit:

Fama malum, quo non aliud velocius vllum,
Mobilitate viget, vireſq; acquirit eundo.

Debet † itaque iudex expendere famæ publicæ qualitates, videli- 9.
cet, qua occaſione orta ſit, an ab integris & fide dignis originem traxerit, *c. inquiſitionis. 21. §. f. ext. de accuſat. Bern. Zieriz. h.* an verò ab hominibus ebrioſis, aliaúe leui plebecula ſurrexerit, an ex inimicis, an ex aduerſarijs, maleuolis &c. Iodoc: Damhaud. *in prax. crim. c. 9. n. 2. 3. 4.* vbi *n. 5.* addit, † omnem diffamationem 10.

inquisitione dignam debere nasci ex viris probis, morum grauitate constantibus, nullo vitio, nullaúe alia circumstantiâ suspectis, *c. qualiter & quando 2. c. cum oporteat. ext de accusat.* Ergo multò magis ita comparata debet esse fama incarceratione digna: quia plus est capere & incarcerare, quam tantùm contra aliquem inquirere. *ius Bauaric.* in der Malefitzproceß ordnung *tit. 2. artic: 2.* vide notata *inf. artic. 25.* Quot † autem testes ad famæ probationem sint necessarij, vide apud Damhauder. *loc. cit. n. 11. & seqq.*

11\.

12\. Sufficitné † autem sola diffamatio alioquin idoneé probata? Videri † posset, quod sic: quia CAROLVS Imp. in hoc nostro articulo sub disiunctione ponit aliquē captum esse, vel quia publicè diffamatus, vel quia alijs verisimilibus indicijs grauatus & suspectus redditus fuit: ad disiunctiuæ autem veritatem sufficit alterum impleri, *§. si plures f. inst. de hered. inst.* Sed † hoc non attento rectè mihi videtur sentire Damhauder. *loc. cit. n. 7.* quod fama sola nihil efficiat, sed quod debeat esse alijs indicijs suffulta, & Bernh. Zieriz. *b.* quod debeat esse subnixa aliqua coniectura idonea. qualis est, si reus sit leuis vel vilis conditionis leichtfertige argwöhnische Person/ *ius Bau: art. 2. tit. 2.* & communiter habitus pro tali, vt eiusmodi delictum commissurus censeatur, das manns jhm ins gemain zutrawe/ nit nur von jhm außgebe/ atque ita intelligo verba geminata, durch gemainen Leinmueth/ id est, per vulgarem opinionem diffamatus. Ratio mea est ista: quia viri etiam honesti quandoque à maleuolis traducuntur & diffamantur: si ergo diffamatio sufficeret, etiam illi periculo capturæ & honoris exponerentur. Item quia reus non potest incarcerari, etiam petente accusatore, nisi prius delictum & eius legitima indicia & suspiciones indicet, *artic. 11. inf.* Ergo neque fama præcedente, quæ accusatoris vicem sustinet.

13\.

14\.

15\. Sed qualia † indicia sunt necessaria ad capturam? Imp: in textu nostro respondet verisimilia, glaubwürdige anzaigung. Vnde aliqui ex Doctoribus putant, sufficere qualiacunque, etiam non adeo idonea, vel probabilia, communia & vulgaria indicia tantum, seu simplices coniecturas & præsumptiones, gemaine vermuetungen vnd argwohn/ *ius Bau. loc. mox citando.* Dominus Waizen-

Weizeneg. *diss: 6. c. 8. n. 120.* tradit, ad capturam regulariter leuiora indicia desiderari, quam ad torturam, & *n. 121.* iudicis arbitrio relinquendum censuit, quæ indicia ad capturam singularum personarum sufficiant.

Verùm † Serenissimus Elector noster in der Malefitz proceß Ordnung *tit. 2. artic: 2.* notauit, hunc nostrum articulum non plenè prouidisse (quod indicant verba thails vorsehen ist) proinde eum declarauit, & hanc distinctionem, adhibere iussit: vtrum persona aliàs sit leuis & suspecta, an verò integræ famæ, & apud omnes pro honesta habita. 16.

Personas † aliàs honestas noluit apprehendi, & capi, nisi præcedant sufficientia, & legitima indicia: es seyen dann wider dieselbe gnuegsame rechtmässige Vermutungen vnd Anzaigungen vorhanden. Rationem † reddit sua Serenitas *loc. cit.* talem: licet enim ad inquisitionem (præparatoriam & informationem) non sit necesse, vt adeo fortia & propinqua indicia habeantur, sed simplices coniecturæ, gemaine Vermuethungen/ sufficiant: tamen fortiora indicia & præsumptiones requiruntur, (ad pleniorem inquisitionem, quæ tunc initium sumit) quando puncta alicui pro sua responsione traduntur, vel aliquis in carcerem mittitur: tunc enim honor rei captiui notabiliter diminuitur. *confer Summam c. 2. n. 34.* Vnde Weizenegger *loc. cit. n. 120.* testatur, vsu obtinuisse, vt nemo facile prius in carceres compingatur, quam indicijs ad tormenta sufficientibus vrgeatur, per Rationem: quia solus carcer vehementer infamat, & sunt, qui mallent vitæ, quam eiusmodi famæ iacturam facere. Nec infamia ita contracta, vt plerique sibi persuadent, facile purgatur, nisi manifesta calumnia, propter quam innocens carceribus mancipatus fuit, etiam in vulgus notissima sit. Rationem aliam reddit Fichard. *vol. 2. consil. 108. n. 3.* §. auß dem: ad quid enim iudex aliquem caperet, si ob defectum indiciorum & probationum vlterius ad torturam procedi non posset? nisi delictum nimis notum sit, & fuga rei timeatur. Itaque Limitatur † nisi periculum fugæ subsit. *ius Bauar: & VVeizenegg loc. cit.* Ratio: quia vbi periculum in mora est, ibi receditur à regulis iuris communis *L. de pupillo 5. §. si quis riuos, 11. cum duob. seqq ff. de non. op.*

17. 18. 19.

non. op. nunc. vide Gail. I. obs. 102. n. 6. & seqq. id. 1. obs. 13. n. 4. Ergo etiam à prædictis requisitis recedi, & reus apprehendi potest, antequam conditiones ad carcerandum requisitæ impleantur.

20. DICES: † si ad capturam, requiruntur præter famam indicia, tunc quoad hoc nihil interest inter capturam & torturam: quia etiam ad torturam sufficit fama cum alijs indicijs, & adminiculis. ad hoc Respondetur: quod ad torturam requirantur indicia magis propinqua, & plenè probata: ad capturam sufficiant magis remota. Sic diffamatio cum leuitate vitæ ex dictis *supra n.* 14. ad capturam sufficit, non item ad torturam, iuxta notata in Summa criminali *c. 4. n.* 13. Aliæ differentiæ posthac seipsas prodent. Vnde autem sumenda sint indicia, infra suis locis penitius examinabitur, pro hic & nunc sufficit generalem aliquam notionem, vel præuiam inspectionem habuisse, vide interim Zanger. *in tract. de quæst. seu tort. reorum c. 2.* & Damhaud. *c. 36.* vbi plenius hæc ipsa examinant, Nicol. *Vigel. M. I. R. lib. 1. c. 10. reg. 3. cum seqq.*

21. Finio † itaque hanc quæstionem, & cum *Mynſ. cent. 5. obs. 69. n. 2.* concludo: quod capturam in criminalibus præcedere debeat aliqualis informatio per *L. 1. ff. de custod. & exhib. reorum.*

22. vbi *n. 5.* rectè † INFERT: si iudex omissâ illâ informatione carceri mancipârit, quem non debuit, contra ipsum iniuriarum agi posse. Ratio: quia nec magistratibus licet aliquid iniuriosè facere, *L. 32. ff. de iniur:* atqui innocentem in carcerem rapere sine præcedentibus indicijs, & omissâ circumstantiarum consideratione, non est leuis iniuria, Rosbach. *prax. crim. tit. 1. c. 14. n. 7. & 14.* Damhaud. *c. 15. n. 8. & c. 20. n. 2.* quia carcer est mala mansio, sordida, & infamis. *L. si hominem 7. in pr. ff. depositi. Gail. 1. obs. 26. n. f.* imò species tormenti, *L. item apud 15. §. quæstionem 41. ff. de iniur.* item quia iudex excedens fines sui officij iniuria-

23. rum tenetur. *Gothof. ad d. L. 32.* Vide Fridericus † Schenck. *tom. 1. viridar. concluſ. iurid. concluſ. 98.* vbi testatur, in Camera Imperiali in causa Petri Quettinck contra ciuitatem Coloniensem, magistratum propter iniustæ carcerationis iniuriam condemnatum

tum fuisse in sexcentos aureos. idem tradit Mynſ. *cent. 5. obſ. 69. n. 6. Zieriz. inf. artic.* 21. *Berlichius p 4. concluſ. 4. n. 42.*

Ad † SECVNDAM QVÆSTIONEM RESPONDET Imp. quod ad torturam procedendum non ſit, priusquam argumentis quibusdam reus ſit ſuſpectus, & indicia extent ad torturam ſufficientia & legitima, *text. h. & in L.* 1. §. 1. *L. vnius* 18. §. 2. *L. vlt. ff de quæſt. L. milites* 8. §. *oportet C. eod.* Ioan: Zanger: in *tract. de quæſtion: ſeu tortura reorum c.* 1. *n.* 38. Weſenb. *in parat. n.* 6. *ff. de quæſtion:* vide de hoc ad longum Farinac. *q. 37. per tot. &* tradita inf. *artic. 20.* Vnde † pro Regula traditur, quod in ipſo cauſæ initio non ſit à quæſtionibus inchoandum, *c. cum in contemplatione 6. ext de R. I.* ſiue quod à tormentis non ſit incipiendum, *L.* 1. *in pr. L. maritus* 20. *ff. de quæſtion:* AMPLIA † etiam in grauiſſimis delictis, quale eſt crimen læſæ Maieſt: poſt Bald. & gloſſ: *in L. ſi quis* 3. *C. ad L. Iul: Maieſt. Zanger. loc. cit. Octauian: Cacheran: deciſ.* 79. *n.* 14. *Zieriz. ad artic.* 11. *Farinac. d. q. 37. n. 79.* & maleficij, Weizenegg. *diſſ. 6. c. 9. n.* 136. Ratio † eſt: quia non temerè veniendum eſt ad membrorum illam diſſolutionem; quia tortura magni præiudicij eſt, & grauior, quam ſit relegationis pœna, *VVeſenb. in parat. n. 5. ff. de quæſtion:* grauior quam vtriusque manus abſciſſio, *text. in Nou:* 134 *c.* 13. *in pr. VVeſ. loc. cit. Ioan: Emeric. à Roſbach. in prax. crim: tit. 5. c.* 18. *n.* 2. *Bernh. Zieriz. h.* Ant. Capyt. *deciſ. 126.* & cum corpus laceret, ipsâ fere morte durior, *VVeſenb. loc. cit.* cum experientia teſtetur, plurimos in ipſa tortura immodica mortem obijſſe, propter extremas corporis anguſtias & cruciatum, *Zieriz. h.* Quæ ipſa † cauſa eſt, quod tortura non habeat locum, niſi in delictis grauioribus, quæ pœnam torturâ maiorem, adeoque corporalem, vel corporis afflictiuam, ein Leibsſtraff poſt ſe trahunt, maiorem perpetuâ relegatione, qualis eſt fuſtigatio, Eman: Soarez. *comm. opin. lit. Q. n. 1.* Ant. Capyt. *deciſ. 126. num. 5.* Thom. Grammatic. *deciſ. 21. inf.* Weſenb. *in parat. n. 5. ff. de quæſt.* vnde memini ſæpe in Facultate noſtra concluſum, torturâ ſuperſedendum eſſe, quando delinquens (etiam confeſſus vel conuictus) non maiori, quam relegationis pœnâ fuiſſet afficiendus. Ratio: quia † cum relegatio nullum cruciatum corpori inferat, iniquiſſimum & abſurdiſſi-

24.
25.
26.
27.
28.
29.

mum fuerit, probationes criminis quærere ac decernere, quæ ipsâ pœnâ crimini debitâ sint acerbiores, *VVesenb. d. n. 5. v. quod & ipsum*, & quia media non debent esse acerbiora fine. *vide jus*
30. *Bauaric. tit. 3. art. 9. & Summam nostram. c. 5. n. 6.* Vtrum † autem homo malæ conditionis & famæ, solitusque delinquere, item reus ob contumaciam condemnatus, vel in flagranti crimine deprehensus, possit etiam deficientibus alijs indicijs torqueri, vide apud Iul. Clarum *recept. sent. §. f. quæst. 64. n.* 10. 11. *& q. 8. n. 2. vide Summam c. 5. n.* 14.

31. Quænam † autem indicia ad torturam inferendam sufficiant, vel non sufficiant, videbimus inf. *art.* 18. *& seqq.* Interim videatur Damhaud: *prax. crim. c. 36.* Wesenb. *loc. cit. n. 7.* vbi concludit, indicia non esse ad torturam sufficientia, nisi faciant semiplenam probationem.

Ad §. Darzu soll auch.

32. IN præcedenti † paragrapho Imp. tradidit vnum requisitum ad torturam necessarium, videl: vt præcedant legitima & sufficientia indicia: in hoc paragrapho recenset alterum, videlicet, vt constet de ipso delicto. sic enim ait: Præterea debet quilibet iudex in his magnis & arduis causis ante torturam, quantum possibile est, & pro ratione cuiusque delicti fieri potest, inuestigare & diligenter inquirere, vtrum delictum, vel maleficium illud, propter quod reus incarceratus diffamatus, vel suspectus est, commissum sit, nec ne, sicut in hac nostra ordinatione amplius inuenietur.

33. Itaque hoc † loco iterum pro Regula traditur: quod ad torturam non deueniatur, nisi constet de delicto, *text. h.* & in *L.* 1. *§. item illud 24. ff. ad SC. Sillan. Dd. ad L. inde Neratius §. f. ff. ad L. Aquil. Ioan. Emeric. à Rosbach: prax. crim. tit. 5. c.* 13. *per tot. jus Bauaric. tit. 5. art. 7.* Prius enim de delicto, quam de reo quærendum, *Rosb. tit. 1. cap. 8. n. 5.* vide Prosp. Farinac. *prax. & theoric. crim. q. 1. n. 6.* Vnde diligenter inuestigari & inquiri debet, vtrum delictum, propter quod reus suspectus est, commissum
34. sit, nec ne, v. g. † si quis insimuletur homicidij, debet constare de homine mortuo, & cadauere, nec non de vulneribus: si furti, debet

debet constare de rebus ablatis, *Anton. Gomez. var. resol. tom.3. c.9. n.1.* & hoc est, quod dicere solemus, debere constare de corpore delicti. Quod † si necessarium est ante torturam, adhuc multò magis necessarium erit ante condemnationē, *Bernh: Zieriz.h.* 35.
Vnde in bene † constitutis iudicijs semper videmus, (præsertim apud nos in Bauaria,) quod non stetur simpliciter confessioni malefactoris, sed quod de corpore delicti plena informatio & inuestigatio fieri soleat, das man zuuor aigentliche Erfahrung einziehet / ita vt illi, quibus res furto dicitur ablata, vel aliter nocitum, sub iuramento prius audiantur. 36.
An autem † semper & indistinctè de corpore delicti constare debeat, & an nunquam reus sit torquendus, priusquam constet, an crimen sit commissum, vide apud Iul. Clar. *§. f. q. 4. q. 64. n. 3. q. 66. in pr.* Farinac. *q. 2. per tot.* Rosbach. *loc. cit. n. 4.* vbi de latronibus dubitat. 37.
Vna LIMITATIO † desumi potest ex verbis textus nostri, dum Imp. ait: quantum possibile est, pro ratione cuiusque delicti. Nam subinde delicta sunt ita comparata, vt nulla post se relinquant vestigia, quo in casu corpus delicti inuestigari non potest, & nihilominus ad torturam procedi. Ratio: qui aliàs multa delicta impunita transirent. Vnde textus & regula prædicta procedunt in delictis facti permanentis, non verò facti transeuntis, vide Iul. Clar. *§. f. q. 4. n. 3. & 4.* vbi exempla ponit in adulterio sine fractura: in percussione, quæ fit sine liuore; in iniurijs verbalibus, vide Bernhard. Zieriz. h. vbi exemplificat in sagis & veneficis. Confer jus Bauaric. *tit. 3. art. 7.* vbi excipit crimen falsi, adulterij, Sodomiæ, hæresis, & magiæ, item fures famosos, crumenæ sectores, prædones, grassatores, latrones, & alia delicta, quæ clam committi solent, & difficulter probari possunt. 38.
Plenius autem † videri potest Prosper Farinac: *q. 2 per tot.* vbi ad longum & accuratè examinat, quando & quomodo iudici constare debeat de corpore delicti, antequam procedat ad inquisitionem, capturam, torturam, & condemnationem. 39.

Vt iudices in dubijs peritiores consulant.

ARTICVLVS. VII.

SVMMARIA.

1. *In dubio, quando non constat, an indicia sint sufficientia ad torturam, requirendus superior magistratus, vel Icti.* 2.
3. *in Dubijs iuris ad Principem recurrendum.*
4. *Peritiores consulendi.* 5.
6. *Consultationes debent fieri, cum aliqua facti informatione.*

1. QVÆRITVR † in hoc articulo: quid si judices & assessores
" dubitent, vtrum satis suspicionum, coniecturarum, &
" indiciorum adsit ad torturam infligendam, vel non, quid
2. tunc facere debeant? Ad quod † Respondet Imperator, quod debeant Principem vel Superiorem magistratum, cui in illo loco jurisdictio criminalis immediatè competit, requirere, vel illos, de quibus in fine huius criminalis constitutionis habetur, (id est Iurisperitos in Academijs, ciuitatibus, vel communitatibus vicinis constitutos) consulere, in his autem relationibus & consultationibus eos omnium circumstantiarum, & qualitatum in scriptis
3. certiorare. Ratio † quoad Principem est: quia in dubijs juris causa ad Superiorem remittenda, & quid seruari debeat exquirendum. *L. 1. §. f. C. de LL. L. 9. C. eod. L. 1. & tot. tit. C. de relat.* Sic Imp. Iustinianus *in Nou. 12. c. f.* expresse disposuit: si quid iudices putauerint esse dubium, damus eis licentiam, de his nunciare nobis, & consulere nos, vt discant, quæ necessaria sunt, & ita quod agendum est, explicent, & faciant justa simul & rationabilia iudicia. idem in *Nouell. 113. c. 1. v.* si verò, inquit, aliqua dubitatio iudici de aliqua fiat lege, nunciet ad nostram potestatem, & à nobis expectet causæ scriptæ declarationem, aut interpretationem, & secundum eam decidat litem. Ratio rationis: quia Imperator est lex viua in terris, *§. f. in auth. de consul. Gail. 1. obs. 42. n. 3.* & eius est interpretari legem, cuius est condere, *c. inter alia 31. ext. de sent. excommun.*

4. Ratio † quoad jurisperitos per se est nota: quia cum ignorantia juris neminem excuset, *L. regula 9. in pr. & §. quis 3. ff. de jur.*

jur. & fact. ign. præsertim judices: ideo si ipsi non satis periti sunt, peritiores consulere debent, *L. in bonorum 10. ff. de bon. poss. c. f. dist. 37.* & quidem Iurisconsultos, quia cuilibet in arte sua credendum. *vide Dd. ad c. proposuisti 4. ext. de probat.* Hinc † passim per totam istam nostram Carolinam remittuntur iudices, & assessores criminalium iudiciorum, in causis dubijs ad collegia Vniuersitatum, ad consilia sapientum, ad scabinatus in ciuitatibus celebrioribus, & alijs locis, quemadmodum etiam in tota Bauaria, antequam sententia feratur in causa capitali, plerumque judices ad nostram Facultatem Iuridicam remittuntur, vel ipsi à nobis consiliũ mutuantur. 5.

Ratio † cur Imp. velit, quod consultationes debeant fieri cum aliqua (& quidem dilucida) facti informatione, seu annotatione rerum malè gestarũ, cum debitis circumstantijs, est hæc: quia non sufficit in abstracto casum aliquem metaphysicum ponere, sed necesse est omnes circumstantias personarum, temporum & locorum annotare. Nam varia statuuntur ex loco & tempore, *argt. L. 1. § meritò 2. ff. depositi,* & quælibet minima facti varietas ius reformat, *L. interpositas 13. C. de transact. L. si ex plagis 52. §. 2. ff. ad L. Aquil.* quod imperiti iudices non bene semper perpendunt, & non omnes ex bona fide elogia scribere norunt, *L. Diuus 6. in pr. ff. de custod. & exhib. reorum.* plura de hac consultatione vide infra *art. 28.* 6.

ARTICVLVS VIII.

SVMMARIA

1. Modus procedendi per viam inquisitionis, vel denunciationis. & n. 2.
3. Tortura non in mero judicum arbitrio consistit.

QVÆRITUR † in hoc articulo, (sed subobscurè): quid si iudex ex officio magistratus per viam inquisitionis, vel denunciationis, reum diffamatum, vel alijs verisimilibus conjecturis, præsumptionibus, & suspicionibus oneratum, apprehenderit, & delictum, quod capitale supplicium meretur, notorium sit; vel indicia legitima & vrgentia, de quibus *in artic. 6.* dictum fuit, contra reum extent, quomodo tunc vlterius procedendum? 1.

2. Ad hoc † Respondet Imp. quod is ipse modus in tortura, & exploratione veritatis, item in condemnatione post habitam rei confessionem seruandus sit, qui paulò post contra reos ad instantiam accusatoris captos præscriptus inuenitur. Ne igitur esset necesse bis idem dicere, & repetere, voluit Imp. judices ad sequentia remittere. Paria enim sunt aliquid exprimere, vel relationem ad alibi expressa facere, Gail. *1. obs. 12. n. 26.*

3. Ideo † autem hoc loco obiter attingere voluit, vt scirent judices illi, qui hominis vitam & mortem juxta æstimant, qui hominem torquere & pila ludere paria esse sibi persuadent, quod tortura non in mero ipsorum arbitrio consistat, sed quod secundum præscripta legum & articulorum criminalium procedere debeant, *vide Bernhard. Zieriz. h.*

ARTICVLVS IX.

SVMMARIA.

1. Modus in probatione & cognitione seruandus, si reus ex officio magistratus apprehendatur. & n. 2. 3. Conuictus licet nō confessus damnari & puniri potest. 4. etiamsi per imperitiam tortus persistat in negatione. 5. non tamen pœnâ ordinaria.

1. QVidsi † autem reus, ex officio magistratus incarceratus, delictum neque sponte, nec habitâ quæstione confiteri velit, & tamen de eo conuinci possit? quid tunc iuris?
2. ad hoc Respondet † Imp. iterum remissiuè, quod in probando & cognoscendo idem debeat obseruari, quod infra *artic. 69.* de reis ad instantiam accusatoris captis dispositum est: videlicet, quod
3. † probationes audiendæ, illisque habitis, & reo conuicto nihilominus ad pœnam procedendum sit. Vide Thomam Grammaticum *decis. Neapol. 8. n. 3.* vbi post Bald. *in c. ad nostram. extra: de probat.* tradit: quod Inquisitus dum testibus & probationibus conuincitur, licet torqueatur, & perseueret in tormentis negando, & nullatenus confiteatur, tamen damnari possit. Ratio-
4. nem † adducit talem: quia iudex per torturam non potest præiudicare veræ probationi, & sic præbere occasionem liberandi inquisitum dignum pœnâ: ille enim, si veritas aliter haberi potest,

ad

ad torturam descendere nequit, *art. 12. n. 13. artic. 45. n. 3.* Ergo imperitè egit. vide Summam nostram *c. 5. n. 7. & seqq.* & confer, infra *art. 16. n. 10. & seqq.* An autem † pœnâ ordinariâ vel extraor- 5.
dinariâ sit afficiendus, vide eundem Grammaticum vbi *n. 8.* putat, non veram & meram pœnam delicti, sed minorem imponendam esse.

ARTICVLVS X.

SVMMARIA.

1. *Summa huius articuli.*
2. *Æquiparantur pœna mortis & perpetui carceris.*
3. *Carcer potest hodie esse loco pœnæ, 5. etiam de iure ciuili, 4. sicut olim de iure canonico.*

QVidsi † verò aliquis plenâ, & indubitatâ probatione con- 1.
uictus, & delicti reus repertus, iuxta hanc constitutionem criminalē, à magistratu ex officio, tandem in corpore vel membris puniri debeat, ita tamen, vt pœna non mortis vel perpetui carceris infligenda sit, quid tunc obseruari debet? ad quod Respondet Imp. idipsum quod infra *artic. 196.* prouisum reperitur. Quæ remissio, sicut nonnullæ aliæ, otiosæ quidem & superuacaneæ videntur. Interim tamen ex hoc † paragrapho no- 2.
tant Doctores duo vtilia. Primum est, quod pœna mortis & perpetui carceris inter se æquiparentur.

Alterum: quod † carceres hodie possint esse loco pœnæ, 3.
saltem in aliquibus casibus. Licet enim carcer de jure communi non sit comparatus ad pœnam, sed custodiam, *L. aut damnum §. solent ff. de pœn: Gail. 1. de PP. c. 1. n. 32.* (excepto casu *L. 1. §. f. ff. de alea lus. & aleat.*) & id etiam Imp. CAROLVS *artic. seq. & artic. 218.* videatur velle: & carceres perpetui reperiantur peculiariter prohibiti esse, *L. mandatis 35 ff de pœnis* Gothof. *ad L. 8. §. solent ff. de pœnis. Dambauder. c. 16. n. 1. & seqq.* nihilominus † 4.
quia carceres perpetui de jure canonico loco pœnæ esse possunt, *c. quamuis. de pœnis in 6.* cum quis perpetuis carceribus mancipatur, macerandus pane doloris, & aquâ tristitiæ, *c forus § f. de VS.* & de consuetudine multorum locorum pro pœna dari solent, Gail, *loc. cit. n. 33.* & ab ipso † Imp. CAROLO in furibus, & alijs, 5.
qui

qui mulctam soluere non possunt, puniendis carcer saltem temporalis permittitur, vt *inf. art. 157.* videbimus, *jus Bauar. tit. 2. art. 7. in fin.* ideo videtur hoc loco, quemadmodum etiam *art. 101.* tacitè perpetuos carceres, (saltem in illis locis, vbi consuetudo rationabilis viget) permittere. vide Damhauder. *cap. 16. n. 1.* & quæ scripsi in patrocino debit. *decad.* 1. *q.* 4. *n.* 5. *& seqq.*

De captura rei ab alio accusati.

ARTICVLVS XI.

SVMMARIA.

1. *Continuatio.*
2. *Accusatori quid olim.* 3. *&* 4. *quare inscriptio ad talionem incubuerit?* 5. *cur abrogata.* 6.
7. *Quid ei hodie incumbat?* 8.
9. *Carcer est mala mansio, sordida, & infamis, species seruitutis.*
10. *Ad capturam non sufficit nuda accusatio.*
11. *Etiamsi accusator ad satisdationem se offerat, vel similem cum accusato custodiam subire velit. Limitatio juris Bauarici.*
12. *Accusatus crimine cum indicijs expositis in carcerandus. Accusatio olim in scriptis tantum, hodie etiam oretenus fieri potest.*
13. *Carcer an indistinctè reis decernendus?* 14. 15.
16. *Carcerari non debet in leuioribus, qui satisdationem offert.*
17. *Et qui satisdare non potest, sua jurata promißioni relinquitur. &* 18.
19. *Satisdatio in grauioribus reum non liberat à carcere. & quare. n.* 20. *exceptis illustribus, nobilibusq́;, & Doctoribus, alijsq́;.* 21. *quod tamen in praxi non seruatur,* 22. 23.
24. *Mulieres de jure non incarcerantur.* 25. *sed de consuetudine.*
26. *Carcer debet esse comparatus ad custodiam, non ad cruciatum.*
27. *Carceres subterranei & tenebricosi improbandi. & quare? n.* 28.
29. *Carceri vni non plures rei includendi. &* 32.
30. *Mares à fœminis separandi. & seqq.*

1. HActenus † Imp. obiter perstrinxit, quomodo judex ex officio ad capturam, torturam, & condemnationem procedere debeat, quando nemo reum accusat: nunc in hoc & sequenti-

sequentibus articulis plenius ostendit, quomodo procedendum sit, quando aliquis se ad accusandum offert. Itaque inprimis

Quaeritur: † quidnam accusatori incumbat, si magistratum vel iudicem imploret, vt aliquem ad pœnale iudicium exercendum, vel ad processum criminalem subeundum, zu strengem peinlichen Rechten capiat, vel publicis vinculis constringat? ad 2.
hoc † Responderunt olim Impp. Honorius & Theodosius *in L. 17. C. de accusat.* quisquis ille est, qui crimen intendit, in iudicium veniat, nomen rei indicet, vinculum inscriptionis arripiat, custodiæ similitudinem patiatur. Sic ergo antiquitus necessarium erat, vt accusator se ad pœnam talionis inscriberet *L. 2. C. de exhib. reis L. 16. & 17. C. de accusat.* hoc est, vt promitteret sustinere talem pœnam, si falsò accusasse deprehenderetur, qualem sustinere debuisset reus, si delictum probatum fuisset. Ratio † 4.
redditur *in d. L. 17.* ne impunita sit licentia mentiendi, calumniantes ad vindictam poscit similitudo supplicij. Ratio alia in *L. si cui. 7. ff de accusat. in pr.* ne facile quis prosiliat ad accusandum, cum sciat inultam sibi accusationem non futuram. *vide VVesenb. n. 5. ff. de accusat.* Verùm † successu temporis desinebant vsur- 5.
pari inscriptiones istæ, & consuetudine passim receptâ nemo accusaturus se ad pœnam talionis inscribere amplius cogebatur, *VVesenb. in parat. n. 5. ff. de calumniat.* Thom: Mezger. *cons. crim. 15. n. 9.* Ratio: ne † metu talionis quis ab accusando deterreatur, 6.
& delicta contra voluntatem legis impunita maneant, *Gothof. ad L. f. C. de accusat.* quod certè fieret, si accusans intelligeret, sibi tantum periculum imminere, crimine non probato, Mezger. *d. n. 9.* Propterea † etiam Carolus Imp. in præs. articulo loco 7.
inscriptionis aliud quidpiam statuit, dum ad quæstionem propositam ita respondet: quod ante capturam debeat accusator delictum ipsum, & legitima eius indicia, & suspiciones, quæ publicam pœnam post se trahant, inprimis iudici exponere. Adeoque † priusquam reus custodiatur, ante omnia necessarium 8.
est, vt accusator iudici delictum referat, seu exponat, (quæ expositio in locum inscriptionis successit, *Nicol. Vigel. meth. Carol. c. 3. q. 1. reg. 1. in f. Bernhard. Zierizius h.* Treutlerus *vol. 2. disput. 9. thes. 3. & disp. 31. thes. 3.* vbi tradit, libellum inscriptionis

hodie accusationis dici, & adhuc in vsu esse, & si supplicij similitudo amplius non teneat, Clarus §. *fin. q.* 81. *v sed quaro.* Deinde vt legitima indicia & argumenta suspicionis contra accusatum demonstret, vel alias probationes exhibeat, ex quibus verisimiliter constare possit, ipsum accusatum huiusmodi delictum
9. commisisse, Thom: Mezg. *cons. crim.* 15. *n.* 26. Ratio: quia † non præcipitanter & inconsideratè qualibet persona honesta carceribus mancipanda est, *Zieriz.* Ratio rationis: quia supra *artic.* 6. vidimus, quod carcer sit mala mansio, sordida & infamis, imò species seruitutis, *Gail.* 1. *obs.* 133. *n.* 3. propter squalorem, solitudinem &c. & quia spoliat carceratum libera potestate fruendi communis aëris, & cœli libertate, in qua natus est, Matth: Colerus *in tract. de processſ. exe. p.* 1. *c.* 6. *n.* 38. Ratio a-
10. lia, cur † non ad nudam accusationē reus sit apprehendendus, sed indicia, præsumptiones, & argumenta demonstranda, habetur in *L. f. C. de accusat.* vbi Impp. Theod. & Honorius dicunt: jubemus, vt quicunq; in discrimen capitis accersitur, non statim reus, qui accusari potuit, existimetur: ne subiectam innocentiam feriamus. Quasi dicerent: innocens nemo erit, si accusasse suffecerit, *Gothof. ibid.* Similiter Constantius Imp. in *L.* 2. *C. de custod: reorum* freni temperiem iudicibus seueris inijciendā putauit, ne quem temerè in carcerem conijciant, vel coniectum detineant.

Ad Versic: Vnangesehen.

11. QVid si † autem accusator sine criminis & præsumptionum expositione, ad satisdationem sese offerat, & vel de prosequenda accusatione cauere, vel similem cum accusato custodiam subire velit, estné tunc statim à captura inchoandum? Imp. respondet negatiuè. Ratio: quia est tanta quandoque hominum malitia, vt etiam cum damno suo innocentium famæ & saluti insidientur. Hoc tamen Limitatur de jure Bau. *tit.* 2. *art.* 2. nisi accusator ostendere possit, periculum fugæ subesse, quo in casu judex petitioni accusatoris in apprehendendo reo satisfacere jubetur, dummodo caueat, si reus innocens fuerit repertus, quod ratione damni & iniuriæ satisfacere velit; in quem euentum etiam judici pœna accusatori infligenda reseruata erit. vide Thom. Mezger, *dict. cons.* 15. *n.* 26.

Ad Versic: Vnd so der.

QVid si † autem accusator crimen cum sufficientibus indicijs 12.
& argumentis suspicionis exposuerit, quænam tunc sunt partes judicis? ad hoc Respondet Imp. quod accusatum debeat in carcerem mittere, & capita accusationis, siue ea, quæ accusator judici proposuit, diligenter consignare & conscribere, Mezg. *d. n. 26.* Ratio prioris est, ne elabi possit, Wesenb. *in parat. num. 1. ff. de custod. & exhib. reorum.* Ratio posterioris: quia memoria hominum labilis est, & omnia verba vsq; ad sententiam definitiuam retinere non potest, propter eorum multitudinem & varietatem, & vt iudici postea constet, an ea, quæ accusator proposuit, sint legitimè probata, & consequenter an reus absoluendus vel condemnandus. Qua de causa de jure antiquo libellus accusatorius in scriptis proponi debebat, *L. libellorum ff. de accusat.* Iul. Clar. §. *f. q.* 12. *n.* 6. vt per hanc solennitatem clarior euaderet probatio. Hodie autem liberum relinquitur accusatori, vel in scriptis, vel per verbalem querelam judici proponere suam accusationem, modò per notarium, vel scribam publicum in scriptis redigatur, *argt. art. 5.* ibi: Klag vnd Antwort auffschreiben / *argt. art. 88. & 89. argt. art. 95.* arg: articuli nostri, verbo ansagen / & ibi: deß Klägers angeben aigentlich auffgeschriben werden. Thomas Mezger *consil. crim. 15. n. 63.* vbi tradit, judicem prudenter facturum, si vtrique tam accusato, quam accusatori iniunxerit, vt (quantum commodè fieri potest) in scriptis procedant, vt eò melius ipse causam examinare, & super ea cognoscere queat.

Sed † an indifferenter omnis hoc modo accusatus custodiæ 13.
tradendus, & incarcerandus? ad hoc Respondet Vlpianus in *L. 1. ff de custod & exhibit. reor.* quod non, sed quod pro qualitate criminis, & personæ, judex custodiam carceris, vel aliam suo arbitrio possit decernere. Iudex † enim reo accusato quoad custodiã 14.
potest parcere, vel pro criminis, quod objicitur qualitate, vel propter honorem, aut propter amplissimas facultates, vel pro innocentia personæ, vel pro dignitate eius, qui accusatur, Frideric Schenck *in viridar. conclus. Iuridic. tom. 1. conclus. 98.* Attentis

itaque his qualitatibus æstimare debet, an accusatus in carcerem sit recipiendus, an militum custodiæ tradendus, vel fideiussoribus committendus, vel etiam sibi, hoc est nudæ suæ promissioni relinquendus. Ratio: quia † perspiciendū est judici, ne quid aut
15. durius, aut remissius constituatur, quam causa deposcit, sed prout quæque res expostulat, perpenso iudicio statuendum, *L. perspiciendum 11. ff. de pœnis*. Ex quo Infert Thomas Mezger *consil. crim. 15. n. 34.* si accusatus sit talis persona, quæ aliàs semper fuit honestæ ac integræ famæ, & de qua non facile potest præsumi, delictum fuisse ab ipsa commissum, tunc si jam dicto modo cupiat, ac velit per fideiussores cautionem præstare, & delictum non sit valde graue & atrox, quod debeat judex huiusmodi cautionem acceptare: secus autem, si accusatns sit persona leuis ac malæ famæ, de qua facile suspicio oriri possit, quod ausa fuisset de-
16. lictum, de quo inculpatur, perpetrare. Itaque † si leue tantum delictum est, quod nullam pœnam corporis afflictiuam post se trahit, vel si judicium ad ciuilem tantum pœnam intentatur, tunc si reus satisdationem præstet, & fideiussores offerat, qui eum judicio sistere & præsentare, aut etiam judicatum soluere promittant, custodiendus non est, *L. D. Pius 3. ff. de custod. & exhib. reorum. c. si Clericos 15. §. f. de sent. excommun. in 6.* Farinac. *q. 30. n.* 61. *& 62.* Mezger. *cons. crim.* 15. *n. 35. VVesenb. in parat. n. 5. ff. d. T. Iul. Clar. §. f. q. 46. n. 6. & 7.* Rosbach. *c. 14. n. 7.* Imo si reus iam est carceratus, liberandus & dimittendus est, si satisdet per fideiussores, de præsentando sese, & in judicio sistendo, Mezger *dict. consil.* 15. *n. 33.* vide etiam Damhaud. plenius distinguentem *c.* 19. *per tot. & c. 20. per tot.* Idipsum etiam de jure Bauarico distinctionem recipit, quam vide *tit. 2. artic. 7.* & in Summa nostra *c. 3. n. 23. & seqq.*

17. Si verò † reus propter inopiam & paupertatem, vel quia fortassis ignotus est, aut propter alias causas fideiussores inuenire non potest, tunc suæ promissioni juratæ committitur, Wesenb. *loc. cit.* Gothof. *ad d. L. 3. v. fideiussores.* vel domi tantum arresta-
18. tur. Ratio: † quia cum hic non agatur de pœna corporali, non subest periculum fugæ, vel si reus etiam fugiat, tamen executio in bonis eius, vel fideiussorum fieri potest. Fugiente enim reo

princi-

principali fideiussor tenetur ad pœnam pecuniariam soluendam, ad quam reus fuerat condemnandus, vide Mezgerum, *dict. cons. 15. n. 36.*

Si verò † delictum graue est, ob quod imponitur pœna corporis afflictiua, tunc neque fideiussoribus, neque militibus reus accusatus committitur, sed in carcerem ponitur, *d. L. 3. ff. de custod. & exhib. reor. d. c. si clericos 15.* Rosbach. *prax. crim. tit. 1. c. 14. n. 9.* Iul. Clar. *§. fin. q. 46. n. 2.* Et hoc modo intelligendus est Imperator in textu nostro, qui loquitur de tali delicto von solcher Missenthat/ die peinliche Straff auff jhm traget/ id est, cui pœna corporalis sit imponenda, hoc enim casu graue crimen dicitur, Iul: Clar. *q. 46. n. 7.* Ratio: quia † cum nemo sit dominus suorum membrorum, *L. liber homo 13. ff. ad L. Aquil.* fideiussores ad eiusmodi pœnam se obligare nequeunt, *VVesenb. n. 4. ff. de fideiussor & n. 5. ff. de custod. & exhib. reor Mezger, loc. cit. n. 36.* Excipiuntur † tamen viri illustres, & amplissimi, in dignitate positi, qui propter qualitatem personæ, jure communi inspecto, custodiæ non mancipantur, sed in causis etiam capitalibus vel fideiussoribus relinquuntur, vel fidei suæ committuntur, vel præstita juratoriâ cautione (de se præsentando, de stando juri, & parendo judicato) dimittuntur, *L. quoties 17. C. de dignit. l. 12.* quod beneficium etiam ad Nobiles, Doctores, ac liberalium artium Professores, imò etiam ad decuriones plerique trahunt, vide *VVesenb. d. n. 5.* vt videlicet incarcerari nequeant, Iul. Clar. *q. 28. num. 4.* Damhaud. *prax. crim: c. 20. n. 11.* vide Mezger. *loc. cit. n. 37.* vbi cum Menochio contendit, esse in arbitrio judicis, etiam in causa criminali, vbi corporis pœna afflictiua est imponenda, recipere fideiussores. Quo in casu fideiussores tenentur ad pœnam pecuniariam, arbitrio judicis taxandam, & ad interesse partis læsæ. *ibid. n. 38.* Confer notata inf. *artic. 14. num. 17. & seqq.* Sed † quidquid sit de iure, contrarium seruat consuetudo, vt scilicet etiam viri Illustres, & in dignitate positi, in grauioribus causis custodiæ mancipentur, Iul: Clarus *d. q. 46. n. 17.* vbi dicit, quod *d. L. quoties* recesserit ab aula, & in practica non seruetur. Ratio † consuetudinis est: quia reatus omnem dignitatem excludit, *L. 1. C. vbi Senatores vel clarissimi, VVesenb. num 10. ff. de*

19.
20.
21.
22.
23.

24. *quaestion.* Sic † etiam mulier de jure communi carceri non mancipatur, sed in monasterium conijcitur, aut alijs honestis mulieribus custodienda datur, *L. 1. C. de off. diuers. jud. auth. hodie C. de custod. reor. Nou: 134. §. necessarium autem. cum seqq.* Ratio: propter sexus pudorem, injuriae custodum, ac captiuorum obnoxium, *VVesenb. in parat. n. 2. ff. de custod. reorum.* vide quae scripsi
25. in *patroc. decad. 1. q. 7. n. 55. & seqq.* Sed idipsum † etiam consuetudine mutatum est, Iul: Clarus. *f. §. q. 28. num. 3.* vbi dicit: quod hodie indistinctè mulieres pro delictis capiantur, & carcerentur, ita tamen, vt carceres mulierum à carceribus virorum separentur. Vide quae scripsi in patrocinio *debit. decad. 1. q. 7.* vbi ad longum examinaui, quinam liberi sint & immunes à carceribus.

Ad Versic: Vnd ist darbey.

26. IN hoc † Versic: declarat Imp. quomodo comparatus esse debeat carcer malefactorum, videlicet vt sit ad continendos & custodiendos homines, non verò ad cruciãdos vel puniendos. ita vt in eo absque discrimine vitae & sanitatis asseruari possint, ius Bauaric: *tit. 2. art. 8.* vide Megzer. *dict. consil. 15. n. 27. Gail. 1. obs. 26. n. 6.* quod etiam Vlpianus in *L. aut damnum 8. §. solent. 9. ff. de poenis* respondit, & Imp. Constantius in *L. 1. C. de custod. reorum.* constituit, vt & cruciatio desit, & reus permaneat sub
27. firma custodia. Quare improbandi † sunt illi carceres subterranei, & tenebricosi, in quibusdam turribus, & vetustis arcium ruderibus extantes, quos vulgò die Diebs/oder Faulthuren appellamus, qui non magis hominibus, quam bestijs & vermibus sunt communes, lucisque priuationem, atque adeo torturae speciem inferunt, de quibus Colerus *de processs. execut. p. 1. c. 6. n. 111.* & Farinac: *in tract. de carcerib. q. 27. n. 2.* vbi talem car-
28. cerem vocat sepulturam viuorum. Ratio † autem decisionis est: quia cum malefactores aliâ poenâ, vel mortis atq; vltimi supplicij, vel aliâ corporis afflictiuâ afficiantur, non debent etiam ipso carceris horrore, squalore, humiditate, frigore, tenebris & inedia affligi. Quia pluribus poenis nemo propter vnum delictum puniendus, *c. & si Clerici 4. §. f. in f. ext. de iudicijs VVesenb. n. 18. ff. de*

ff. de iniur. Compedes etiam, aut alia vincula non statim inijcienda, nisi locus carceris parum tutus sit, vel id singularis ratio suadeat, Weizenegger. *diss. 6. c. 8. n. 185.* vbi hæc in sagis exemplificat.

Ad Versic: Vnd wann auch.

QVid si † plures criminosi sint incarcerandi, anne vni & eidem carceri sunt includendi? Imperator Constantius in *L.* 29.
3. C. de custod. reorum, voluit vt mulieres à maribus in carcere separentur, & vt sexu dispares diuersa claustrorum habeant tutamina. Ratio: ne † dum pro delictis puniendis custodiæ tradimus, nouis delictis occasionem demus: vno verbo: propter periculum pudicitiæ, & ad vitandam libidinem, *Iul. clar. §. fin. q. 28. n. 3. Damhauder. c. 17. n. 15.* 30.

Verùm † Imp. CAROLVS vlterius processit, & præter ius commune cauit, vt quoties plures fuerint captiui, & eiusdem delicti socij, quoad fieri potest, segregentur. Rationem † reddit in textu: ne de confictis vel falsis confessionibus edendis conspirare, aut de supprimendo crimine, vel etiam de vinculorum ruptura, & carcerum effractione deliberare possint, *L. 13. ff. de custod. & exhib. reor. vide Mezg. loc. cit. n. 28.* 31. 32.

De accusatoris detentione, donec idoneè cauerit, vel cautionem præstiterit.

ARTICVLVS XII.

SVMMARIA.

1. *Accusator custodiæ similitudinem cum reo pati debet, donec idoneè cauerit.* 2. *& quare. n. 3. 4.*
5. *Accusator non tenetur amplius stare in carceribus, donec causa fuerit terminata, sed donec cautionem præstiterit. & n. 6.*
7. *Accusator cautionem præstare debet de prosequenda accusatione, vel si defecerit, de resarcienda iniuria, damnis, & expensis.*
8. *Cautio de lite prosequenda cur præstanda? & n. 9.*
10. *Cautio de expensis & damnis cur præstanda? & n. 11.*

12. In-

12. *Iudex potest certum tempus ad probandum assignare. & n. 13. sicut ad agendum.*
14. *Expensarum, quæstio coram quo iudice proponenda? 15. 16 & cur coram iudice tam ordinario accusatoris, quam accusationis. 19. 20. 21. 22.*
17. *Ad expensas condemnatus accusator an appellare possit, & quare non? n. 25. & 27. limita. n. 29. Appellare licet in caussis ciuilibus & criminalibus.*
20. *Continentia causæ diuidi non debet.*
21. *Reconuentionis æquitas.*
22. *Reus in ratiociniis ibi se defendere cogitur, vbi res gesta est.*
23. *Expensarum quæstio summariè decidenda.*
24. *in Executionis processu sufficit summaria petitio.*
25. *Appellatio in criminalibus in Germania non est permissa.*
26. *Appellatio ab executione non recipitur.*
27. *Appellatio denegatur damnatis ob manifestum crimen.*
28. *Victus non tenetur ad expensas, si iustam causam litigandi (vel etiam accusandi) habuit.*
29. *Accusator succumbens quandoque ab expensis excusatur. & quare n. 30. exemplum. 31. & 32.*
32. *Generalis exclusio intelligitur de friuolis exceptionibus.*
33. *Reus absolutus cur non cogatur præcisè coram eodem iudice contra accusatorem agere.*
34. *Latrunculator de re pecuniaria judicare non potest.*
35. *Iudex criminalis de expensis cognoscit, de reliquo autem nullam cognitionem in causis ciuilibus acquirit.*
36. *Iurisdictiones non debent confundi.*

1. IN superiori articulo Imperator ostendit, quidnam accusatori incumbat, antequam iudex reum custodiæ tradat. Nunc in hac articulo declarat, quidnam ab eo requiratur, postquam
2. reus iam est incarceratus? & dicit, quod † accusator, vel ipsius procurator, aut mandatarius (nam hodie exparte accusatoris procurator admittitur, postquam sublata est pœna talionis, Gail. 1. *de P. P. c. 10. n. 7.*) etiam custodiæ tradendus, & tamdiu corporaliter in custodia detinendus sit, donec cautionem fideiussoribus præstiterit talem, qualem iudex cum quatuor assessoribus, pro grauitate causæ, & qualitate vtriusque, tam accusatoris, quam accusati sufficientem esse æstimauerit: adeoque accusator custodiæ similitudinem cum reo pati debet, quoad de expensis, & iniuriæ

iniuriæ nomine per fideiussores idoneè cauerit, Treutler. *vol. 2. disp. 31. thes. 3. lit. d.* Eadem cautio de iure communi ab accusatore requiritur, *in L. si cui 7. §. 1. ff. de accusat. L. 3. C. qui accusare non possunt.* Ratio † habetur in *d. L. 7.* ne facile quis prosiliat ad 3.
accusandum, cum sciat inultam sibi accusationem non futuram. Ratio alia: quia dubius est iudicij criminalis euentus, & adhuc incertum, vtrum reus de delicto sit conuincendus: cautionē autem præstare tenetur, qui in dubio ad aliquid admittitur, *L. si seruus 27. §. inquit. ibi & si colonus ff. ad L. Aquil. L. 5. §. f. ff. de tribut. act.*

Ratio † autem custodiæ, & quare etiam accusator teneatur intrare carcerem, redditur ab Hippolyto de Marsil. *in prax. crim. §. diligenter. n. 208.* talis: quod vt sic cesset suspicio, & omnis præsumptio, quæ possit obijci accusatori, quod indebitè & & per calumniam accusaret. Cum nemo sit ita demens, fatuus, bestialis, & tam crudelis sibi ipsi, quod vellet indebitè aliquem accusare, quando exponit propriam vitam in carceribus. Et quamuis † olim accusator debuerit stare in carceribus, donec probaret, & causa per sententiam terminaretur, idque tam de jure ciuili, *L. f. C. de accusat. L. 2. C. de exhib. reis vbi Dd.* quam de jure canonico, *c. quisquis 2. q. 8. c. final. 3. q. 9.* hodie tamen † eò vsque tantum, donec prædictam cautionem præstiterit. Ratio eadem est, quæ sublatæ inscriptionis, ne videlicet accusatores formidine custodiæ absterreantur ab accusando, & delicta maneant impunita.

4. 5. 6.

Ad Versic: Vnd nämblich.

SEd quid † cauebit accusator? hoc nimirum: quod si litem ad 7.
finem vsque non prosecutus fuerit, aut accusationem ad exitum non perduxerit, aut in probatione defecerit, seu crimen obiectum, vel eius legitima & sufficientia indicia, & præsumptiones intra tempus, quod ei judex assignaturus est, non ita probauerit, vt judex & eius assessores, vel saltem maior pars eorum acquiesceret, & pro sufficienti iudicaret, vel aliàs in causa deficeret, aut succumberet, tunc omnes expensas in eam rem factas refundere, & reo ratione damni & iniuriæ satisfacere velit,

quemadmodum fere in ciuilibus causis solet obseruari, vide *Iul: Clarum* §. *f. q. 18. n. 2. Thomam Mezger cons. crim: 15. n. 10. & 29.* Itaque tamdiu accusator in custodia continetur, donec de prosequenda lite, & resarcienda iniuria idoneé caueat, *VVesenb. in parat. n. 12. ff. de accusat.* vide Summam *c. 2. n. 10. & seq.* Ratio
8. prioris: quia † in ciuilibus causis actor cauere debet, se ad finem vsque litem prosecuturum, *Nouell: 112. c. 2.* propterea vt obuietur malitiæ actorum, qui aliquando temerè alteri litem mouent, in ipso autem progressu, quando causæ suæ diffidere incipiunt, resiliunt: multò magis igitur ad obuiandum calumniæ accusatorum receptum est, vt libellus reo dari non debeat, priusquam accusator fideiussorē de lite prosequenda dederit, *Gothof. ad d. Nou:*
9. *112. c. 2.* Nam quemadmodum in † ciuilibus actor eremoditium contrahens, id est, judicium iam cœptum deserens *L. 7.* §. *vlt. de minor. vbi Gothof. L. 13. in pr. ff. judic. sol.* litem amittit: sic in criminalibus ab accusatione desistens tergiuersator fit, & pro delicti quod alteri intentauit, qualitate, puniri & coërceri potest, *L. 1. & tt. ff. & C. ad SC. Turpil. Bernhard. Zieriz. h. vide Summam c. 2. n. 22.*

10. Ratio † posterioris: sicut in ciuilibus, ne homines facilè ad litigandum procedant, actor cauere debet, si contingat ipsum succumbere, & appareat iniustè litem mouisse, se sumptus litis & omne interesse, atque damnum reo resarcire velle, *Nouell: 112. c. 2. auth. libellum C. de lit. contest.* vide quæ notaui *ad* §. *2. inst. de*
11. *satisdat:* Ita † etiam & multò magis debet accusator in criminalibus reo in casum succumbentiæ cauere, quod velit ei omne damnum, quod eam ob causam, quia in carcere fuerit detentus, tam in bonis, quam in corpore, & famæ læsione passus est, protinus & penitus resarcire, *argt. L. 3. C. qui accusar. non poss Georg. Remus h.* Vide Berlich. *p. 4. conclus. 4. n. 5.* vbi in specie in crimine veneficij etiam satisdationes præstandas esse dicit, de prosequenda accusatione, & iniuria, si succubuerit, resarcienda, *Godelman: l. 3. c. 2. n. 6. & seq.* per Rationem: quia in eo ordinariè, non summariè tantum proceditur.

12. Dicit † autem Imp. in textu: quod judex possit certum tempus ad probandum assignare, ad eum modum, quo Imp. Alexander in

der in *L. si ea 7. C. de his qui accus. non possunt*, constituit, vt si accusator moram trahat, judex competens certa accusationis perferendæ tempora præfigere possit, intra quæ si agere supersederit, renunciasse causæ intelligatur, *Remus & Zierizius h.* vnde Ratio
† ab vno ad alterum sic deducitur: si judex potest statuere terminum actori, intra quem agat, *d. L. 7. & L. diffamari C. de ingen: manumiss:* potest etiam assignare terminum, intra quem actionem vel accusationem suam probet. Ratio rationis vtriusq; est: quia reip: interest, vt citò lites finiantur, & iudicia absoluantur, *c. finem 5. ext. de dol. & contumac. Nou: 149. c. 1. in f. vide Summam c. 2. n. 12.* Rationem aliam reddit Thomas Mezger *cons. crim: 15. n. 32.* vbi ait: ne in perpetuum vterque in captiuitate manere debeat, præfiget judex terminum accusatori, intra quem deducat accusationem suam, sub comminatione perpetui silentij imponendi, & pœnæ arbitrariæ, saluo jure ipsius accusati, cui postea tenebitur accusator refundere sumptus, & resarcire interesse, & damnum ob eam causam illatum, si ab accusatione destiterit, vel in probatione defecerit, *vide Summam c. 2. n. 12.* 13.

Ad Versic: Vnd damit.

QVoniam † vt dictum est, accusator in casum succumbentiæ promittere debet, se omnes expensas, damna, & injurias reo accusato resarcire velle. vide Damhaud. *c. 5. n. 8.* Quæstio nunc est: coram quo iudice reus absolutus accusatorem conuenire debeat? Et videri † posset, quod tantum coram judice ordinario ipsius accusatoris. Ratio: quia in ista actione accusator vicem rei sustinet; actor autem forum rei sequi debet, non tantum in ciuilibus *L. 2. C. de jurisd. omn: judic. c. si Clericus. 5. ext. de for. compet. L. 5. C. de jurisd. om. judic.* sed etiam in criminalibus, *L. 5. C. d. T.* Verùm † hoc non attento CAROLVS Imp. specialiter constituit, vt in arbitrio accusati sit, accusatorem coram ipsius judice ordinario, vel coram eodem judice, sub quo causa criminalis agitata fuit, (ciuiliter) conuenire, & quidem summariè tantùm, sine solennitate, & longo sufflamine litis, procedere, adeo quidem, vt si postea ad restitutionem expensarum, damnorum & honoris condemnatus à sententia appellare 14. 15. 16.

vellet, hoc ei minimè permitti deberet. vide Thom. Mezg. *consil.*
17. *crim. 15. n. 11.* Quod † iterum speciale est in hoc casu, & contra regulam juris communis, quâ habetur: quod appellare liceat vnicuique, qui se per sententiam grauatum sentit, *c. super eo 12. ext. de appellat. c. 1. de appellat. in 6. clem: appellanti. 5. eod. tit.* non tantum in ciuilibus, sed etiam in criminalibus, *per L. & in maioribus, 20. C. de appellat. L. addictos 6. C. de Episc. aud.* Mynſ. *cent. 4.*
18. *obſ. 41.* Rationem † horum omnium generalem reddit Imp. talem: vt isthac ratione absolutus eò maturius, ac certius, præfato
19. modo restitutionem assequi possit. Ratio cur † electionem habeat, est ista: quia regulariter actor ex pluribus rei foris eligere
20. potest maximè idoneum. Ratio † specialis, cur reus absolutus judicem criminalem eligere possit, apud quem se purgauit, est ista: quia continentia & connexitas causæ diuidi non debet, *L. nulli 10. in pr. C. de judic. argt. c. 2. ext. de cauſ. prop. & possession. Gail. 1. obſ. 1. n. 22. tt. ff. quibus in causis ad eund. judicē eatur, & ibi VVesenb.* Deinde vt tempori, atque sumptibus parcatur. *Bernhard. Zierizius hic.* Nam cum judex criminalis iam sit bene informatus,
21. non est necesse multas probationes coram eo facere. Ratio † alia potest desumi ex materia reconuentionis: cuius enim in agendo accusator obseruat arbitrium, eum & contra se judicem habere in eodem, vel connexo negotio, non dedignetur, *text. in L. pen: & auth: seq. C. de sent. & interlocut. cap. 1. & 2. ext. de mut. petit.*
22. Ratio † adhuc alia: quia cum accusator in judicio criminali accusatum iniuriâ & damno affecerit, æquum est, vt in eodem judicio reconueniri eo nomine possit: quemadmodum in simili, reus in ratiocinijs se ibi defendere cogitur, vbi res gesta est, nec habet jus reuocandi domum, *vid. VVesenb. in Cod: tit. vbi de ratiocinijs.* His adde, quod frustra fiat per plura, quod potest fieri per pauciora, & vbi Iudicium cœptum est, ibi finiri debeat, *L. vbi acceptum 30. ff. de judicijs Gail. 1. obſ. 11. n. 3. & 6. id. 1. obſ. 32.*
23. *n. 6.* Ratio † cur possit summariè, & de plano, sine figura & strepitu judicij, causam decidere, est ista: ne dum lis ex lite oritur, processus in infinitum extrahatur. Nefas enim est, post absolutum vnum judicium alteram longiorem litem ex litis primæ materia consurgere, *L. terminato 3. C. de fructib. & lit. expenſ.*

Ratio

Ratio † alia; quia in executionis processu non est opus nouo libello, sed sufficit summaria & qualiscunque petitio, *Gail.* 1. *obs.* 113. *n.* 11. atqui in hoc casu petitur tantum executio præstitæ satisdationis. Ergo &c. 24.

Ratio † cur præcidatur accusatori vlterioris prouocationis vel appellationis remedium, redditur à Bernhardo Zierizio talis: quod de consuetudine Germaniæ appellatio in causis criminalibus non sit permissa, Recess: imperij de anno 1530. §. item als jetzt. ordinat. Cam: *p.* 2. *tit.* 28. §. 1. Myns. *cent.* 4. *obs.* 41. ne quidem in puncto expensarum, Besold. *in tract. de iuuamine appellatorio c.* 7. Ratio † alia: quia vt paulò ante dictum, hic petitur tantum executio præstitæ satisdationis: atqui ab executione appellatio non recipitur *L. ab executione* 5. *C. quorum appellat. non recip.* Ratio † adhuc alia: quia appellatio denegatur damnatis ob manifestum crimen, *c. cum sit.* 5. § *f. ext. de appellat.* atqui quando aliquis in probatione cessauit, vel in accusatione succubuit, manifestæ calumniæ, præuaricationis, & tergiuersationis reum se fecit. Ergo &c: 25. 26. 27.

Putarem † tamen, quod sicuti in ciuilibus victus victori ad expensas non tenetur, si iustam litigandi causam habuit *Gail.* 1. *obs.* 152. *n.* 3. & 6. *Schneid.* §. *tripli. n.* 16. *inst. de action:* ita quoque in criminalibus actio absoluto denegetur, si accusator iustam, seu probabilē accusandi causam habuit, per ea dicenda inf. *artic.* 201. vers. es were dann sach & *art:* 166. *inf.* vide etiam Matth: Steph. *artic:* 99. Vnde † si accusator in reconuentione iustas probabilitates afferre, & ea ratione se à pœna calumniæ, &c. defendere posset, iudex autem eius allegationes admittere non vellet, ipse iustè appellare posset, vide Summam *c.* 2. *n.* 24. Ratio: quia † satisdatio, & pœna, in eum euentum tantum porrigitur, quo temerè accusauit, vel ab accusatione cessauit, *tt. inst. de pœna temerè litigant.* tunc enim viatica litisque sumptus aduersario suo reddere oportebit, si eum temerè in iudicium vocasse constitit, *L. eum quem* 79. *ff de iudic.* & si ratio litigandi non fuit, tunc damnum, quod ex ea re secutum fuerit, sarciendum erit, *L. qui solidum* 78. §. *etiam* 2. *ff. de legat.* vt ita bene oporteat expensarum rationem iudices examinare, *Nou:* 82. *c.* 10. *per tot.* Quare † si 28. 29. 30. 31.

accusator furem v. g. iustè accusasset, ipse autem propter extremam inopiam & famem sese excusasset, & propterea dimissus fuisset, non haberet eo nomine actionem contra accusatorem,
32. *artic: 166. in f.* Si autem † de facto ageret, & iudex accusatorem condemnaret, meo iudicio appellare posset. Ratio: quia generalis prohibitio illius, quod de iure communi aliàs conceditur, restringenda, & de re friuola atq; temeraria est intelligenda, *Mynſ. cent. 3. obſ. 63. n. f. Gail. 1. obſ. 33. n. 5.* quemadmodum itaque tunc, cum iudex iubetur procedere remotis omnibus exceptionibus, vel si statutum vel rescriptum auferat exceptiones, illud intelligi debet, tantùm de friuolis exceptionibus, *VVeſenb. n. 2. C. de except:* ita quoque si remouetur, vel prohibetur appellatio, illud tantum de temeraria & friuola debet intelligi.

33. Ratio † autem, cur propter continentiam causæ Imp. reum absolutum non *adſtrinxerit* ad iudicem criminalem, est ista: quia potuit quidem fieri, vt absolueretur reus, sed tamen iniquè, sine præcedentibus coniecturis & indicijs incarceraretur, vel torqueretur, vel aliàs nimis durè in vinculis, vel in cibo & potu haberetur: quo in casu ad eum iudicem redire non cogitur, qui semel grauauit. Vide de hac materia aliquid etiam infra *artic. 99. Verſ. aber.*

Ad Versic: Darburch doch.

34. QVamuis † autem Imp. facultatem concesserit iudici criminali, propter connexitatem causæ, de expensis & damnis cognoscendi: tamen quia hoc speciale est, & contra ius commune, secundum quod causarum criminalium iudex (qui aliquando latrunculator appellatur) de causa pecuniaria non iudicat, *L. ſolemnus 61. §. f. ff. de indicijs*) & quia ea, quæ à iure communi exorbitant, tanquam odiosa, sunt restringenda, *Canis. ad c. odia 15. de R. I. in 6.* neque vltra quam in concessione comprehensum sit, porrigenda, vel extendenda, *c. porrò 7. ext.*
35. *de priuileg. & exceſſ: priuilegiat*: ideo Imp: † in hoc versic: declarat, quod iudici criminali extra hunc casum, & vltra, quam ante habuit, nulla iurisdictio & cognitio in causis ciuilibus accedere, vel accrescere debeat. Ratio cur hoc moneat, est ista: quia † iudi-

† iudices (nescio quâ temeritate, & iudicandi libidine) iurisdictionem suam plerumque minimâ occasione datâ prorogare, & vltra terminos suos extendere laborant, quorum audaciæ meritò hoc loco Imperator occurrit, eò quod iurisdictiones non debeant confundi, *Gail. 1. obs. 3. n. 6. id. 1. obs. 12. n. 1. id. 1. obs. 119. n. 3.* & ius suum cuique illibatum conseruandum, nec in minimo detrahendum, *argt. §. f. inst. de his, qui sui vel alien. iur. Confer Summam c. 2. n. 23.* 36.

De cautione accusatoris, cum reus admissum fatetur, sed legitimas excusationes allegat.

ARTICVLVS XIII.

SVMMARIA.

1. *Accusator an caueat, si reus delictum fatetur, sed excusationes probabiles allegat.* 2. *exempla.* 3.
4. *Quid caueat, & quare?*
5. *Quomodo excusationes proponendæ.*
6. *Tortura omittenda, si reus fateatur delictum, & excusationes vel defensiones idoneas alleget. & quare n.* 8. & 9.
7. *Tortura adhibetur, vt veritas eruatur.*
9. *Torqueri nemo debet, nisi legitima exceptionũ rei cognitio præcesserit.*
10. *Defensio reo concedenda, antequam ad torturam deueniatur. & n.* 11. *etiamsi appareat iniusta n.* 13.

IN superiori † articulo Imp. egit de cautione præstanda ab accusatore, quando reus delictum negat: nunc vlterius pergit, & quærit: an & quomodo cauere debeat, quando reus delictum non negat, huiusmodi tamen exceptiones vel excusationes allegat, quæ probatæ à pœna capitali liberare possent, accusator autem ei contradicit? & vel falsas & fictas, vel iuri minus conformes esse dicit? 1.

In † exemplo: reus fatetur quidem se homicidium commisisse, sed opponit exceptionem inculpatæ tutelæ; vel fatetur quidem se furtum fecisse, sed propter ineuitabilem necessitatem famis: vel non negat se aliam vxorem duxisse, sed ideo, quod certum 2.

tum nuncium haberet de morte alterius suæ vxoris. Qværi-
3. tvr: † si accusator se ei opponat, vtrum nihilominus cautionem præstare debeat? ad quod Respondet Imp. accusatorem nihilominus ad talem cautionem præstandam teneri, qualem secundum personarum & causæ conditionem judex cum quatuor assessoribus idoneam esse judicauerit. *argt. L. 3. C. de his, qui accus. non poss.* Mezger. *dict. cons.* 15. *n.* 29. Ratio: quia reus in effectu non est, qui se legitima ratione defendere potest.

Ad Versic: Wo der beklagt.

4. SEd quid † cauebit? hoc nimirum: si reus accusatus vel delatus exceptiones suas, vel causas allegatas sufficienter atque ita probauerit, vt ratione admissi nullam capitalem pœnam meruerit, sed ab ea absoluendus sit, eidem propter incarcerationem, iniuriam & damna in judicio ciuili, modo supra dicto, respondere, & pręterea expensas & damna litis juxta æstimationem judicis refundere obnoxius esse velit. Vno verbo: cautionem præstabit de subeundo judicio ciuili, item de expensis & damnis, juxta æstimationem judicis refundendis, vide Summam *c. 2. n. 14.* Ratio eadem est, quæ in superiori articulo, ne igitur frustranea repetitione opus sit, ea huc quoque retrahi poterit.

Ad Versic: Vnd soll.

5. QVæritvr † in hoc versic: quomodo post exactam & præstitam satisdationem in defendendo & excusando crimine procedi debeat? ad quod Respondet Imp: non decisiuè, sed remissiuè tantum, remittendo se *ad artic:* 151. vbi hoc plenius examinabitur.

Ad Versic: Vnd in disem fall.

6. SI reus † fateatur factum siue admissum, illud tamen tali exceptione defendat, quâ probatâ sit absoluendus à pœna capitali, iudex torturam omittere debet, *text. h. & in artic. 28.*
7. *item artic:* 16. *in pr.* Ratio † est: quia tortura ideo potissimum adhibetur, vt confessio rei & veritas exprimatur: atqui in hoc casu

casu confessio rei iam habetur, Ergo frustra tortura adhibetur. quia vbi finem habemus, frustra laboramus de medijs. Ratio † 8.
alia: quia vtrum defensiones sint idoneæ, & de iure subsistant, id non à carnifice per tormenta, sed à Iurisconsultis per legum & rationum momenta examinatur. Quò facit locus Ciceronis pro Milone: facti in eculeo quæstio est: iuris in iudicio. Vbi de facto constat, & de iure tantùm disputatur, quæstione opus non est, jure enim, an iniuriâ, nihil ad tortorem, *Zieriz. ad art. 16.* Ratio adhuc alia: quia sicuti carcer (ita longè magis tortura) hominum noxiorum & pœnalium est, *Gail. 1. obs. 26. n. 1.* atqui nocens non est, qui admissum suum legitima defensione excusare potest.

Alij verba † textus nostri ita intelligunt, & explicant, 9.
quod judex neminem debeat ad quæstionem deposcere, vel ad tormenta properare, nisi legitima & accurata exceptionum Rei cognitio præcesserit, *Remus & Zieriz. h.* per Rationem: quod à tormentis non sit incipiendum, cum remedium illud sit extraordinarium, & violentum, ne audire cogatur judex vulgatum illud: Marcelle nimium properas.

Itaque † dicunt, quod defensio prius reo sit concedenda, 10.
antequam ad torturam deueniatur: quod ego intelligo non tantum in casu præsentis articuli, quando videlicet delictum fatetur, sed in eo casu quoque, quando reus negat delictum, & tamen contra eum stant aliqua indicia, & præsumptiones tales, ob quas iudex reum tormentis subijcere posset, tunc enim à tormentis non statim incipere debet, sed reo permittere, vt indicia per contrarias defensiones elidat, vide Summam *c. 5. n. 18.* Ratio:
quia † sicut in ciuilibus præsumptio non valet, si coniectura le- 11.
gitima refragetur, *Dd ad L. continuus 137. §. cum ita. inf. ff. de V. O.* & sicut præsumptio contrarijs documentis potest euerti, *L. nuptura in f ff. de jure dot. L. cum de indebito 25. circ f. ff. de prob. & præsumpt.* ita etiam in criminalibus, & quidem multò magis, indicia per contrarias probationes, præsumptiones & defensiones possunt elidi. Quid † autem juris sit, si causa suspicionis eui- 12.
dentior sit, quàm causa defensionis, inf. *artic. 28.* videbimus.

Quid si † autem appareat defensionem non esse iustam, ad- 13.
H huc

huc ne admittenda? ad hoc Respondet Wesenb. *in parat. n.12. ff. de accusat.* affirmatiuè. Ratio: quia † defensio est iuris natura-
14. lis, ideo nemini deneganda. Quod si verum est ante torturam, multò magis verum erit ante condemnationem & sententiam. Rationem † reddit Wesenb. *loc. cit.* quia neminem etiam nocentissimum damnari posse volunt, nisi termino defensionis ante omnia concesso atque assignato, *Gilhaus. ad art. 73.* Qua de re pluribus infra *artic. 151. cum seq.* Ratio alia: quia delictum capitale non est sine dolo: atqui quælibet causa etiam iniusta à delictis & dolo excusat, *L. igitur, §. & generaliter ff. de lib. caus. vide Ant. Gab. l. 6. conclus. 8. Card. Tusch lit. C. conclus.* 152. *Baiard. in addit. ad Clar. q. 60. n. 80. & seqq. Farinac. de pœn. temp. q. 90.* Mynf. *cent. 3. obs. 98. n. 3.*

De accusatoris detentione, si satisdare non posit.

ARTICVLVS XIV.

SVMMARIA.

1. Accusator si satisdare non poßit, carceri vel custodia mandari debet, & quare? n. 3. & 5. an adhuc hodie. n. 4. 6. juxta facti & persona qualitatem.

7. Accessus ad carcerem ijs est permittendus, quorum opera accusator & accusatus vti volunt in fideiubendo vel testificando. & n. 8.

9. Aduocati olim examini rei interesse poterant. 10. hodie non.

11. Cautionem etiam illustres præstare tenentur accusatores. 12. 13, 14. 15. vel vadem eiusdem cum accusato conditionis custodia dare.

17. *Illustres per procuratorem agere & accusare possunt.* 18. 19. 20. 21.

22. Clerici accusare non possunt. 23. nisi suam suorumq; iniuriam persequantur. 24. aut delictum enorme deferant, & protestentur, quod non ad pœnam sanguinis agant.

25. Carceratus ob cautionem non præstitam, postea ea oblata est dimittendus.

QVÆRITVR

QVÆRITVR † in hoc articulo : quid juris, ſi accuſator fide- 1.
iuſſores dare, vel ſatiſdationem præſtare non poſſit, & tamen accuſationem cœptam proſequi velit? ad quod Reſpondet Imp. quod debeat juxta qualitatem perſonæ & rei, vel cauſæ, vſque ad finem iudiciarij proceſſus, vel carceri vel cuſtodiæ mandari, vel ſaltem tamdiu ex mente Thomæ Mezgeri *conſil. crim. 15. n. 32.* quamdiu delictum vel indicia quædam vrgentia non probauerit. Idque † jam olim etiam in jure noſtro commu- 2.
ni prouiſum erat, in *L. f. C. de accuſat. L. 2. in f. C. de exhib. reis. c. quiſquis 2. q. 1. vide Summam c. 2. n. 15.* Rationem † reddit Iu- 3.
lius Clarus §. *f. q. 18. n. 4.* vt ſi deinde non probet accuſationem, poſſit puniri pœnâ talionis. Quæ ratio cum hodie ceſſet, ideo putat idem *ibid.* quod hæc detentio non amplius ſeruetur. Nam cum hodie ſit ſublata inſcriptio ad pœnam talionis, vt ſupra dictum, ſuperfluum omninò eſſet accuſatorem ipſum ex ea cauſa in carceribus detinere. Nihilominus, quia † CAROLVS Imp. nul- 4.
lam talionis rationem habuit, & tamen hanc detentionem in præſenti articulo præſcripſit, difficile eſt in Germania aſſerere, eam locum non habere. Nam † & ſi ceſſet inſcriptio ad pœnam 5.
talionis, & ratio juris antiqui: tamen adhuc nihilominus calumniantes ad vindictam poſcuntur, non quidem ſupplicij ſimilitudine, vt olim *in L. f. v ſed quiſquis C. de accuſat.* ſed ſaltem pœnâ arbitrariâ. *Roſbach. prax. crim. tit. 1. c. 8. n. 18. Damhaud. c. 5. n. 8. vide Summam c. 2. n. 25.* eſt enim arbitrio judicis puniendus accuſator, qui in probatione criminis defecerit, *Mezger. conſ. crim. 15. n. 10.* licet itaque inſcriptio ad talionem obſoleuerit quoad ſolennitatem, non tamen obſoleuit quoad effectum, Weſenb. *n. 5. ff. de calumniat. id. n. 12. ff. de accuſat.* Dicit † autem Imp. 6.
in textu, quod accuſator *juxta qualitatem perſonæ & rei* ſit vel cuſtodiæ, vel carceri mandandus. Ratio eſt: quia hoc diſcrimen debet ſeruari in reo de crimine accuſato, vt ſupra *artic. 11. verſ.* vnd ſo der. Ergo multò magis in accuſatore.

Ad Verſic: Vnd dem Anklåger.

QVid ſi † autem accuſator ad probandam ſuam accuſatio- 7.
nem, vel reus ad probandam excuſationem vel innocentiam

velit ad se accersere eos, quorum operâ ille fideiubendo, vel crimen intentatum probando, hic verò sese defendendo, innocentiam demonstrando, & obiecta repellendo vti voluerit? Quæstio
8. est: vtrum accessus sit eis permittendus. Ad quod † Respondetur, omninò liberum accessum & recessum permittendum esse. *Mezger. n. 33. vide Summam c. 2. n. 15. & c. 7. n. 2. & seqq.* Idque æquitas suadet, quæ neminem in suo jure impediri, aut juris sui
9. vsu prohiberi patitur. Hac † de causa olim jure communi prouisum erat, vt quando fit examen rei, præsentes esse possent, & deberent aduocati, & patroni causarum, *L. custodias 12. ff. de pub. judic.* Similiter & tunc, quando reus quæstioni vel torturæ subijcitur, *L. si postulauerit 27. §. quæstioni ff. ad L. Iul: de adult.*
10. Sed ex † his duobus neutrum hodie seruatur, ita vt nec aduocati accusatoris, neq; accusati admittantur ad examen rei, Iul: Clar: *§. f. q. 45. n. 12.* & *q. 64. n. 35.* per Rationem: ne possint aduocati eos instruere ad veritatem negandam, vt quotidie fieri videmus. Confer notata inf. *art. 47. n. 23. & seqq. art. 73. n. 29.*

Ad Versic: So auch

11. QVÆRITVR † in hoc Versic: vtrum etiam Principes, vel personæ Ecclesiasticæ, vel viri illustres, si accusationem instituant contra inferioris conditionis homines, cautionem prædictam præstare debeant? Ratio † dubitandi est ista: quia qui
12. cautionem præstare tenentur, in defectu fideiussorum carcerem subire tenentur: atqui illustres & Ecclesiastici carcerem subire non coguntur. Ergo &c.
13. Verùm † hoc non attento CAROLVS Imp. etiam Principibus, & Illustribus, atque Ecclesiasticis personis, cautionis præstationem iniungit, eo in casu, quando cupiunt, vt vir quidam aliàs honestus, ob crimen carceri tradatur, vel custodiatur. Ra-
14. tio: † ne ad nutum potentiorū mediocres homines statim ad Lautumias, Tullianum, vel scalas Gemonias mittantur, *Zieriz. h.*
15. Sed quid † fiet, si ad detentionem deueniatur, anne Ecclesiastici & Illustres quoque in carcerem mittentur? ad quod Respondet Imp. quod non: sed quod eiusmodi vadem, qui paris sit cum reo accusato conditionis, iudicio sistere, & carceri vel custo-

diæ

diæ dare possint. Ratio: † quia hoc modo & dignitati parcitur, 16.
& nihilominus aliqualiter superior ordinatio seruatur. Quis autem sit effectus huius substitutionis collige ex ijs, quæ notauimus *sup. artic: 11. n. 18.* Sed hinc nascuntur duæ quæstiones. 17.

Prima: † vtrum illustres & potentiores possint per procuratorem agere, vel accusationem instituere? Ad quod † Resp: quod illustres per se litigare non possint, sed quod necessariò debeant procuratoris personam in negotij sui iura substituere, *L. quicunq. 25. C. de procurat.* adeo quidem, vt licet in criminalibus procurator aliàs non admittatur, *L. pen: §. ad crimen ff. de pub. jud. c. tua 5. ext. de procurat. c. veniens. extr. de accusat.* tamen pro illustribus personis admittendus sit, *L. f. C. de iniur. §. 10. inst. eod.* Id tamen † procedit in pecuniarijs causis, non in causis sanguinis. 19.
Nam cum in criminibus publicis eorum præsentiam per inscriptionem causa deposcat, etiam viros illustres & potentiores adesse iudicijs conuenit, *L. tunc conuenit 15. C. de accusat.* Nihilominus, † quia inscriptio hodie cessat, & Imp. Carolvs eiusmodi vadem in judicijs publicis pro personis illustribus accusantibus intercedere permisit, ideo Infervnt Doctores, quod etiam procurator pro ijs interuenire possit. Cum enim † plus sit 21.
pro alio carcerem vel custodiam subire, quam pro alio postulare, vel accusare, ideo illo permisso, hoc quoque permittendum videtur, iuxta regulam: non debet illi cui plus licet, non licere quod est minus, *L. non debet 21. ff. de R. I.* confer notata sup. *artic. 11. n. 21. & seqq.*

Qvæstio † secvnda: Vtrum Ecclesiasticæ personæ accusare possint, nec ne? ad quod Respondetur: quod accusatio, maximè in causa sanguinis sit aliena à statu clericorum, *c. sicut sacerdotes 2. q. 7. c. his à quibus 23. q. 8. c. sententiam. ext. ne clerici vel monachi. c. ex his. ext. de excess. prælat.* idque propter irregularitatem. Nam qui est causa effusionis sanguinis, eo ipso est irregularis, Thom: Mezger *consil. crim. 15. n. 45.* Vbi † Limitat: 23.
nisi clericus suas proprias, vel suorũ causas & iniurias prosequatur, & protestetur expresse (non tantum tacitè) quod non intendat agere ad mortem, vel membri mutilationem, sed tantum ad restitutionem rei, vel damni dati, per ea, quæ tradunt Cano-

nistæ *c. 2. de homicid. in 6.* v. g. si iniuriantem vel furem accuset ad effectum, vt sibi vel Ecclesiæ satisfaciat. *ibid n. 46.* Ratio habetur *d. c. 2.* Quia si Prælati aut clerici propter metum huiusmodi, quia judex ad pœnam sanguinis posset procedere, de suis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & ipsorum bona liberè deprædandi.

24. Idipsum † procedit tunc, quando causa propria non agitur, delictum tamen admodum enorme est, & in maximum reip: detrimentum, aut proximi grauissimum damnum vergeret, Mezger *loc. cit. n. 47.*

Ad Versic: Vnd ob auch.

25. QVid si † autem ille, qui carcerem pro illustribus subijt, cautionem modo supra dicto præstare velit? ad hoc Respondet Imp. quod tunc custodiâ vel carcere sit liberandus. Ratio: quia
26. † si accusator ipse carcerem subterfugere potest (imò quandoque etiam reus, per notata *sup. art. 11. n. 16. & seqq.*) per satisdationem præstitam, quantò magis hoc indulgebitur illi, qui se passus est loco accusatoris incarcerari? vide Thomam Mezger *consil. crim: 15. n. 33.*

De alia cautione, cum accusator indicia delicti probauerit, vel delictum aliàs notorium sit.

ARTICVLVS XV.

SVMMARIA.

1. *Accusator indicijs probatis, aut ipso delicto omnibus innotescente, nullisque exceptionibus reo suppetentibus, tantum de prosequenda accusatione cauere debet & n. 2. 3. 4. ratio.*
5. *Actuarij officium in quo consistat 6. & quare accurate omnia consignare debeat.*

1. QVÆRITVR † in hoc articulo: quid si accusator suspiciones & indicia probauerit, vel de crimine aliàs constiterit, & reus

reus sufficientes excusationes allegare non possit, an & quomodo tunc cauere debeat? ad quod † Resp. Imp. eum ad nullam aliam cautionem teneri, quam ad hanc: quod accusationem istam iuxta hanc suam & sacri Imperij constitutionem criminalem persequi velit Ratio † cur ad hanc: quia aliqui ita sunt comparati, vt ab initio nonnihil incitati, & calore iracundiæ commoti facile ad accusandum descendant, postea autem cum pœna sanguinis imminet, quodam remorsu conscientiæ pœnitere, & retrocedere incipiant, crudele esse existimantes, proximum suum, eiusdem secum naturæ consortem, carnificinæ tradere. Quos tamen præstaret accusationem non cepisse, quam ita abrumpere. Ratio cur non † ad aliam: quia si suspiciones & indicia probauit, vel crimen manifestum atq; notoriū est, tunc accusator temeritatis vel calumniæ argui non potest, Ergo frustra de damnis iniurijs & expensis cauere cogeretur. Sicut enim superflua probatione & iuramento nemo est onerandus, *c. 2. ext. de probat.* ita neque superfluâ cautione, *L. 14. §. ducis ff. vt legatorum.* vide *Summam c. 2. n. 13.*

2. 3. 4.

Ad Versic: Vnd was also.

IN hoc † versic: declarat Imp. quodnam sit officium actuarij, 5.
siue Notarij, vel scribæ in his omnibus, videl: vt quicquid actum fuerit in captura rei, accusatione, responsione, satisdatione, quæstione, seu examinatione, inquisitione, probatione, id omne vnà cum decretis diligenter & distinctè competenti ordine conscribat, quemadmodum infra *artic. 181. & seqq.* vulgaris quædam forma huius consignationis & annotationis inuenitur.

Ratio † huius redditur *in c. 11. ext. de probat.* quoniam contra falsam assertionem iniqui iudicis innocens litigator quandoque non potest veram negationem probare (cum negantis factum per rerum naturam nulla sit directa probatio) ne falsitas veritati præiudicet, aut iniquitas præualeat æquitati, ideo statutum est, vt in omni iudicio actuarius vnus vel plures habeantur, qui fideliter vniuersa iudicij acta conscribat, ita vt si super processu iudicis fuerit suborta contentio, per hæc possit veritas declarari. Vide plura sup. *artic: 5. & Summam c. 1. n. 1.* 6.

De

De notorijs, indubitatis, & manifestis delictis.

ARTICVLVS XVI.

SVMMARIA.

1. *Quid faciendum, si reus delictum manifestum neget?*
2. *Exempla* 3. *an torquendus? & quare?* n. 4.
5. *An Imperatoris decisio simpliciter subsistat? &* n. 7.
6. *An ratio stringat?*
8. *Tres probationum species in criminalibus.*
9. *Confeßi non torquendi, sed condemnandi.*
10. *Conuicti similiter torqueri nequeunt (ad euitandam appellationē, quæ in criminalibus permissa non est.* n. 11.) *sed condemnari debent.* n. 12. 13.
14. *Deprehensi an statim condemnari poßint?* 15. *an verò torqueri, si negent?* 16. *an semper?*
17. *Notorietas & deprehensio an idem?*
18 *Notorium quid sit? & quis eius effectus?*
19. *Notorium dicitur, quod est coram decem factum.*
20. *Euidentia aliquando circa ipsum delictum, aliquando circa indicia versatur.*
21. *Deprehensio quot modis fiat?*
22. *Deprehensus à ministris publicis non potest statim condemnari &* n. 24. 25. *an & quando ob leuiora delicta.* 26.
27. *An torqueri?* 23. *& quare non?* 28. 29. *quando sic.* n. 30.
31. *An iuramento purgationis sit locus?*
32. *Deprehensus ab alio, & ab eo denunciatus torqueri non potest.* 33. 34. *ratio.*
35. *Deprehensus ab vno, & ab eo diffamatus torqueri potest.* 36. *ratio.*
37. *Deprehensus & denunciatus à pluribus quandoq; torqueri non potest.* 38. *quandoq; potest si denunciantes non sint læsi, & viri honesti.*
39. *Deprehensus à pluribus, sed non denunciatus, condemnari potest.*
40. *Ratio diuersitatis inter hos tres casus.*
41. *Deprehensus à iudice solo non potest condemnari* 42. *ratio* 43. *sed tunc, si deprehendatur cum familia in leuibus.*
44. *Quid iuris, si delictum committatur in præsentia iudicis & notarij?*
45. *Deprehensus à iudice solo torqueri-*

queri non potest. 46. *secus si deprehendatur cum familia data ad id operâ.*
47. *Deprehensus à judice & alijs, neque condemnari statim, neq; torqueri, sed interuenientes examinari debent. ratio.* 48. *&* 49.
50. *Reus notoriè & palam delinquens, an statim condemnari possit?* 51. *Ratio dubitandi.* 52 *decisio negatiua.* 53. *an torqueri?*
54. *Delinquens coram judice officium exercente, & pluribus alijs, absq; alio processu condemnari potest.* 55. *tutius tamen est recipere probationes.* 56. *Ratio.*
57. *Notorietas circa ea, quæ delictum antecedunt, vel sequuntur, non ad condemnationem, sed quandoq; ad torturam sufficit.*

QVÆRITVR † in hoc articulo: quid agendum, & quomodo procedendum sit, si delictum manifestum atque indubitatum est, vel efficitur, & tamen reus obstinatâ quadam peruicaciâ, præfracto animo, & perfrictâ fronte negat? Exempli † gratiâ: aliquis absque legitima & necessaria causa pacem publicam violat, & consultò temereque hostilitatem publicè exercet: vel secundò aliquis in flagranti crimine deprehenditur: vel tertiò aliquis rem raptam, vel furto subductam, scienter apud se retinet, & id nullo fundamento negare, aut delictum per legitimas excusationes & defensiones, quæ à pœna ipsum excusare possunt, (& quas infra cuilibet pœnæ suppositas videre licebit) refellere potest. Quid † in his casibus agendum? ad hoc Respondet Imp. quod in his, & similibus notorijs, euidentibus, & indubitatis delictis, & si reus notoria & manifesta delicta negare velit, judex eum vi tormentorum ad confessionem veritatis adigere debeat. Rationem † subiungit talem, vt in his notorijs, & indubitatis delictis, sententia definitiua, & pœna, quam minimo fieri potest dispendio & sumptu maturetur, & executioni detur. Ratio rationis à Zierizio affertur talis: quod ad judicis officium pertineat cauere, ne partes vltra modum grauentur laboribus, & expensis, *c. finem litibus, ext. de dol. & contum:* Verùm neque decisio, neque ratio Imperatoris videtur subsistere. 1. 2. 3. 4.

Non † decisio, quia Imperator in ea tres distinctos, & tam in facto, quam in jure, planè diuersos casus (prout diuersitatem 5.

infra ostendam) videtur æqualiter determinare: deinde, sibi ipsi contradicere inf. *art. 69.* vbi jussit reum absque omni tortura statim condemnare, si post sufficientem debiti probationem fateri nolit: vtique autem sufficienter probatum est, quod notorium
6. & indubitatum est. Non ratio: quia causæ criminales sunt valde arduæ: in arduis autem non nimis properandum, sed cuncta rimanda, & ordines rerum plena inquisitione discuriendi, non enim processus eò melior est, quò breuior, *Zteriz. h.* Imò quod
7. plus † est, rationi videtur contrarium, vt si aliquis tanquam in flagranti deprehensus, ad judicem (fortè à ministris publicis, qui plerumque homines viles & infames sunt, & exinde lucrum sperant) ducatur, vel ei denuncietur, statim sine vlteriori inuestigatione ad torturam abripiatur, quis enim innocens maneret, vel carnificis manus euaderet, si hoc permissum esset? Mihi plenius nonnihil videtur distinguendum, &

8. NOTANDVM † PRIMÒ: tres esse præcipuas probationum species in causis criminalibus à Doctoribus assignatas, videlicet propriam confessionem, testimonium duorum idoneorum testium, & euidentiam siue notorietatem facti, Berlichius *p. 4. conclus. 4. n. n. 46.* vnde etiam rei in triplici dicuntur esse differentia, alij confessi, alij conuicti, alij deprehensi, *L. qui sententiam. C. de*
9. *pœnis.* Si rei † legitimè sint confessi, nullum dubium est, quin condemnari possint, quia in confitentem nullæ aliæ sunt partes judicis, quam condemnatio, de quo infra *art. 60.* proinde hoc in casu torqueri non possunt super eodem delicto, *const. Bau. tit. 3. art. 9.*

10. Si rei † sint testibus conuicti, putant aliqui, eos si adhuc negent, torqueri debere, ad eruendam confessionem. Verum hanc sententiam falsam esse, videbimus infra *art. 22. & 69.* vbi ostendemus, vnum solum ad condemnationem sufficere, videlicet reum confessum, vel conuictum esse, quod etiam Ioann: Bapt. Villalob. *com. opin. lit. A. n.* 114. & Binsfeldius *in comment. ad tit. C. de malef. & mathemat. q. 3.* in specie de crimine maleficij, item
11. *Berlichius p. 4. conclus. 4. n. 139.* tradidit. Alij putant † reos conuictos, & in negatione persistentes non quidem necessariò torqueri debere, sed pro maiori cautela torqueri posse, non vt

amplius

amplius constet de delicto, sed vt confessus appellare nequeat, *Iul: clar.* §. *fin: q. 64. n. 7.* confessus enim non appellat, *L. 2. C. quor. appellat. non recip.* Verum † constitutio Bauarica *tit.* 3. der Malefitzproceß ordnung *art. 9.* hanc cautelam meritò reprobat: & torqueri vetat eum, qui clarè & sufficienter conuictus sit, per 12.
Rationem: quod appellatio in caussis capitalibus, quæ vitam & sanguinem concernunt, hodie in Germania non habeat locum.
Proinde etiam † CAROLVS Imp. *in dict. art. 69.* voluit, vt reus suf- 13.
ficienter conuictus, absque omni tortura condemnetur. Et de hac secunda probationis specie, quæ nimirum per testes, ritè in iudicio examinatos fit, loquitur Imp. in dict. *art. 69.* vt non modo ex verbis eius, sed ex præcedentibus & sequentibus articulis, in quibus de testibus egit, clarè deprehenditur. Id ipsum agnouit quoque Nicolaus Vigelius *c. 4 exc. 7. f.* 115. vbi dicit, hunc nostrum articulum loqui de crimine non probato, sed de notorio, quod tamen à reo negetur, veluti si in flagranti crimine sit deprehensus, tunc enim non ad condemnationem, sed ad torturam procedendum esse. Similiter & Gihlausen. h. vbi addit, articulum 69. loqui de crimine sufficienter probato, vt sine tormentis reus damnari possit: nam vbi reus de ipso crimine legitimè conuincitur, non est vlterius quærendus, sed condemnandus, *Clar.* §. *fin. q. 66 in pr. confer. Matth Steph. n. 2.* Nos de notorio exactius videbimus.

In tertio † casu, si videlicet reus sit in manifesto crimine 14.
deprehensus, volunt aliqui, condemnationi etiam locum esse, & iudicem ad sententiam procedere posse, Iul: Clar: §. *fin. q. 8. n. 1.* Baiard. *in addit. ad ipsum n. 7.* Ita vt in his omnibus tribus casibus, si nimirum crimen notorium sit, aut satis probari queat, aut etiam confessio rei adsit, tortura superuacua, ideoque non adhibenda sit, *Matth. Stephani inf. art. 69.* Ratio: quia torquendus non est is, contra quem est legitimè probatum, *Villalob. commun. opin. lit. T. n. 118.* atqui in omnibus tribus casibus legitimè censetur probatum. Ergo

Contrarium † autem decidit Imp. in hoc articulo nostro, & 15.
voluit, reum torturæ subijciendū esse, & Serenissi: Elector noster, *tit. 3. art. 2. in fin.* ibi: mit der Tortur / es were dann einer an offentlicher

fentlicher wahrer That ergriffen / nit verfahren/ & *artic. 5.* Mi: niemand mit peinlicher Frag angegriffen werden/ es were dann ein Vbelthat offentlich oder vnwidersprechlich vor Augen. Sed quia sua Serenitas addidit, judicem in hoc casu, si reus delictum neget, torturā suscipere posse, nach gelegenheit vnd gestalt der Sachen/ tacitè indicat, non indistinctè reos torqueri posse: quod etiam colligi potest ex *artic. 25.* §. Zum dritten/ vbi Imp. deprehensionem in flagranti numerat inter ea indicia, quæ sola ad torturam non sufficiunt. Itaque circa hanc tertiam probationis speciem vlterius

16. QVÆRITVR: vtrum rei deprehensi, & in delictis notorijs, semper torquendi sint, nec ne? Hæc quæstio duplicem patitur intellectum. Primò: an non aliquando plenius inquirendum, antequam ad torturam procedatur: deinde an non rei absque inquisitione & tortura statim condemnandi? quia itaque in vno & altero multum positum est, & siue quis torqueatur, siue condemnetur, magnum periculum subest, ideo ne impingamus, diuersa responsa danda sunt, & priusquam respondeamus

17. SECVNDO † NOTANDVM: deprehensionem & notorietatem ab aliquibus quidem confundi, vti à Gailio *1. de P. P. cap. 15. n. 9.* sed re penitius inspectâ inter se differre, & habere se vt excedentia & excessa. Nam quoties delictum notorium est, reus in delicto deprehensus est, sed non vice versa, quoties quis deprehensus est, statim delictum notorium est.

18. Notorium † enim dicitur, quod factum est publicè, de die, & sese apertè & euidenter plurimorum oculis exhibet, tamque est euidens, vt probabiliter negari nequeat, vt nulla causatione, nulla tergiuersatione celari possit, vel quando delictum palam publicè frequentiq; populo teste committitur, *Farinac. q. 21. n. 38. & seqq. Damhauder. prax. crim: c. 11. n. 2. & 3. Gail. 1. de PP. c. 15. n. 9. Iul: Clar.* §. *f q. 9. n. 2.* v. g. quando quis occidit hominem, vel ei facit iniuriam publicè, coram populo, vel magna parte eius, Gomez *var. resol. tom. 3. c. 1. n. 41.* Quo † in casu euidentia sceleris non indiget clamore accusatoris. *c. euidentia ext. de accusat. c. ad nostram 21. ext. de jurei. c. manifesta 15. &*

19. *c. de manifesta 17. q. 2.* Quantus † autem numerus personarum esse

esse debeat, vt delictum dicatur notorium, variè sentiunt Dd. in hoc fere conueniunt, quod vel decem sufficiant, vel numerus arbitrio iudicis relinquendus sit, *vide Gomez loc. cit. n. 42.* Dambaud. *loc. cit. n. 7. & seqq. plenissimè Farinac. n. 41. cum mult. seqq.* eò quod in jure non satis sit expressus.

TERTIO † NOTANDVM: euidentiam & notorietatem facti, 20. aliquando versari circa ipsum delictum, aliquando circa indicia, vel circa antecedentia, subsequentia, & concomitantia. Sic inf. *art. 44. n. 17. & seqq.* videbimus, si penes mulierem de magia suspectam reperiantur venena mala, vel olla plena vnguentis vel alijs rebus magicis, hæc & similia alia euidentiam facti post se trahere.

QVARTO † NOTANDVM est: deprehensionem malefactoris 21. aliquando fieri à ministris publicis, ad hoc destinatis, aliquando ab alijs, forte casu interuenientibus, aliquando à judice, & vel in iudicio, vel extra iudicium: aliquando à turba & hominum multitudine, *Iul. Clar. §. f. q. 8. Dambaud. loc. cit. n. 11.* His ita notatis.

RESPONDETVR † PRIMÒ: si reus à ministris publicis in flagranti deprehendatur, ista deprehensio & denunciatio non facit 22. plenam probationem, nec est sufficiens ad condemnationē, Iul: Clar. *d. q. 8. n. 2.* vbi putat hoc tamen operari, vt reus torqueri possit, (absque alijs indicijs, *vt eum intelligit Farinac. q. 21. n. 147. & seqq.*) Monet proinde judicem, ne statim procedat ad executionem contra eum, qui ad prætorium ducitur, tanquam deprehensus in flagranti crimine, nisi aliter constet, tale delictum ab eo commissum esse. Addit † etiam practicam cautorum judicum, qui adductos ad se reos, tanquam deprehensos in flagranti 23. crimine, examinare solent, & vbi fatentur, exequi pœnam contra ipsos: vbi verò negant, statim absque alio processu ad torturam ducere, vt eos cogant ad delictum fatendum. Hæc responsio duo habet membra. Primum † quod deprehensio non sufficiat ad sententiam & condemnationem, ego probo) cum Farinacio *q. 52. n. 178.* Ratio: quia ministris publicis, vel apparitoribus & officiarijs denunciantibus non creditur, si reum se deprehendisse dicant, nisi in minutulis, leuibusque criminibus, in 24.

magnis grauioribusque criminibus non item, Farinac. *d. q. 52. n 180.* Reyger *in thesaur. rub. de denunc.* Ioan: Herman. Stam.
25 *de seruit. pers. l. 2. c. 20. n. 1.* vbi *n. 3.* exempla † dat, in forestarijs, vel custodibus portarum, vinearum, &c. qui denunciant damna agris inferentes, victualia efferentes, vuas furantes, arma prohibita portantes, lusores alearum, nocturnos ambulones, & Limitat: dummodo sint publici, jurati & integræ famæ, fide digni, & testificentur de eo, quod ad officium ipsorum spectat, & in eiusmodi leuia delicta non sit statuta grauis pœna, Farinac. *q 52, n. 181.* (vbi exemplum in delatione armorum) tunc enim pro officiali oritur præsumptio, quod officium suum fideliter exerceat, *ibid. n. 3. vide eundem n. 8.* nisi reus defensiones in contrarium attulerit, *ibid. n. 9.* vide † etiam Clarum *loc. cit. d. n. 2. v. hæc autem*
26. Bajardum *in addit ad ipsum n. 2.* vbi tunc beroarijs, & officialibus credendum putat, si alij testes haberi non possunt, & ipsi non patiuntur alios defectus, proinde *n. 6.* tradit, executoribus non credi, quando de eorum lucro agitur.

27. Alterum † membrum, quod videlicet deprehensio & denuntio ministrorum publicorum in grauioribus (nam in leuioribus tortura omninò non habet locum) sufficiat ad torquendum, tradit quidem idem Baiardus *loc. cit. n. 2. & 8.* Matthias Stephani. *hic n. 1.* Clar. *d. n. 2.* vbi post Angelum iudicem monet, vt hac torturâ vtatur velut homo discretus, secundam causam, qualitatem, & conditionem personæ, ne aliàs vt iudex peruersus reci-
28. piat punitionem. Sed † contrarium, & quod non ad torturam inferendam, sed tantum ad informationem & inquisitionem instituendam, eiusmodi denunciatio faciat, innuit Damhauder. *prax. crim. c. 4. n. 1. ibi: exactius penitiusque sciscitari velit, & inquirere,* Ioan: Herman: Stam. *loc. cit. n. 5. f. in & n. 7.* eamq; manifestius tenet Farinac: *q. 52. n. 169.* vbi declarat, quod faciat, ad inquisitionem nõ specialem, sed generalẽ tantùm, de qua vide Summam *c. 2. n. 30.* non verò ad torturam, *ibid. n. 173.* vide Berlich.
29. *p. 4. conclus. 4. num. 31.* per Rationem: quia † denunciatori non creditur, vt probet, si denuntiato graue periculum infertur, *Stam n. 6. in fin.* sed tantùm vt instruat, & informet, *ibid. n. 8. & 9.* atqui per torturam graue periculum infertur. Ergo. Ratio alia: quia

quia isti officiales plerumque sunt homines viles, & sæpe etiam infames, *Iul. Clar*. §. *f. q. 7. n. 2.* & consuetudo apparitorum est, omnia fraudibus temerare, *Stam. n. 4.* vnde exploratoribus publicis non passim fides adhibenda, tanquam proprij lucri accupatoribus, *VVeizenegg. diss. 6. c. 3. n. 29.* Hoc tamen Limitari † posset ita: nisi cum dicto officialis de visu deponentis concurreret fama, aut aliquod aliud indiciū, Farinac. *q 52 n. 176* v. g. si fortassis reus deprehensus esset homo leuis & vilis, per tradita Clari *loc: cit. n. 2. v. adde tamen* & innocentiam suam aliter ostendere non posset; si autem † honestus sit, vel talis fidei, vt ipsi cum iuramento fidendum sit, tunc suo se iuramento purgare potest, *vide c. tua nos 8. ext. de cohab. cleri.* Stam. *loc. cit. n. 5.* per Rationem: quia quod dicitur assertioni apparitoris & iurati standum esse, non plena, sed præsumpta saltem est probatio, cui quid & quantum sit tribuendum, qualitas personarum, & facti cuiusque circumstantiæ iudicem edocebunt. 30. 31.

RESPONDETVR † SECVNDO: si reus sit deprehensus ab alio, tunc vel vnus est, qui deprehendit, vel plures. Si vnus, tunc vel ipse reum ad iudicium duxit, (vti ducere potest, Farinac. *q. 21. n. 139. cum seq.*) aut iudici reum denunciauit, aut alteri narrauit, vel tantum in vulgus sparsit, ex quo deinde iudici innotuit. In primò † casu solus non videtur maiorem fidem mereri, quam apparitor iuratus, & quia non potest simul esse denunciator & testis, testimonium eius ad torturam non sufficere: præsertim cum ipsi periculum immineat falsæ denunciationis (de quo Damhaud. *c. 6. n. 8.*) & sic in causa propria, vel quæ ipsum in consequentiam saltem tangit, testatur, vide Farinac: *q. 52. n. 172.* vbi dicit, quod eiusmodi denunciator sit loco accusatoris, & ipsi credendum non sit, nisi denunciationis veritatem probet, ne quidem in leuibus, vide eundem *q. 60. n. 75.* Ratio † desumi potest ex iure Bauarico *tit. 2 art. 4.* quia sæpe homines malitiosi proximum suum non ex bono Zelo, vt delictum puniatur, sed vel ex odio, inuidia, rancore, & vindicta, eum in finē deferunt, vt ei damnum in corpore, bonis, & fama sua inferant. Hoc autē operatur eiusmodi denunciatio, vt iudex possit procedere ad inquirendū, Iul. Clar. §. *f. q. 7. n. 3.* In altero † casu solus eam fidem, quam testis 32. 33. 34. 35.

vnus

vnus aliàs meretur, ita vt si omni exceptione maior sit, semiplenam probationem faciat, ad torturam inferendam idoneam, iuxta ea, quæ notauimus inf. *art. 30. n. 1. & seqq.* Ratio: quia † si huius testimonium non sufficeret, nunquam testibus reus vel ad torturam, vel ad condemnationem deduci posset, quia quisquis testimonium idoneum præbere vult, reum vidisse, & deprehendisse debuit. Si tamen studio diffamasset, vt iudici deferretur, non est omni exceptione maior, de iure Bauarico, *tit. 4. art. 4. vide inf. art. 66. n. 12.*

36.

37. Si plures † reum deprehenderunt, tunc videndum est, an ipsi offensi vel læsi sint à delinquente, in se vel in suis, an verò non. Si læsos se asserant, & simul veniant, iudiciq; reum denuncient, non puto ob id reum torquendum. Ratio: quia delatores sunt, ac proinde in testes non recipiendi, per tradita Farinacij *q. 60. n. 46.* & quia in eo casu dubium est, an id ex Zelo iustitiæ, an verò ex quadam maleuolentia & vindicta faciant, proinde tutius est, vlteriorem informationem capere. Si † autem non fuerunt læsi, & viri aliàs honesti, ita vt iudex manifestè deprehendat, eos amore iustitiæ ductos ad denunciandum procedere, tunc debet reum apprehensum cum ipsis confrontare, & ipsum (si non excipiat contra personas & dicta eorum, neque innocentiam aliàs ostendat) in negatione persistentem torturæ subijcere. Ita intelligo, & verum esse credo, quod scribit Farinac. *q. 21. n. 149.* confer quæ tradit Ioan: Campegius *in tract. de testib. reg. 103. fall. 4. & & 5.* vbi habet, quod plus credatur, si plures sint denunciantes, quam si vnus solus, & in hoc casu existimo dispositionem Articuli nostri locum habere. Quamuis melius facerent, si vnus solus denunciaret, & reliquos pro testibus nominaret.

38.

39. Si autem † non denunciant, sed delictum aliàs spargunt, recipi debent tanquam testes super delicto, & super deprehensione rei in flagranti, deinde reus ipse audiri. Si examinatus fatetur absque aliqua excusatione, non torquetur, sed punitur: si negat, testes iam super flagrantia delicti recepti confrontantur cum ipso, & si iudex ipsum conuictū videat, dat terminum defensionis, & si nihil releuans adducit, non procedit ad torturam, sed ad executionem pœnarum, Farinac. *q. 21, n. 150, cum seqq.* Confer notata

notata inf. *art. 69.* Ratio † diuersitatis inter hos tres casus est 40.
ista: quod in vltimo testes nullum patiantur defectum. Ergo ex eorum depositione potest procedi ad condemnationem. In secundo patiuntur vnum, quod sint vltronei, quem numerus ita supplet, vt ad torturam sufficiat. In primo patiuntur duos, quod sint spontanei, & in causa propria testificentur, proinde ad nihil aliud proficiunt, quam ad informationem faciendam.

Respondetvr † tertio: si iudex solus reum deprehendit 41.
in flagranti crimine, extra tribunal, vel locum senatorium, quia proprijs oculis vidit eum delinquere, non poterit eum condemnare, Iul: Clar. §. *fin. q. 8. n. 5.* sed debet inquirere, & processum legitimo ritu instituere, *Dambaud. prax. crim. c. 11. n. f.* Farinac.
q. 21. n. 162. cum seqq. Ratio: quia † judex debet judicare se- 42.
cundum allegata & probata, non secundum propriam suam scientiam, vel conscientiam, *L. illicitas. 6. §. veritas 1. ff de off. praesid.* ad long. Harp. § *si minus 34. n. 2. inst. de act.* Clarus *d. n. 5.* vbi addit: quod si iudici hæc facultas permitteretur, tunc facilè posset aliquem suspendi facere, & dicere, quod ipse viderit, & deprehenderit delinquentem. Ratio similis: quia crimen commissum non est ipsi notorium, seu cognitum tanquam iudici, sed
veluti priuato, *Dambaud. loc. cit.* E contrario † verò, quando 43.
judex vadat cum familia discurrendo ciuitatem de nocte, videatque & inueniat aggressores arma portantes, seu alios delinquentes, potest istos deprehensos condemnare, nulla alia præcedente probatione, Farinac. *q. 52. n. 185.* per Rationem: quia tale factum dicitur esse notorium iudici, & ipsi constare non vt priuato, sed vt iudici, more iudiciario inquirentis, vide eund. Farinac. *q. 21. n. 158.* dummodo tamen nocte serena deprehenderit, & vnum ab altero discernere potuerit. Sed hoc ipsum Farinacius *d. n. 185.*
non libenter admittit, nisi in delictis leuibus. Quid † iuris sit, 44.
si delictum sit commissum coram iudice & notario, & notarius de mandato iudicis illũ deliquisse scripserit, vide remissiuè apud
eund. q. 21. n. 165. Poteritné † ergo judex, si delinquentem vi- 45.
derit, & deprehenderit, reum in eo casu torquere? hoc quidem aliqui dicunt, etiam in primo casu, si iudex solus, vt priuatus eum viderit, quia sibi & oculis suis non minus, atque vni alteri testi

credere potest: sed Farinac. *q.* 21. *n.* 163. & Iul: Clar: *d. q.* 8. *n.* 5. putant, quod non, (quia non potest duas personas sustinere, judicis & testis) sed quod possit saltem absque alia querela, aut denunciatione, statim super eo informationes assumere, & contra eum procedere, & hunc dicit esse vnum ex casibus, in quibus iudici via aperitur ad inquirendum absque vlla diffamatione praecedente.
46. In altero † casu minus dubitarem de tortura, quia potest ministros iustitiae, quos secum habuit, tanquam testes examinare, qui etsi ob vilitatem suam, & lucrum, quod ex processu forte sperare possunt, non sint omni exceptione maiores: tamen eorum depositiones cum notitia judicis coniunctae ad torturam sufficere possunt, & vtique plus operari debent, quam nuda tantum ipsorum ministrorum deprehensio & denunciatio. Et de hoc casu verificari quoque potest decisio CAROLI Imp. in praesenti articulo nostro.

47. RESPONDETUR † QUARTO: si iudex reum non solus, sed cum alijs quibusdam deprehendit, non datâ ad id operâ, sed fortuitò, tunc non potest ipsum statim condemnare, neq; torquere, sed debet illos, qui interfuerunt, tanquam testes desuper iurato examinare, per tradita Harprechti. §. *si minus* 34. *n.* 9. *inst. de act.*
48. Ratio † prioris: quia debet ipsi iudicialiter constare, atqui nondum iudicialiter constat, si reus ab ipso & alijs in flagranti fuerit deprehensus, si dixerit vidi, viderunt plures alij, *idem ibid.* Ra-
49. tio † posterioris: quia tortura non habet locum, nisi in subsidium, quando aliae probationes haberi non possunt, *vide inf. art.* 45. *n.* 3. *Iul. Clar.* *q.* 64. *n.* 5. atqui hic possunt haberi, & ij qui adfuerunt, examinari. Ergo. &c.

50. RESPONDETUR † QUINTO: si reus notoriè deliquit, hoc est ipsum delictum commisit publicè & palam, plurimis spectantibus, in eo casu putant aliqui, quod iudex statim possit ad condemnationem descendere, Albericus in *L. indicia* 19. *col.* 2. *C. de rei vend.* (si certum sit, reo nullam competere defensionem & excusationem, secus in dubio, vide Farinac. *q.* 21. *n.* 78.) Ratio:
51. quia † reus condemnari potest, quando plene fuit probatum: atqui euidentia & notorietas facti tam efficax est ex mente aliquorum, vt nulla probatio validior sit, & vt cuiq; generi probatio-

num

num præferatur, *vide Zanger de quæst. seu tort. reor. c. 2. n. 199.* Ergo de manifesta & plurimis nota causa non sunt quærendi testes, vide Gail. *1 de PP. c. 15. n. 9.* quia notorium est per se probatio probata & finita, *vide Farinac. q. 21. n. 79.*

Nihilominus † tamen, quia multa dicuntur notoria, quæ non sunt, & quia notorium populo & non iudici, debet iudici, vt iudici, ex actis constare, nec sufficit, quod soli populo notorium, *ibid. n. 14.* ideo antequam procedat, debet desuper sumere informationes, & eas ad acta redigere, *n. 85.* (notorium enim probandum, & quidem plenè *n. 95.* per testes iuratos *n. 99.*) Quem in finem Gomez *tom. 3. c. 1. n. 42.* dat hoc consilium, vt iudex examinet plures testes, & sic maiorem partem viciniæ, vbi delictum est commissum, vt clarè constet de notorietate. Idem *num. 44.* dicit, quod saltem duo testes deponere debeant de veritate, & essentia ipsius delicti, & eius notorietate, dicendo, vidisse delictum fieri, & publicè esse factum coram multitudine personarum, vel tali loco & tempore, per quod sequitur, & resultat esse notorium. Confer *Iulium Clar: §. fin. q. 9. n 5.* Ex quo † sequitur, 52. 53. quod in notorijs facti, vbi delictum ipsum innotescit, tortura non habeat locum. Ratio: quia si aliter constet de delicto, reus torqueri non debet, sed tunc tantum, si veritas & aliæ probationes haberi non possunt, *vide sup. art. 8. inf. art. 45. n. 3. art. 46. num. 4.*

RESPONDETVR † SEXTÒ: quando aliquod delictum com- 54. mittitur præsente iudice, in loco iudiciali sedente, vel in actu exercendi iustitiam & officium, & tot alijs, qui sufficiant ad notorium facti, in præsentia decem vel duodecim, eo in casu non requiritur probatio & sententia, sed absque processu & probatione iudex potest procedere ad punitionem, ita Baiardus *in addit ad Clar. § fin q. 9. n 5.* Damhaud. *prax crim. c. 11. n. 17.* vbi dicit, quod iudex ipse defectum necessariorum solus suppleat, additque Rationem: quia in rebus iudici certa notione, siue notorietate perspectis, nullus legum ordo, nulla procedendi forma, nulla solennitas seruanda erit, *argt. c. vestra, 7. & c. tua nos 8. ext. de cohab. cleric.* adde Gomezium *tom. 3. var. resol. c. 1. n. 48* vbi dicit, quod hoc in casu non requiratur aliqua probatio, vel depositio

 testium,

testium, nec processus, nec alia solennitas, sed quod judex statim possit delinquentem punire, quia aspectus iudicis inducit euidentem probationem quoad decisionem causæ, *per text. ab eo allegatos.* exempla videri possunt apud ipsum, & Farinac. *d. q. 21*
55. *n. 151.* Idem tamen † ibidem tutius esse dicit, vt judex recipiat probationes super tali delicto, ne aliquid sibi possit imputari, maximè cum talis probatio breui tempore possit fieri. Ratio:
56. quia † si in syndicatu negaretur, condemnatum commisisse delictum in eius præsentia, & non posset is iudex delictum probare, non mediocre incurreret periculum, *Farinac. q. 21. n. 159.* melius ergo dicit esse, vt testes ad eius faciem confrontati bene concludant, quod viderint illum deliquisse, coram iudice pro tribunali sedente, & multis adstantibus, & vt ipsi terminus defensionis detur, vt videatur, quam afferat defensionem. *n. 160.*

57. RESPONDETVR † SEPTIMÒ: si notorietas & euidentia facti versetur tantum circa indicia, atq; ea, quæ delictum antecedunt, vel sequuntur, vel comitantur, iuxta declarationem Notandi quarti, putant quidem aliqui, eam ad condemnationem sufficientem esse: sed Zanger. *c. 2. de tort. n. 199.* negat, euidentiam eiusmodi earum esse virium, vt reum iudex ad pœnam ordinariam condemnare possit, sed de hoc infr: *art. 44. n. 30. & seqq.* sermo redibit, vbi videbimus, quando & quæ indicia euidentiam facti post se trahentia ad torturam sufficiant. Interim vide Farinac. *q. 21. n. 151.* vbi exemplum affert in fure, qui non est visus furari, sed deprehensus in præparatorijs, quod tunc possit torqueri. Confer Summam *c. 6. n. 37.*

Atque ita post longam seriamque deliberationem, & exactam omnium circumstantiarum considerationem, ego nouiter quidem, sed veraciter teneo, atque præsentem difficilem articulum explico, in eo tamen suum cuique judicium relinquo.

De

Quod accuſator poſt capturam accuſati diſcedere non debeat, priuſquam locum certum deſignârit, ad quem ei, denunciari poßit.

ARTICVLVS XVII.

SVMMARIA.

1. *Accuſator præſtita ſatiſdatione an poßit à loco judicij recedere.*
2. *Ratio dubitandi.*
3. *Reſponſio affirmatiua, dummodo domicilium indicet, quo ei acta ſint tranſmittenda.*
4. *Iudicem cuncta rimari oportet. Dandum eſt aliquid occupationibus hominum.*
5. *Accuſator mercedem viatori ad ſe decurrenti ſoluere debet.*
6. *Actuarius domicilium ab accuſatore deſignatum annotare debet.*

QVÆRITVR † in hoc articulo: quid ſi reus ad inſtantiam accuſatoris ſit in carcerem coniectus, ipſe autem accuſator poſt præſtitam ſatiſdationem ſuæ libertati relictus, vtrum pendente proceſſu criminali poſſit negotiorum ſuorum cauſa à loco judicij abire & recedere? Ratio † dubitandi deſumi poteſt ex ſuperiori articulo, quia intereſt reip: vt proceſſus iſti citò terminentur, & vt ſuperuacuis ſumptibus parcatur: atqui hac ratione poſſet proceſſus diu & multum extrahi, atque prolongari. Deinde poſſet ipſe accuſator, poſtquam animaduertit ſe in cauſa paulatim ſuccumbere, & de pœna calumniæ periclitari, ſe prorſus judicio ſubtrahere. 1. 2.

Verùm † his non attentis Reſpondet Imp. accuſatorem poſſe diſcedere, dummodo judici locum certum & tutum, domumque idoneam, quæ commodè & ſine periculo adiri & accedi poſſit, deſignauerit, quò deinceps acta, citationes, & aliæ neceſſariæ denunciationes tranſmitti queant, & ſi contingat ipſum citari, vt ſciatur, vbi citatio ipſi tradenda ſit, *Thom. Mezger conſil. crim. 15. n. n. 30. vide Summam c. 2. n. 17.* Ratio † eſt: quia cum judicem cuncta rimari oporteat, & ordinē rerum plena inquiſitione diſcutere, & ad ſententias ferendas in rebus tam ar- 3. 4.

duis minimè properandum sit, *c. judicantem 11. caus. 30. q. 5. L. judices 9. cum auth. seq. C. de judic. Gail. 1. obs. 108. n. 5.* ideo sæpissime fit, vt processus ad aliquot menses & annos protrahatur. Si autem interea temporis accusator semper deberet in loco judicij hærere, id non posset fieri absque magno temporis & sumptuum dispendio, & aliorum negotiorum neglectu. Quia verò dandum est aliquid occupationibus hominum, Wesenb. *in parat. ff. in jus vocati vt eant.* id *n. 8. in pr. ff. de procurat.* & multæ necessariæ vel probabiles esse possunt causæ, propter quas accusator absens esse debet, *Gilhaus. ad text. nost.* ideo cum prædicta cautela (per quam vnà cum satisdatione præmissa allegatæ difficultates vtcunque tolluntur) accusator recedere permittitur.

Ad Versic: Vnd soll.

5. QVid si † autem accusator talem locum designauerit, & ad eum nuncius vel viator ad acta perferenda, missus fuerit, quis ei mercedem soluet, & quantum? ad hoc Resp. Imp. quod accusator viatori ad nominatam à se domum decurrenti satisfacere teneatur, & mercedem pro numero milliarium, & cuiusque regionis consuetudine soluere. Ratio: quia sumptus præstare debet, cuius gratia actus celebratur, *L. sed etsi 11. §. 1. ff. ad exhib.* impendijs & periculo actoris res eò loci perferenda est, vbi existit, *ibid. vide Summam c. 10. n. 4.*

Ad Versic: Vnd wie der Anklåger.

6. IN hoc † Versic: monet Imp. actuarium siue scribam judicij, vt domicilium ab accusatore designatum diligenter annotet, & in acta judiciaria referat. Ratio: vt eò certius acta ad eum dirigi, & si postea variaret, ex actis conuinci, & sumptus repeti possint.

Vnde

Vnde legitima indicia alicuius delicti sumantur.

ARTICVLVS XVIII.

SVMMARIA.

1. Continuatio.
2. Vnde petantur indicia delictorum? 3. nullis certis legibus definiri potest, & quare n. 4.
5 Iudicis arbitrio relinquitur, quaenam indicia sint sufficientia.
6. Arbitrium iudicis debet esse iuri & aequitati consonum.

QVandoquidem † in capiendis & incarcerandis, nec non & torquendis ijs, qui pro malefactoribus habentur, & accusantur, & nihilominus delicta inficiantur, ad indicia, praesumptiones, & coniecturas attendendum est, & absque praecedentibus indicijs & argumentis nemo capiendus vel torquendus, (quemadmodum ex antecedentibus, & subsequentibus huius criminalis constitutionis articulis, *videl. art. 6. & 20.* nec non ex iure communi *L. 1. in pr. & §. idem 4. §. diuus Seuerus 17. ff. de quaest.* deprehendere licet) ideo nunc 1.

QVAERITVR: quaenam † sint illa, quae sufficiens & legitimum indicium, signum, suspicionem, vel coniecturam praebeant? siue vnde indicia delictorum rectè desumantur & petantur? 2.
Ad hoc † Respondet Imp. quod impossibile sit omnia enumerare, 3.
& certis legibus definire, *concordat art. 24. vers.* wann nit müglich/ *art. 25.* item so man *art. 27. u.* wo aber/ id quod etiam agnouit *VVesenb. in parat. n. 7. ff. de quaest.* Sigism: Flach. *in colleg crim. disp. 5. th. 56. Gilhaus. h.*

Rationem † dicunt esse nimiam varietatem personarum & 4.
rerum, *Remus Zieriz. & Steph: h* circumstantiae enim, vt in facto, sic iuris dispositione statim varietatem inducunt, *Zieriz. h.* Cum enim ex facto oriantur, quo mutato necesse est ipsum ius mutetur: secundum diuersitatem factorum diuersum redditur consilium, Zanger *c. 2. n. 227.* Sicut itaque Callistratus Iurisconsultus in *L. 3. ff. de test. §. 2.* respondit: nullo certo modo satis definiri posse, quae argumenta ad quem modum probandae cui-

que

que rei sufficiant: ita quoque nostri dicunt, nullâ certâ doctrinâ & regulâ comprehendi posse, quænam indicia in singulis causis sint sufficientia, Zanger. *c. 2. de quæst seu tort. reorum n. 14.* Ratio: quia quæ facti sunt, certò definiri non possunt, *argt. L. 32. in pr. ff. de vsur.* quatenus non rectè dijudicantur, nisi cognitis circumstantijs, & variantur variatis circumstantijs.

5. Ex quo † Inferunt & dicunt, iudicis arbitrio, conscientiæ & discretioni committi, an indicia, suspiciones, & coniecturæ sufficiant quæstioni siue torturæ, Nicol. Vigel: meth. Carol: *c. 4. q. 1. except. 1. rep. 3.* Zieriz. & Matth. Stephani h. Farinac: *q. 37. n. 192.* Zanger. *d. n. 227.* Gilhauf. *in not. ad text. nost. & c. 6. p. 7. sect. 2. n. 5. de tort.* Damhaud. *in prax. crim: c. 36. n. 1. vbi n. 10.* Rationem reddit: quia quicquid in iure determinatum non reperitur, id arbitrio iudicis relinquitur.

Ad Versic: damit aber.

6. QVia † tamen arbitrium iudicis debet esse iuri & æquitati consonum, & quia is, qui habet potestatem disponendi secundum arbitrium, discretionem ac conscientiam, nequaquam debet sequi propriam phantasiam & arbitrium, sed illud regulare & formare secundum leges & canones, Farinac. *loc. cit. n. 194.* Damhaud. *loc. cit. n. 3.* ideo ad iudicis arbitrium in hoc negotio instruendum, & vt iudices, assessores, rerumque capitalium cognitores, qui exiguam plerumque cognitionem habent, tantò melius aduertant, vnde legitima indicia, suspiciones, aut præsumptiones delictorum, præsertim frequentiorum descendant, Imp. in seqq. articulis aliquot regulas tradere constituit, *Gilhauf. in not. ad text. nost.* vide *Summam c. 4. n. 6. & 7.*

De verbi indiciorum significatione.

ARTICVLVS XIX.

SVMMARIA.

1. *Verborum prior, rerum potior est interpretatio.*
2. *Indiciorum appellatione quid veniat & n. 6.*
3. *Ratio quæstionis.*
4. *Indicium, præsumptio, coniectura*

ra an differant. | *6. Nemo res breue intelligit, nisi*
5. Cur hic inter se confundantur. | *verba prius cognouerit.*

SEd quia † verborum prior, rerum autem potior est interpretatio, argt. *l. 1. ff. si cert. pet. Oldend. class. 4. act. 24. in pr. §. sed hic.* & vt ait Bald. & post eum Farinac. *q. 36. n. 1.* omnis doctrina, & omnis disciplina rectè à vocabulorum cognitione incipit, & turpe est prius determinare, quam terminos intelligere, ideo Imp. in hoc † artic. explicat, quid in seqq. nomine indiciorum intelligi debeat: videlicet argumenta, præsumptiones, conjecturæ, signa, suspiciones, & quæuis alia similia adminicula, quæ in delicti cognitionem ducunt: *conf. art. praced. inf. & Summam. c. 4. n. 2.* Ratio cur † hoc tradat, affertur à Remo talis: vt verborum tum prolixitas, tum ambiguitas, si qua hinc oriri posset, euitetur; & spinosis hominibus occasio argutandi hac velut falce præcludatur, plerumque enim ex verborum prolixitate, vel ambiguitate spinosi homines occasionē argutandi arripiunt *Gilhaus.* vel vt *Zieriz.* h. dicit: ne decipulis & fallacijs ex verbi significatione variæ latebræ quærantur. Quamuis † enim, si strictè loqui velimus, indicium, præsumptio, conjectura, signum, & suspicio differant; vt latè tradit, *Iacob. Menoch. de præsumpt. l. 1. q. 7. n. 2. 5. & 6.* Prosp. Farinac. *l. 1. prax. & theor. crim. tit. 5. q. 36. Gilhaus. in not. h.* Thomas Mezger *consil. crim. 15. n. 107. cum seqq.* in hac tamen constitutione nomine indiciorum hæc omnia comprehenduntur, & ab Imp. inter se confunduntur, *Zanger. c. 2. n. 13.* quemadmodum etiam passim à Doctoribus, *Farinac. loc. cit. n. 263. cū seqq. Dambaud. c. 36. n. 33.* Ratio: quia Imp. † rudes & imperitos judiciorum criminalium cognitores erudiendos suscepit, *Remus artic. 18.* & quia populariter cum populo, cui jus redditur, quandoque agendum; *VVesenb. n. 6. ff. quod met. caus.* quando enim de sensu constat, vocabula curanda non sunt, *per l. 2. §. 1. C. de const. pec. Zieriz. h.* Ratio alia: quia indicium dictum est ab indicando, vel indicendo, quod judici aliquid indicet, & eius animum informet, Weizenegger. *diss. 6. c. 3. n. 34.* atqui ista omnia judicem vel leuiter, vel verisimiliter, vel necessariò informant.

Itaque indicium † legitimum ad torturam sufficiens passim 6.

L. in seqq.

in seqq. art. germanicè dicetur, ein redlich Anzaigung / vel ein redlich Wahrzaichen / Argwohn / Verdacht / vnd Vermuhtung / quod pro intellectu præsentis materiæ bene notandum, neque contemnendum, tanquam aliquid minutum. Ratio: quia nemo res bene intelligit, nisi verba prius cognouerit, *Matth. Stephani l. 1. de jurisdict. c. 1. n. 8.* & ex nominum significatione rerum substantiam inuestigamus. *argt t. t. ff. de V. S.*

Vt sine legitimis indicijs nemo torqueatur.

ARTICVLVS XX.

SVMMARIA.

1. *Continuatio.*
2. *Ad Torturam non deueniendum absq; præcedentibus indicijs, & quare? n. 3.*
4. *Indicia ad torturam debent esse legitima, & tam exquisita, vt nihil præter confeßionem rei desit.*
5. *Facere debent semiplenam probationem. 6. Ratio.*
7. *Ad torturam non sufficit indicium vnum, sed requiruntur plura. 9. Nisi sit valde vrgens. n. 15.*
8. *Pluralis locutio singulari non acquiescit, duorum autem numero contenta est.*
10. *Vnum quandoq; præualet pluribus. 11. Ergo vnum indiciū aliquando ad torturam sufficit. 12. etiam remotum. 13. & quare. 14. confeßio extrajudicialis, an sufficiens sit indicium ad torturam.*
16. *Arbitrio judicis relinquitur, an vnum indicium sit tam graue, vt quis torqueri poßit.*
17. *Indicia debent esse probata per duos testes.*
19. *An duo testes requirantur in propinquis indicijs probandis.*
20. *Confeßio facta in tortura sine legitimis indicijs est nullius momenti. 27. 21. ratio. 23. neq; cōualescit, etiamsi tortus in ea perseueret, & extra tormenta ratificet, etiā judicialiter. 24. 25. etiamsi postea legitima indicia superueniant. 26 etiamsi ad rescriptum principis ad tormenta reus sit abreptus.*
28. *Iudex reum sine legitimis indicijs torquens tenetur de injuria, dolore, sumptibus & damnis. 29 30. 31. etiamsi postea apparuerit eum nocentem esse.*
32. *Actio injuriarum datur contra*

tra judicem injustè torquentem. & 33.34. adhuc durante officio 35. etiam vltra annum.
37. *Syndicatus remediũ quale, & vnde fluxerit?*
38. *Contra quem & quare competat.*
39. *An tunc, cum judex reum illegitimè torquet.*
40. *Quâ pœnâ talis judex afficiatur & 41. 42.*
43. *Auctoris votum. 44. Exemplum.*
45. *Cautio exultionis, seu vrpheda. vrpheda formula.*
46. *Vrpheda non excludit viam juris, sed tantùm facti. & 47.48. ne tunc quidem, si reus cauit, se nulla ratione velle vindictam quærere. 49. Ratio. 50.*

IN hoc † & plurimis alijs sequentibus articulis agit Imperator de tortura reorũ, quæ vt ex superioribus constat, sæpe ad exquirendam & exprimendam veritatem, & ad eruenda crimina necessaria est, *l. 1. in pr. ff. de quæstion.* ideo statim ponit REGVLAM supra *artic. 6.* occasionaliter etiam allegatam, videlicet: quod ad Torturam † non deueniendum sit absque præcedentibus indicijs, *L. vnius. 18. §. 2. L. vlt. ff. de quæstion. L. milites. 8. §. oportet. C. eod.* quam vide ad longum tractatam apud Farinac. *q 37. per tot.* Rationem † reddit Remus, & post eum Matth. Stephani talem: quia nihil tam crudele & inhumanum esse videtur, quam hominem ad imaginem DEI conditum tormentis lacerare, & sic quasi excarnificare, maximè cum tortura res sit fragilis & periculosa, quæ veritatem sæpiùs fallit. *L. 1. §. quæstioni. 23. ff. de quæstion.* 1. 2. 3.

AMPLIATVR † autem regula PRIMÒ: vt indicia debeant esse legitima, id est, vt non sufficiant quælibet vanæ, leues & perfunctoriæ suspiciones, & conjecturæ, sed vt indicia subsint valde vrgentia, verisimilia, probabilia, grauia, quæ sint apta ad persuadendum animum judicis, eundemq; ita certum reddant, vt nihil fere aliquid deesse videatur, quam eiusdẽ rei cõfessio, Farinac. *q 37. n.3.* Zanger. *c.2.n.8.* Weizenegger. *diss.6.c 3. n.36 post Blancum in pract crim. & Hippolyt. de Marsilijs.* Remus & Matth. Stephani hic. Ratio: quia † tortura res est satis grauis, & pœnæ corporali non absimilis. *Ergo* ad illam inferendam non sufficit quælibet conjectura leuis, vide Wesenb, *in parat. n. 6. ff. de quæstion.* vbi 4. 5.

putat, nulla indicia ad torturam sufficere, nisi faciant semiplenam
6. probationem, *vid. art. 23. n. 7.* Rationem † similem reddit *Farinac. q. 37. n. 4.* quia dum agitur de torquendo reo, agitur consequenter de salute hominis, ideo non tibi mirum videatur rigorose judex, si & jura, & Doctores sic exquisita requirant indicia, vbi enim maius est periculum, ibi cautius agendum, *c. vbi periculum. de elect. in 6.*

7. AMPLIANT aliqui SECVNDÒ: vt ad torturam inferendam non sufficiat indicium vnum, sed requirantur plura, vide *Farinac. q. 37. n. 3. Damhaud. c. 36. n. 21. VVesenb. in parat n. 6. ff. de quaestion.* Ratio: quia leges & jura de indicijs tractantia & loquentia pluraliter loquuntur, *L. 1. §. 1. ibi: & alijs argumentis. L. vnicus. 18. §. 1. & L. f. ff. de quaest.* Pluralis autem locutio singulari non acquiescit, *L. libertas quam §. vlt. ff. de manum. testam. Damhaud. loc. cit.* & ad vnum restringi non debet, *Mynsi. cent. 1. obs. 67.* ideo ad minimum duo requiruntur, *VVesenb loc. cit.* quia pluralis locutio duorum numero contenta est, *c. pluralis 40. de R. I. in 6. L. vbi*
8. *numerus. 12 ff. de testib.* Nihilominus † tamen, quia non est infrequens in jure, vt pluralitas resoluatur in singularem (sic enim actio negotiorum gestorum, & actio vi bonorum raptorum dantur, licet vnum negotium gestum, vel vna res rapta fuerit, *VVesenb. n. 5 ff. de vi bon. rapt.* sic leges quandoque pluraliter exigunt fidejussores, & tamen verius est vnum idoneum sufficere, *VVesenb. n. 7. ff qui satisd. cog.* vide Damhaud. *loc. cit* vbi plures textus al-
9. legat, ex quibus exempla sumi possunt) ideo † communiter putant, indicium vnicum, si sit valde graue, praegnans, vel vrgens ad torturam sufficere, *idem Damhaud. loc cit. Matth. Gribald. commun. opin. crim. reg. 63. Anton. Gomez. var. resol. l. 3. c. 13. in pr.* Wesenb. *loc. cit.* vbi exemplum ponit in vno teste omni exceptione maiore, qui asserat se delictum vidisse, hic enim, si de actu immediato deponat, reum facit suspectum, vt torqueri possit, qua de re infra *artic. 30* & Zanger. *c. 2. n. 18* Iul. Clar. *q. 22. n. 2.*
10. Ratio: quia † sicut vnum patrimonium difficile, negotiosum & diffusum quandoque praeualet pluribus, ita vt vna tutela sola praestet excusationem à reliquis: ita quoque vnum indicium valde graue potest praeualere pluribus leuioribus. Et quamuis † a-
11. liqui

liqui distinguant, vtrum vnum illud indicium sit propinquum, an verò satis remotum ab actu, ita vt in priori casu sufficiat vnũ ad torturam, in posteriori verò requirantur plura, Bart. *in L. f. ff. de quæst. n. 6.* quem alij sequuntur: tamen Iulius † Clarus *§. f. n. 14.* 12.
indistinctè tenet, quod per indicium graue, siue remotum illud sit, siue propinquum, procedi possit ad torturam, atque ita dicit de consuetudine in practica seruari. Ratio: quia † potest indicium 13.
etiam esse satis remotum ab actu, & non tangere immediatè delictum, & tamen nihilominus ita inferre delictum, ac si propinquum esset, Farinac. *quæst. 37. n. 46.* vbi exemplificat † de confes- 14.
sione extrajudiciali (quod exemplum etiam amplectitur Villalob *lit. C. n 135.* Iul. Clar. *q. 21. v. confeßio*: 31. vide quæ scripsi inf. *ad artic. 32.*) & de re furto subducta apud aliquem reperta, ob quę etiam alijs non concurrentibus putat torturæ locum esse, per *L. inciuilem, & L. ciuile est 5 vbi Dd. C. de furt.* vide Gothofredum ad *d. L. 5.* vbi putat, non aliter quæstionem haberi posse, nisi is, apud quem reperta fuit, homo nauci & illaudatæ vitæ sit, vide etiam Iul. Clar. *q 21. vers. sed res furata 14. & §. furtum n. 5.* Gomez. *lib 3. c. 13. n. 12.* Menoch. *lib. 1. q. 89 n. 141. & l. 5. præsumpt. 29 per tot. maximè n. 6.* vbi idem asseuerat. *vide Summam c. 4 n. 53. & inf. art. 43. n. 1.* Sed † abstrahendo ab exemplis, & manendo 15.
in thesi, Imp. noster Carolus V. hanc posteriorem sententiam, quod videlicet vnum indicium sufficiat ad torturam, in textu nostro approbat, quia tam in rubro, quam in nigro semper & indistinctè de vno indicio loquitur, & infra *artic. 29.* in specie quædam indicia recensebit, quorum quodque per se solum sufficit ad torturam.

Vtrum † autem indicium vnum tam sit graue, vt quis tor- 16.
queri possit, an verò plura requirantur, id vt plurimum (exceptis casibus in jure communi, & articulis seqq. expressis) arbitrio prudentis judicis relinquitur, Damhaud. *loc. cit. n. 32.* qui si indicia erunt generalia, & remota, ad torturam non facilè deueniet, nisi sint plura, secus si sint proxima, grauia, & delictum maximè inferentia, Farinac *d quæst. 37. n. 49* qua de re infra *art. 28.*

AMPLIATVR † & declaratur regula TERTIÒ: vt non sufficiat 17.
indicia extare, sed insuper necesse sit ea probare, per text. *artic.*

nostri, ibi: Wo nit redlich Anzaigen verhanden/vnd beweißt wurde. Et quidem per duos testes ad minimum, vt videbimus inf. *art.30.* Wesenb. *in parat. n.6. ff. de quæstion.* Farinac. *q.37. n. 13.* Ant. Gomez. *var. resol. l. 3. c.13. n.18.* Menoch. *lib.1. præsumpt. q.91. n.2. cum seqq.* Gribaldus *criminal. opin. reg. 2.* Villalob. *commun. opin. lit. T. n.120.* (de quo tamen infra *art 23.*) Iul. Clar. *lib.5. §.f.*
18. *q. 22. n. 1.* vbi dicit, id maximè † procedere, si indicium sit remotum à facto, nam in propinquis quandoque aliud seruatur, vt cum testis vnus de ipso delicto à se viso testatur, Wesenb. *loc. cit.* vbi dicit, in hoc judicis arbitrio & prudentiæ multa relinqui esse necesse. An autẽ testes debeant esse omni exceptione maiores? vide inf. *artic. 23.* & an testes citato reo audiendi & examinandi, apud Cacheran. *decis. 79. n. 2. cum seqq.* Nic. Boërium *decis. 163. n. 8.*

19. Plures † Ampliationes, similiter & limitationes regulæ nostræ videantur apud Farinac. *d. q.37. per tot.* quibus addantur, quæ in seqq. Versic. ab Imp. nostro traduntur.

Ad Versic: Vnd ob auch gleich.

20. QVidsi † autem reus sine legitimis indicijs præcedentibus torturæ subjectus crimen intentatum fuerit confessus,
21. quid tunc faciendum? ad hoc † Respondet Imp. quod nulla fides ei sit habenda, neque reus ex sola illa sua confessione damnandus, argt. *L. 2. 3. & 4. C. si ex falsis instrumentis.* Zanger. *de quæst. seu tort. reor. c. 2. n. 9.* Mynſ. *cent. 5. obs. 23. per tot.* Iul Clarus *§. f. quæst. 55. n. 14.* Farinac. *q. 37. n. 110.* Gilhauſ. *in not. h.*
22. Matth. Stephani *h. n. 2. & art. seq. n. 3.* Rationem † reddit Bernhardus Zierizius: quia quando sufficientia indicia non præcesserunt, tunc vt tortura est illegitima, ita torturam subsecuta confessio nullius est momenti. confer. *art. seq. n. fin.* Et hoc

23. AMPLIANT † procedere PRIMÒ: vt etiamsi tortus postea perseueret in ea confessione, hoc tamen ipsi non præjudicet, licet extra tormenta confessionem expresse ratificauerit, imò licet millies ratificauerit, & quidem judicialiter. *Mynſ. loc. cit. Zieriz. loc. cit. Farinac. loc. cit. Iul. Clar. d. n. 14. Francisc. Viuius*

commun.

commun. opin. v. confeßio facta. Ratio: quia † quando ſeruanda 24.
non fuerunt ſeruata, tunc talis confeſſio eſt ipſo jure nulla, & quia ex illegitimo principio nõ poteſt legitima naſci conſequentia. Rationem aliam reddit Dominus Weizeneggerus *diſſ. 6. c. 9. n. 136.* vt enim ipſa per injuriam extorta, & nulla eſt: ita & ratificationem, quæ ſequitur, & acceſſionis vicem ſuſtinet, nullam eſſe juri conſentaneum eſt. Ratio alia: quia licet confeſſionem expreſsè non reuocet, ſed in ea perſeuerare videatur, non tamen præſumitur conſcientia criminis, ſed metu tormentorum, quibus denuò ſubijciendus eſt, durare, & conſequenter reus audiendus eſt, ſi de injuſtitia cauſæ, & nullitate proceſſus docere velit, Zanger. *c. 5. n. 31. cum ſeqq.*

AMPLIATVR † SECVNDÒ: licet poſt extortam confeſſionem 25.
legitima ſuperueniant indicia, non tamen propterea talis confeſſio conualidetur. Iulius Clar. § *f. d. q. 55. n. 14. idem q. 64. n. 9. circ. f.* Zanger. *loc. cit. n. 10.* Matth. Stephani. *h. n. 2. Card. Tuſch. lit. C. n. 42. vid. inf. art. 60. n. 9.* Ratio: quia quod ab initio non valet, tractu temporis non conualeſcit. Quid autem operentur noua illa indicia, vide apud Iodoc. Damhaud. *cap. 9. n. 6.* & Matth. Steph. *artic. ſeq.*

AMPLIANT † TERTIÒ: vt quamuis ad reſcriptum principis 26.
reus ad quæſtionem abreptus eſſet, & confeſſus, adhuc tamen idem obtineret, Zanger. *loc. cit. n. 11.* per Rationem: quod eiuſmodi reſcriptũ cum injuria alterius conjunctũ ſit, proinde irritũ ac nullũ, *argt. L. 3. C. de prec. Imp. off. L. auctoritatẽ 3. C. vnde vi.*

AMPLIANT † QVARTÒ: vt etiam confeſſio facta metu tor- 27.
mentorum, vel ſaltem per minas, & in loco tormentorum, ſine præcedentibus legitimis indicijs non noceat, *argt. L. 1. §. ſi quis. 27.* ibi: nonnunquam enim aut metu confitentur, *ff. de quæſt.* Matth. Stephani *ad text. noſt.* & Gilhauſ. *ibid.* Ratio quia talium minarum metus non eſt vanus, vtpote qui meritò in conſtantem virum cadere poteſt.

Ad Verſic: Wo auch.

QVidſi † autem judex vel magiſtratus, in hoc excedat, & 28.
reum illegitimè ſine probatis judicijs de facto torqueat? ad

29 ad quid tunc tenetur reo? Imp. † Respondet, quod teneatur de
30 injuria, dolore, sumptibus, & damnis satisfacere. Ratio: quia † judex excedens fines sui officij pro priuato reputatur, *per L. factum à judice. ff. de R. I. VVesenb. n. 3. ff. quod met. caus. Gail. 2. obs. 76.* atqui si priuatus tali injuria & damno afficeret, vtique ad eius refusionem teneretur. Ergo etiam judex, siue magistratus, quia non licet magistratibus aliquid injuriosè facere, *L. nec magistratibus. 32. ff. de injur.*

31 AMPLIA: † vt puniendus sit judex injustè torquens, etiamsi postea apparuerit reum nocentem esse, & repertus fuerit crimen commisisse. Rosbach. *prax. crim. t. 5. c. 16.* per Rationem: quod ab illiciti pœna non excusetur, & si illud illicitum ad optimum finem peruenerit. *vide Summam. c. 5. n. 77.*

32 Sed quod † remedium juris datur in hoc casu? Doctores nostri dicunt, quod in primis detur actio iniuriarum, contra judicem, si quem iniustè, id est, sine indicijs, vel præter modum torturæ subiecerit. Idque deducunt ex *L. item apud Labeonem 15. §. prætor ait 35. ff. de iniur. & §. sed & si 42.* quibus habetur: quod si quis iniussu domini quæstionem habuerit de seruo alieno; vel iussu quidem domini, modum tamen excesserit, actione injuriarum conueniri possit. vide Gilhaus. *in com. de iniur. §. 4. n. 243.*
33 *& in notis h.* Vnde † Farinac. *quæst. 37. n. 111.* ita ratiocinatur: si quæstio indebitè à priuato facta de seruo punitur in iure: multò magis punibilis est indebita quæstio hominibus liberis, etiam à magistratu & iudice illata. Quod enim prohibitum est, & punibile in priuatis, multò magis illicitum reputatur, & prohibitum in magistratibus, qui sub ficto colore justitiæ delinquunt, nec enim magistratibus, vt dictum, licet aliquid iniuriosè facere. Si quid igitur per iniuriam fecerit magistratus, vel quasi priuatus, vel fiduciâ magistratûs, iniuriarum potest conueniri. Dispu-
34 tant † etiam, quando detur hæc actio? Ratio dubitandi desumitur ex *d. L. 32. ff. de iniur.* vbi habetur, expectandum esse, quoad magistratu abeat. Verùm quia ibi tantum de maioribus magistratibus, quorum officium temporale est, agitur; moderni autem magistratus nostri, & causarum capitalium cognitores plerumque sunt minorum gentium: maiorum verò, vti Principum,

Comi-

Comitum & aliorum officium est perpetuum, ideò rectè iudicat Remus, & post eum Matth. Stephani hic, quod statim durante adhuc officio conueniri possint. Quamdiu † autem competat 35.
hæc actio iniuriarum contra magistratus, controuertunt Doctores. Wesenbec: *in parat. n 15. ff. de iniur.* putat, quod post annum nulla iniuriæ, etiam iniustæ torturæ, querela amplius audiatur. Rationem afferunt aliqui talem: quod hæc non sit de tribus illis speciebus, quæ ex lege Cornelia perpetuò vindicantur, *in L. lex Cornelia 5. ff. de iniur.* Sed Zierizius & post ipsum Matth. Stephani putant, eam esse perpetuam. Ratio meo judicio est ista: quia torquere plus est, quam verberare, vel pulsare: cum itaque verberibus exceptus & pulsatus actionem habeat perpetuam, *Mynſ. cent. 1. obſ. 84.* (vide quæ scripsi §. *sed & lex 8. inst. de iniur*) quantò magis iniustè tormentis suppositus.

Aliud adhuc † remedium tradunt Dd. contra iudicem iniustè 36.
vel illegitimè torquentem, vt videlicet teneatur in Syndicatu, *Farinac. q. 37 n. 111. Remus & Zierizius hic*: pro quo intelligendo SCIENDVM est, quod † iudices olim functi officio suo tenebantur 37.
in eadem prouincia vel ciuitate, cui præfuissent, quinquaginta diebus palam commorari, vt de culpa fraudibusque, si quas admisissent, conuenirentur, ac rationem redderent, id quod vulgò syndicatum subire, latinè autem causam dicere, & causæ faciendæ obnoxium esse nuncupabant, *L. 1. & tot. tit. C. vt omnes iudic.* idem obseruabatur in assessoribus & consiliarijs iudicum, *L. 3. C. de assessoribus, Spiegel. & Schard. in lexic. v. Syndicatus.* Itaq; † remedium syndicatus aduersus ipsos iudices instituitur, qui cor- 38.
rupti pretio aut gratia malè iudicarunt; qui idcirco ad syndicatum, id est, causæ dictionem, ab ijs, quibus nocitum est, reuocantur, & conuicti in litis æstimationem læsæ parti condemnantur, *L. 2. C. de pœn. judic. qui malè judic. Canis. in sua summa lib. 4. tit. 17. §. f.*

Vtrum † hoc remedium in proposito competat, disputare 39.
nolo, hoc nobis sufficere debet, quod iudex talis non modò damni & iniuriæ nomine teneatur, sed insuper pro qualitate excessûs vel erroris sui puniatur. Quâ † autem pœnâ, & quando punia- 40.
tur, vide apud Farinac: *q. 37. n. 112, cum seqq.* vbi hoc ad longum

examinat. Ioan. Baptist. Villalob. *lit. I. n. 99.* putat, quod judex ponens aliquem ad torturam iniustè, puniri possit pœnâ capitis *vide Marsil. in pract. crim. §. expedita n. 82. Menoch. de arbit. jud. quæst. l. 2. cent. 4. cas. 340. n. 3.* ad hoc est textus in *L. decuriones 6. C. de quæst. & ibi Gothof.* Sed Iulius Clarus *q. 64. n. 2.* tradit, quod hæc opinio non seruetur in practica, & putat Wesenb. *n. 7. ff. de quæst.* textum istum *L. 6.* non esse extendendum extra casum, de quo loquitur, videlicet cum in iniuriam exitiumque rei
41. quæstio tentatur, vt enectus tormentis deficiat. Itaque † distinguitur: aut tortus morte occubuit ob atrocitatem & excessum tormentorum, aut adhuc vitam agit. In posteriori casu, vbi non sequitur mors ipsius rei, non solent iudices puniri pœnâ capitis, sed tantum pœna extraordinaria, *idem VVesenb. ibid. Clar. loc. cit. Zanger c. 4. n. 23.* secundum modum culpæ, *Iul. Clar. loc. cit. n. 37. Anton. Gomez c. 13. l. 3. n. 6. Gilhausen hic.* Si autem reus in tortura moreretur, tunc subdistinguunt, vtrum iudex per imperitiam vel culpam eum occiderit, an verò dolo malo, quia fortassis pecuniam accepit, prece vel præmio corruptus fuit, vel ob particularem inimicitiam calore inductus, vel datâ operâ immoderatam torturam intulerit. In priori casu deportationis, vel alia pœna locum habere posset, in posteriori pœna mortis naturalis, *per L. 1. § præterea 1. ff. ad L. Cornel. de Sicar. ibi: quive magistratus L. 4. in pr. ff. eod. Matth. Stephani h. n. 3. & inf. art. 61. Zanger. loc.*
42. *cit. n. 20. & 21. Farinac. loc. cit. n. 113.* per † Rationem: si enim talis pœna in simplici homicidio cuilibet à iure indicta est, multò magis indicenda venit ipsi judici, qui sub velamine justitiæ hominem occidit. vide ampliationes & limitationes huius doctrinæ apud eundem Farinac. & *eundem q. 38. n. 55.* Damhaud. *c. 38. n. 18.* Soarez. *Q. n. 3.* Villalob. *I. n. 99.* & quæ notauimus inf.
43. *art. 58. n. 16. & art. 61. item in Summa. c. 6. n. 78. & seqq.* Ego † talibus judicibus, vel, vt melius dicam, carnificibus, quibus volupe est de facili torturâ inferre, & carnificinam exercere, optarem pœnam talionis, vt videlicet in se expectarent, quod in alijs fecerunt, & quem cruciatum alijs iniustè intulerunt, in suo corpore experirentur, hac enim ratione fieret, vt cautius agere, & secun-
44. dum præscriptum juris procedere discerent. Laudo † etiam

Principis

Principis illius factum, qui ante non multos annos, in vicinia nostra, vni tali iudici, vel commissario, ad processum contra sagas & maleficos formandum deputato, propter insolitum torquendi modum, quem ingeniosè excogitauit, atque vnum alterumque ex reis per immoderatam torturam è medio sustulit, caput amputari jussit, cuius exemplum meritò alij sequi deberent. Verùm hac de re infra *artic. 61.* iterum sermo redibit.

Ad Versic: Es soll auch.

PRo hoc Versic: intelligendo sciendum † est, quod rei è carcere dimissi, vel quod innocentes reperti, vel quod indicia per torturam purgauerint, vel quod non alia, quam relegationis aut deportationis pœna sint afficiendi, debeant præstare cautionem de non vindicando carcere, & de pœna subeunda. Sed quia rarò aliter cauere possunt, quam jureiurando, ideo jurare debent, se non vlturos, quicquid in carcere passi fuerint, neque per se, neque per alios, nec in judice, nec eius ministris, nec delatoribus, nec alijs, qui opem, consilium vel auxilium ad capturam dederunt, nec clam, nec palam, & sententiæ condemnatoriæ fideliter parituros, quod genus cautionis solemus ein geschworne Vrpheden/ & latinè juramentum securitatis, vel exultionis appellare, quam vrphedam in scriptis iudex à reo accipit, aliorum plerumque sigillo vel subscriptione roboratam, de qua cautione videatur Wesenb. *in parat. C. de satisdando n. 6. in f. jus. Bauaric. p. 4. art. 11.* der Landts Freyheit/ & quæ notauimus *inf. art. 108 & in Summa c. 8. n. 25. & seq.* Vrphedæ formam vide in fine huius commentarij lit. A. Hoc ita præsuppositio & intellecto. 45.

QVÆSTIO † est: vtrum reus iniustè & illegitimè tortus possit etiam tunc actionem iniuriarum contra judicem instituere, vel illum ad syndicatum reuocare, quando vrphedam talem ei dedit, aut iuramentum de carcere non vindicando præstitit? ad quam 46.
Respondet † Imp. affirmatiuè. Ratio est: quia vrpheda, & juramentum exultionis de non vindicando carcere, non excludit viam juris, vel vindictam iuridicam, sed tantum viam facti. Promissio enim intelligitur facta de vindicta priuata, quę fit de facto, non verò de licita & iuridica, quæ fit iure permittente, *post Hieron:* 47.

ron: Schurff. cent. 3. consil. 87. Zierizius & Matth. Stephani h. & ad artic. 108.

48. Quid si † autem reus in sua vrpheda promiserit, quod nulla ratione, & ne quidem per viam iuris, velit vindictam quærere, habebitné tunc actionem, an verò poterit iudex criminalis se per
49. vrphedam defendere? ad hoc Respondet Imp. quod † non, & quod nullus magistratus vel iudex debeat prohibere, quò minus reus iure experiatur, & probet, se iniustè tortum, & cautionem illam, siue vrphedam, iniquè à se extortam esse, doch alle thätliche Handlung außgeschlossen/hoc est, extra quam si vi, quâ omnibus
50. interdictum est, agere quidquam attentet. Ratio † decisionis est hæc: quia quod vnâ viâ prohibetur, alterâ induci non debet: atqui iudex criminalis, qui prohibetur illegitimè procedere, & reum torquere, facile hoc modo prohibitionem eludere, & illegitimum processum vel inducere, vel defendere posset, si talem clausulam vrphedæ inseri iuberet. Ratio alia: quia iudex reum vltra præscriptum iuris non potest grauare, neque debet aliam
51. cautionis formam, quam lex præscribat, exigere. Si tamen † iuramento reus se obstrinxit, à superiori petere potest, sibi illud ad effectum agendi relaxari, *post ordinat. Cam: p. 2. c. 24. Gail. 1. obs.*
52. *22. Remus & Matth. Stephani h.* Ratio † exceptionis est hæc: quia nemini se licet propriâ authoritate vlcisci, *tt. C. quando liceat vnicuique sine judice.* Ergo reus iniustè tortus de facto & vi nihil attentare debet. Nam rectè Callistratus ex decreto D. Marci optimum est, inquit, vt si quas te putes habere petitiones, actionibus experiaris, *L. pen ff. ad L. Iul. de vi priuat. Remus & Matth. Stephani & Gilhaus. h.* Vide plura de hoc *inf. artic. 108. ampl. 1. & lim. 22.* & Summam *c. 8. n. 25. & seqq.*

De indicijs ab astrologis vel magis prolatis.

ARTICVLVS XXI.

SVMMARIA.

1. Diuinator vel magus non facit indicium, si quem furem, vel aliàs nocentem dixit, & n. 9.

2. exemplum.

3. Propter denunciationes magorum non est descendendum ad capturam

capturam, vel torturam, & quare. n. 4. 5. 6. 7.
8. *Fama vnico teste de facto ipso loquente an faciat judicium?*
10. *Magos consulens quomodo puniatur? & seqq.*
11. *Magi siue diuinatores furta indicantes quomodo?* 12. 13. 14. 15.
16. *Iudex torquens aliquem ob indicia à magis petita iniuriarum tenetur.*

Quæritur † in hoc articulo: vtrum magi vel malefici, qui aliquem reum pronunciant, vel crimen commisisse dicunt, faciant indicium ad capturam vel torturam? Exempli causa † ponamus cum Binsfeldio *in tractat. de confess. malefic. & sagarum, memb. 2. conclus. 7. dub. 2.* casum talem: aliquis perdidit rem pretiosam, vel aliquo maleficio inficitur ei equus. Ipse accedit incantatorem vel diuinatorem, qui adhibita phiala, vel cribro, cristallo, vel speculo facit coniurationes, & inuocationes dæmonum. Tandem dicit consultatione habita cum diabolo, vel alio modo vsus, Titium rem illam subtraxisse, vel istum equũ maleficio destruxisse: vel etiam producit speculum, & in eo consultori reum oculis subijcit. Vel venit aliquis diuinator, aut incantator in aliquam villam, & dicit; in hoc loco sunt tot & tot sagæ, & inter cæteras hæc & ista, nominando aliquas, & sic de similibus. 1. 2.

Dubitatur † an in talibus denuntiationibus deueniendum sit ad capturam vel torturam? Imperator in præsenti articulo Respondet, quod non. Ratio † prima secundum Binsfeldium *loc. cit.* quia diuinationes cum sint illicitæ, nec probant, nec faciunt indicium ad torturam. Ratio alia: quia talia obiecta cognitionem humanam excedunt, nisi reuelata mediante aliquo, qui sensu cognouit, existant. Vnde necesse est, vt aut fallantur, aut à diabolo, qui etiam fallere solet, & à quo non licet quicquam cogoscere, intelligant. Similem † Rationem reddunt Zanger. *c. 2. n.* 195 & post ipsum Matth. Stephani h. quia hi diuinatores & incantatores testantur de secretis peccatis, & talibus obiectis, quæ excedunt humanam cognitionem, vnde necesse est, vt fallantur, aut à diabolo, qui est pater mendacij, & ab initio homicida *Ioan. 8. v. 44.* intelligant. Paulò aliter dic, quòd non sint testes idonei, de rebus sensatis non deponant, neque dicti sui rationem 3. 4. 5.

6. reddant. Rationem † tertiam supperaddit Zanger *n. 197. c. 2.* quia diuinatores isti sponte & extra judicium alios malefici insimulant, & proinde sicut testi sua sponte deponenti nulla fides habetur: ita nec illis. Rationem † quartam reddit Gilhaus. in not.
7. Matth. Stephani h. quia magi, qui ad quæsita authores furti vel aliorum maleficiorum indicant, non tam Wahrsager quam Lugsager appellari merentur. Plura enim mendacia, quam vera proferunt, & sæpe furti aut vlterius sceleris notam ijs inurunt, qui
8. innocentissimi sunt. Rationem † quintam assignat Berlichius *p. 4. conclus. 4. n. 40.* quia inquisitio nō potest fieri, nec aliquis capi, si vnus probus & honestus vir, vel duo aut plures aliquem de crimine infamant, si ergo ex viri honesti infamatione inquisitio contra aliquem institui non potest, multo minus ex nefarij alicuius impostoris indicatione. Paulò aliter Damhaud. *c. 9. n. 8. & seqq.* quamuis enim, inquit, fama vnico teste *de casu factoq; ipso loquente* sufficiat, ad formandam inquisitionem, & ad capturam; (& secundum aliquos ad torturam inferendam: *vt inf. art. 23. n. 11.*) tamen debet talis diffamatio (etiam quoad inquisitionem, nedum quoad capturam & torturam) nasci ex viris probis, constantibus, nullo vitio suspectis, quales certè non sunt isti astrologi, malefici, magi, diuinatores, vel incantatores. Habemus er-
9. go † regulam istam, vel potius ampliationem regulæ superioris: quod diuinator consultus non faciat indicium ad torturam, etiamsi aliquem furem, aut alio crimine nocentem dixisset, *Vigel. cap. 4. quæst. 1. indic. 13.* Pessimè ergo faciunt judices, qui alios magos & veneficos asciscunt, & per eos lamias vel veneficas sibi ostendi curant, vel alijs modis cognoscendi veneficas vtuntur quos recenset vel improbat Berlichius *p. 4. conclus. 4. n. 34. & seqq.*

Ad Versic: Sondern dieselben.

10. Tantum † autem abest, vt quis ob eiusmodi nominationem à mago factam capi & torqueri possit, vt potius accusator, qui hoc fundamento nisus ad accusandum processit, & magus grauiter sit puniendus, *text. b. & in L. item apud 15. §. si quis. 13. ff. de injur.* vbi dicitur: si quis astrologus, vel qui aliquam

quam illicitam diuinationem pollicetur, consultus aliquem furem dixerit, qui non erat, injuriarum cum eo agi non potest, (quia non fecit animo injuriandi, sed rei furtiuæ recuperandæ) sed constitutiones eum tenent, hoc est, pœnæ in constitutionibus Imperialibus expressæ subjacet. Habetur † autem constitutio de diuinatoribus in *L. 4. C. de maleficis & mathemat.* vbi Imp. 11.
Constantinus & Iulianus ad populum in hæc verba edixerunt: nemo aruspicem consulat, aut mathematicũ, nemo ariolum. Augurum & vatum praua confessio conticescat. Chaldæi ac magi, & cæteri, quos maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur. Sileat omnibus perpetuò diuinandi curiositas. Sed iam est

QVÆSTIO: † quomodo tales præstigiosi delatores, & indicatores, siue diuinatores, sint puniendi? Constantinus & Iulia- 12.
nus in *d. L. 4.* statuerunt: quod supplicio capitis feriatur, gladio vltore prostratus, quicunque jussis ipsorum obsequium denegauerit. Aliter sentit Farinac. *q. 20. n. 96. & seqq.* Verùm † Caro- 13.
lus V. Imp. in præsenti artic: nullam certam pœnam expressit, ideoque Doctores tradunt, quod nisi concurrant alia (v.g. abnegatio Domini DEI & Sanctorum, deditio & deuotio diaboli &c. malus finis, & damnum, siue etiam mors proximi, *de quo inf. artic. 109. §. diuinatores & reg. 2. per tot.*) non quidem pœnâ veneficij ordinariâ, sed extraordinariâ, veluti relegatione, in carceratione, vel etiã mulcta pecuniaria pro arbitrio judicis sint puniendi, Matth. Berlichius *part. 4. conclus. 5. n. 94. & seqq.* per Rationem: † quia vbi pœna certa constituta non est, eo casu illa arbi- 14.
trio judicis relinquitur, *ita Berlich d. n. 41. Zieriz. & Matth. Stephani h.* cum quibus ego quoad consulentes simpliciter consentio, qui vtique maiori pœna vix possunt affici. Quoad † ma- 15.
gos & diuinatores ipsos de jure Codicis difficultas esse posset, sed de jure nouissimo habemus textum expressum inf. *artic. 109.* vbi Carolus Imp. statuit eũ, qui si magicas exerceat artes, vt nemini tamen noceat, ratione criminis perpetrati, extra ordinem esse puniendum.

Ad

Ad Versic: So auch der Richter.

16. QVid si † autem judex ob magica indicia aliquem de facto incarcerauerit, & torturæ subiecerit? ad hoc Respondet Imp. quod tunc delato in omnem damni & iniuriarum, ignominiæ & corporis dolorum causam teneatur, vide Berlich. *dict. conclus. 4. n. 42.* Quid si autem reus fassus fuerit delictum? adhuc condemnari non potest. *id. n. 43. cum seqq.* quia inquisitio & confessio inde secuta est ipso jure nulla, per notata *sup. art. 20. n. 20. & seqq.* vide alias rationes apud eundem *n. 44.* Nam in præced: articulo definitum fuit, judicem toties ad ea omnia teneri, quoties sine legitimis indicijs aliquem torquet: atqui indicia magica, vel à diuinatoribus prolata non sunt legitima. Ergo &c. vide notata sup. *art. 6. n. 22. & seqq.*

Vt ad indicia criminis tortura tantum, non condemnatio vel pœna sequi debeat.

ARTICVLVS XXII.

SVMMARIA.

1. Ex præsumptionibus & indicijs nemo condemnandus.
2. Ratio. 3. Exemplum. 4. Nisi sint præsumptiones violentæ juris & de iure, indicia indubitata, quæ lege pro idoneis habentur. 6. Ratio. 7. Vel nisi crimina sint occulta, & difficilis probationis. 8. Exempla 9. Ratio. 10. Nõ tamẽ capitaliter, & n. 15.
14. An in rebus ad statum pertinentibus?
16. Præsumptiones sufficiunt ad torturam.
17. Ad condemnationem requiritur confeßio, vel probatio legitima. & quare. n. 22.
18. Confeßio cur ad condemnationem sufficiat? & qualis. n. 19. quid ad hoc requiratur? n. 20. 22.
23. Probatio sufficiens quæ sit?

1. IN hoc † articulo tradit Imp. iterum REGVLAM, & quidem talem: quod ex præsumptionibus, suspicionibus, indicijs & coniecturis nemo sit damnandus, ad quod est *textus in L. absentem 5. ff. de pœnis, c. literas 14. ext. de probat.* Eandem regulam ponit

Ioan.

Ioan. Emeric. à Rosbach. *prax. crim. tit. 5. c. 1. n. 23.* Wesenb. *in supplem.* Schneidewin. *princ. inst de pub. judic. n.* 10. *circ. med.* Farinac: *de reo confesso & conuicto q 86. per tot.* Ratio † secundum 2
Matth Stephani hic: & Ant. Gomez tom. 3. c. 12. n. 25. Gilhaus. h. VVesenb. in parat. n. 12 ff de accusat. Mezger. *cons. crim. 15. n.* 114. quia cum in criminalibus de salute hominis, de vita & fama agatur, probationes luce meridiana clariores esse debent, *L. f. C. de probat. c sciant cuncti 2. caus. 2. q. 8.* Ex quo † infert Gomez, si 3
quis sit visus fugere à domo vel loco, cum ense vel gladio euaginato, & ibi reperiatur homo occisus, quod non possit condemnari ad mortem, quia fortè alius fecit, vel fecit ad defensionem, vel alio modo inculpabili. Sed † hæc ipsa regula plures limitationes 4
recipit, quæ apud Farinac. *loc. cit.* videri possunt, & apud Ioan: Emeric. à Rosbach. *tit. 5. c. 11. Menoch. l. 1. de præsumpt. q. 58.* Nos paucis, ijsque communioribus contenti erimus.

Limitatur † itaque Primò: nisi sint præsumptiones juris 5
& de jure, vel talia indicia & præsumptiones, quæ lege pro idoneis habentur, *VVesenb. ad Schneidevv. loc. cit.* vel si præsumptio sit lege determinata, approbata, vel confirmata, ad hoc, vt ex ea aliquis condemnari possit, quemadmodum vna habetur in *L. si qui* 34. *C. ad L. Iul. de adult.* alia in *L. f. C. de probat. auth. vt liceat matri & auiæ. §. quia verò ita. collat. 8. auth. si quis. C. de adult. L. consiliarios. C. de assessor. c. de hoc. ext. de simonia. c. porrecta. de confirm. vtil. vel inutil. c. literis. ext. de præsumpt.* vide hanc limitationem apud Thom: Grammatic: *decis.* 42. *n.* 1. *v. & extantib. cum seq.* Anton. Gomez. *var. resol. l.* 3. *c.* 12. *n.* 25. *v. quod tamen singulariter & n. 26. v. aduertendum tamen.* Iul. Clarum *q.* 20. *n. vlt.* Menoch. *lib. 1. q. 97. n. 4. cum seqq.* Ioan: Emeric. à Rosbach. *prax. crim. t. 5. cap. 1. n.* 24. Thom: Mezger. *loc. cit.* Ratio: quia † si indicia à lege approbentur, loco probationis ha- 6
benda videntur; & quia judex juris minister est, & à præscripto juris recedere non potest, *L. nemo* 13. *C. de sent. & interloc. c. judicet. 3. q. 7.* ideo tutò pœnam à jure præscriptam sequitur, & ad sententiam definitiuam progreditur, Gomez. *loc. cit. n. f.* Ratio alia: quia cum talia indicia sint indubitata juri, debent etiam esse indubitata judici, *Bernhard.* Zieriz. *h.* An autem pœ-

N na or-

BAYERISCHE STAATS-BIBLIOTHEK MUENCHEN

na ordinaria locum habeat, vide inf. *n.* 15. Adde Dominum Weizenegger. *diss.* 6. *c.* 3. *n.* 35. ita scribentem: Necessaria siue indubitata indicia sunt, ex quibus necessariò id efficimus, quod intenditur. Horum tanta vis est, vt ex multorum opinione probationem concludentem faciant, adeoq; ad reum cōdemnandum sufficiant. Alij tamen negant ex indicijs, quantumcunque indubitatis, condemnationem criminalem sequi posse, sed reum his oneratum torquendum statuunt. Nonnulli distinguunt, inter indicia, quæ præsumptione juris & de jure indubitata sunt, & necessaria, quibus stantibus in arbitrio judicis non est, condemnare vel torquere velit, sed reum quasi plenissimè conuictum condemnandum, neque nos dubitamus. Quod si indicia ex præsumptione juris tantùm, vel hominis vehementissima proficiscuntur, atque ita clara sunt, vt contrarium credi non possit, tunc arbitrio judicis committunt, condemnare velit, vel torquere. Sed nos hanc perplexam quæstionem in medio relinquimus. Exemplum in magis & veneficis, vide infra art. 44. n. 48.

7 LIMITATVR † SECVNDÒ: vt in criminibus occultis & talibus, quæ sunt difficilis probationis, reus ex indicijs & præsumptionibus violentis & indubitatis damnari possit, Wesenbec. *ad Schneidevv. loc. cit.* Anton. Gab. *l.* 7. *conclus.* 17. *n. f.* Menoch. *l.* 1. *q.* 58. *n.* 3. *& seqq. item lib.* 5. *præsumpt.* 41. *n.* 1. *cum seqq. & n.* 27. Iul. Clar. §. *f. q.* 20. *v. scias tamen. n.* 9. Octauian. Cacheran. *decis.* 71. *n.* 30. *& decis.* 72. *n.* 1. Francisc. Viuius. *l.* 1. *comm. opin. v.*
8 *Iuramento necessario. ibi: sed communis.* Talia † sunt adulterium, conspiratio, veneficium, falsa moneta, & his similia, *vide Menoch loc. cit. Nicol. Vigel. meth. jur. cont. l.* 2. *c.* 10. *reg.* 7. *ex.* 12.
9 *repl.* 4. Ratio † est: quia de sui natura plenè probari non possunt, & quia plerumque clam fiunt & remotis arbitris. Hinc regulæ: conjecturis & indicijs vti licet, vbi res difficulter probari potest. *Dd ad L. cum hi quibus. §. sed & personarum. v. cuius propositi. ff de transact.* Præsumptiones & indicia in jjs, quæ sunt difficilioris probationis, in quibus post factum nulla remanent vestigia, probationum loco habentur, Mascard *de probat. conclus.* 57.
10 *per tot.* An autem in criminibus occultis & difficilis probationis aliquis propterea capitis damnandus sit, vide Hippolyt. de Marsil.

in re-

in repet. rub. C. de probat. n. 236. *& seq.* vbi negat: quam opinionem tanquam mitiorem & tutiorem amplectitur Zierizius & & Matth: Stephani hic. Similiter Wesenbec. *in addit. ad Schneidevvin. de pub. jud. n.* 10. *circ. med.* vbi tradit, quód hoc in casu reus nunquam capitaliter, sed pœna aliqua leuiori condemnari debeat. vide eund. *in parat. n.* 19. *ff. ad L. Cornel. de Sicar. & n.* 18. *ff. ad L. Iul. de adult.* vbi † differit, an in adulterio ex suspicionibus & præsumptionibus aliquis condemnari possit, de quo vide Menoch. *lib. 5. q.* 41. *n. 8. cum seqq.* An † autem in crimine assasij, hæresis & simoniæ? vide Menoch. *lib.* 1. *q.* 100 Iul. Clar. *q. 20. v. sciàs tamen. n. 4. & seqq.* & † an in crimine falsi? Menoch. *lib. 1. q. 58. n. 8. & n.* 22. *& q.* 99. *per tot.* Anton. Gabriel *l. 7. conclus. 6.* Iul: Clarum. §. *falsum. n.* 30. Ioan Baptist. Villalob. *comm. opin. lit. F. n.* 3. Eman. Soarez. *lit. F. n.* 16. an in crimine magiæ? Weizenegger. *diss. 6. n. 182.* 11. 12. 13.

LIMITANT † aliqui TERTIÒ: vt in rebus, quæ ad statum spectant, præsumptiones etiam concludant, & damnent, *Bernhard. Zierizius h.* Verùm sicut multa alia Politicorum principia: ita quoque hæc limitatio mihi videtur periculosa, & proinde non facile sequenda. 14.

LIMITANT † QVARTÒ: vt quamuis nemo ex præsumptionibus, etiam violentis, vel ita vrgentibus, vt negari non possint, & indicijs indubitatis, ordinariâ pœnâ possit puniri, Thomas Grammatic. *decis. Neap.* 42. Thom. Mezger *consil. crim. 115. n. 114* nihilominus tamen mitior pœna reo possit irrogari. Verùm in hac quæstione Dd. non conueniunt, sed in diuersas sententias abeunt, quemadmodum videre est apud Menoch: *lib. 1. q. 97 per tot. maximè n* 15. *cum seqq. & q. 92. n.* 1. *cum seqq.* Iul: Clar: *q.* 20. *v. sciàs tamen. 9.* Francisc: Viu: *comm: opin. lib.* 2. *v. condemnatio* §. *judex n.* 1. *cum seqq.* Anton: Gomez *var. resol. l. 3. c. 9. n.* 11. & *c.* 12. *n* 25. 26. vbi pulchrè distinguit, Nicol. Boër. *decis.* 164. *n. 2. & n. 6. Gail.* 1. *de PP. c.* 17. *n.* 7. vide Thomam Mezger *loc. cit.* vbi tradit, quod judex non tantum nequeat condemnare ad pœnam vltimi supplicij, sed nec ad corporalem. 15.

Declaratur † quintò, vt tamen præsumptiones & indicia sufficiant ad torturam inferendam, *text. h. in artic.* 22. ibi: allein 16.

peynlich mag man darauff fragen / so die Anzaig genugsamb ist. *text. in L. f. ff. de quæstion*: *Venat. in analys. jur. pontif. rub. de præsumpt. in effect.* Alias Limitationes vide apud Wesenb. *n.* 11 *ff. de accusat. & apud eund. C. de suspect. tut. item in L. non omnes §. à barbaris 6. ff. de seru. fugit.*

Ad Versic: Dann soll jemand.

QVandoquidem dictum est, quod nemo ex præsumptionibus
17. sit damnandus, QVÆSTIO † nunc est: quid ergo ad condemnationem requiratur? ad quam Respondet Imp. vel confessio propria rei, vel alia sufficiens probatio, quemadmodum passim in
18. alijs locis huius constitutionis videre est. Ratio † quoad confessionem desumitur ex vulgaribus regulis: confessione spontanea melior probatio non est in mundo, *VVesenb n.* 10. *C. de except. Card. Tusch: lit. C conclus. 645.* Confessus pro judicato habetur, *L.* 1. *ff. de confess.* confitens se sua sententia quodammodo damnat, *text. in d. L.* 1. *C. eod. c. nunc autem. dist.* 21. in Confessum nullæ aliæ sunt partes judicis, quam condemnatio, *Oldendorp. class.* 1. *act 9 in affin. remed. n.* 3.
19. Dixi † autem *spontanea.* Ratio: quia confessio in tormentis facta ad condemnationem non sufficit, *L.* 1. *§ diuus* 17. *ff de quæst & ibi VVesenb n. f.* nisi postea extra locum carceris vel torturæ eiusmodi confessio liberè repetatur *id ibid. vide Matth. Steph. ad præced. artic. in f. & Summam c. 6. n.* 13. *& seqq.*
20. Insuper † & hoc requiritur, vt constet de crimine, quod sit commissum, *Mynß. cent. 5. obs. 77. VVesenb. in supplem. Schneidevv. pr. inst. de pub. judic. n.* 10. *circ. f.* existere namque debet, quod in confessionem venit, *VVesenb. n. 4. ff. de*
21. *confess.* Si † enim ad torturam inferendam de corpore delicti constare debet, vt sup. *artic. 6. n.* 35. fuit explicatum: multò magis
22. ad sententiam ferendam. Ratio † quoad probationes alias per se nota est, quia per sufficientem probationem aliquis dicitur esse conuictus: iam autem supra *artic.* 16. dictum est, ad condemnationem alterutrum sufficere, vel reum conuictum, vel confessum esse, quod Imp. hoc loco iterum repetit, & infra *artic. 69.*
23. iterum redibit. Quænam † autem sit sufficiens probatio, videbimus infra *artic. 62.* & passim.

Quo-

Quomodo indicia probari debeant.

ARTICVLVS XXIII.

SVMMARIA.

1. *Indicia singula 4. non tantum allegari, sed etiam probari debent, vt reus possit torqueri. 2. Per duos testes. 3. Idoneos 8. an omni exceptione maiores? n. 9. & 10.*
6. *Testes singulares non probant.*
11. *Testis vnicus sufficit ad torturam, si de ipso delicto, vel capite delicti testetur. 12. 13. exempla. 14. & sit omni exceptione maior. 15. 17. dilucidè & clarè deponat. 16. & non adsint coniectura contraria pro reo. 18 non sufficit, si non immediatè de ipso delicto, sed de actu delictum proximè inferente deponat. 19. 20. 21. 22.*

SVpra † *artic.: 20. ampliat. 3. n. 17.* dictum fuit, quod non 1. satis sit, indicia ad torturam sufficientia in judicio allegari, sed quod necesse sit ea quoque probari. vide art. 6. vers. auff jhn glaubwürdig gemacht. Ratio est: quia si in ciuilibus allegatio non sufficit, sed probatio requiritur, multò magis in criminalibus: etenim ea, quæ probari ostendique nequeunt, pro non actis, vel non existentibus habentur, *L. in lege 77. ff. de contrah. empt. L. cum duo 17. in f. ff. de in diem addict. L. duo sunt 30. ff. de testam: tut.* Iam autem est

QVÆSTIO: quomodo † debeant indicia legitima probari, 2. ad hoc, vt reus possit torqueri? ad hoc Respondet Imp. in textu: duobus testibus, idem repetit infra *artic. 30. vide Cacheranum decis. 79. n. 9. & 29.* Ratio † cur requirantur testes duo, est ista: 3. quia si in rebus leuioris momenti vox vnius vox nullius, & vni testi singulari non creditur, *L. jurisiurandi, 9 §. 1. C. de testibus,* quantò minus in re tam ardua?

AMPLIATVR † autem hæc responsio, vt pro quouis indicio 4. requirantur duo testes, per textum articuli nostri, ibi: ein jede gnugsambe Anzaigung/ darauff man peynlich fragen mag/ soll mit zweyen gutten Zeügen erwisen werden/ hoc est, quoduis sufficiens indicium, super quo reus torqueri potest, debet duobus idoneis testibus probari. Ex quo † INFERVNT, quod testes singulares 5. non

non ſufficiant, *Anton. Gomez. tom.3 c.13 de tort.reor. n.18.* quemadmodum in jure Bauarico *tit. 3 artic. 1.* textus noſter expreſsè declaratur, v.g. ſi homicidium eſſet commiſſum, & Sempronius eo nomine ſuſpectus, tunc ſi vnus teſtis deponeret de fama, alter de confeſſione extrajudiciali, tertius de inimicitia, quartus de fuga, ex hoc reus non eſſet torquendus, *Farinac. de indicijs & tortu-*
6. *ra. q.37. n. 33.* per Rationem: † quia in genere ſuo non ſunt plenè probata, & teſtes ſingulares non conjunguntur ad faciendum
7. ſufficiens indicium ad torturam. Ratio rationis † redditur à *VVeſenb. in parat. n. 6 ff. de quæſt.* quia indicia ad torturam non ſufficiunt, niſi faciant ſemiplenam probationem: *text. h. in fin. art. noſtri.* atqui talem probationem non inducunt indicia per ſingulares teſtes probata, præſertim remota, quæque tantum ad circumſtantias pertinent. Ergo &c. Neceſſe eſt igitur, vt teſtes non loquantur de diuerſis factis, vnde indicia ſumi debeant, ſed de vno facto deponant, & concordent. Niſi teſtes alicuius authoritatis eſſent, & talia facta indicarent, quibus delictum proximè, & omninò veriſimiliter inferrent, & judex fere certus eſſet, captiuum reum eſſe.

8. Sed quales † teſtes eſſe debent? Imperator in textu noſtro reſpondet, quòd debeant eſſe gute Zeügen/ id eſt, boni vel idonei teſtes. Ex quo Dd. inferunt, teſtes non tantum duos requiri, ſed præterea omni exceptione maiores, vide Farinac. *q. 37. n. 18.*
9. *quò facit art. 30. inf.* Sed † quia aliud eſt teſtis omni exceptione maior, ein guter vnd tugentlicher Zeüg / aliud teſtis idoneus tantum, ein guter Zeüg. *Zanger. c.3. de quæſt. ſeu tort. reor. n. 21. & ſeqq.* (quod conſtat in paupere, qui bonus eſt, non tamen omni
10. exceptione maior) ideo alij in diuerſas † opiniones abeunt, & varias diſtinctiones adhibent, quas, quia non omnes recenſere poſſum & infra *art 30.* ſermo iterum redibit, ideo interim videri poteſt *Iul Clarus. §. f. q 22. & ſeqq Farinac. d. n. 18. cum mult. ſeqq.* Menoch. *lib. 1. q. 91. de præſumpt.* Gomez. *c. 13. tom. 3. n. 18.* *Zanger. loc. cit. Bernhard. Zieriz. & Matth. Stephani h.* vide Summam *c. 5. n. 15. & ſeqq.*

Ad Versic: Aber so die Hauptsach.

ETsi † vt dictum, quoduis indicium ad torturam sufficiens debeat probari per duos testes: nihilominus tamen tradit in hoc Vers. Imp. quod subinde vnicus testis ad inferendam torturã sufficiens sit, videlicet tũc, si id, quod in causa delicti præcipuum & caput est, vno teste idoneo probetur, adeoque si testis vnus de ipso delicto à se viso testetur. Ratio habetur in textu: quia semiplena probatio sola faciat indicium ad torturam: atqui testis de visu deponens facit non tantum indicium, sed semiplenam probationem. Ergo, &c. vide Cacheranum *decis. 79 n. 9. Clar.* §. *f. q. 22.* & Summam. *c 5 n. 24.* Si itaque † adsit vnus testis deponens de ipsomet delicto, puta, quia vidit Titium vulnerantem Seium, vel audiuit Sempronium blasphemantem, tunc talis testis solus & vnicus facit indicium ad torturam, Iul. Clar. § *f. q. 22. n. 2.* vide Menoch. *de præsumpt. q. 89. n. 5.* idem † est, si forte dicat, se audiuisse de nocte, quod Titius Caium percusserit, & adijciat se eum ex voce cognouisse, dummodo deponens habeat verisimiliter adeo notam vocem rei, vt decipi non possit, idem Clarus *q. 21. n. 3. & post eum Matth. Stephani hic. Nicol. Vigel. c. 4. q. 1. indic. 10.* 11. 12. 13.

Ad hoc † tamen, vt ex depositione vnius testis possit procedi ad torturam, requiritur primò: vt sit omni exceptione maior, Iul. Clar. *q. 22. n. 3.* Menoch. *d. q. 89. n. 6. & seqq.* Ratio: quia licet Imp. hoc loco loquatur tantum de bono, von einem guten Zeügen/ tamen se refert ad articul. 30 vbi requirit, vt sit bonus, idoneus, & omni exceptione maior, ein guter tugentlicher Zeüg/ lex autem vna per aliam explicatur, & relatum est in referente cum omnibus suis qualitatibus. Atque ita hunc textum nostrum intelligunt & explicant. Nicol. Vigel. *meth. Carol. c. 4. q. 1. indic. 10.* & Matth. Stephani, Remus & Bernhard. Zieriz. vbi † inferunt, si testis ille vnicus non sit omni exceptione maior, quod ad supplendam illius inhabilitatem etiam alia adminicula requirantur. Ratio: quia tunc non facit semiplenam probationem. 14. 15.

Requiritur † Secundò, vt non adsint conjecturæ quædam, 16.

quæ

quæ contra depoſitionem vnius teſtis pro reo militent, tunc enim ad torturam perueniri non poteſt, *Zieriz. h. jus Bauaric. tit. 5. art. 1. in fin.* confer notata *inf. art. 30. n. 1.* & Summam. *c. 4. n. 34.* Ratio: quia iſta indicia, quæ pro reo faciunt, elidunt contraria, ita vt amplius ſemiplenam probationem non impleant, Weſenb. *in parat. n. 6 ff. de quæſtion.* vbi dicit: quod judicis arbitrio & pru-
17. dentiæ multa relinqui ſit neceſſe, vide Zanger. † *c. 2. n. 25.* vbi dicit: planè ſi aliæ circumſtantiæ & conjecturæ ſubeſſent, quæ contrarium ſuadere viderentur, dicto teſtis vix ſtandum erit, veluti ſi teſtimonium per verba incerta & dubitantia prolatum ſit, aut ſi teſtis variet, vacillet, vel ſibi ipſi contradicat. Ratio ſecundum eundem: quia Imp. art. 30. requirit, vt deponat gründtlich / id eſt, dilucidè & planè: atqui in his caſibus non poteſt dici, quod dilucidè planeque delictum probet. Incertitudo enim & dubitatio abſentiam ignorantiamque teſtis coarguit, *id. ibid. n. 27.*

18. Quid ſi † autem teſtis ille vnicus, omni exceptione maior, deponat non immediatè de ipſomet delicto, ſed de actu aliquo proximo ipſi maleficio, ſeu de actu delictum proximè inferente?
19. *vide exemplum inf. art. 33. circ. f.* Zierizius † idem putat eſſe, quod in priori caſu, ſimiliter & Zanger *c. 3. n. 20. & 21.* idque deduci poſſe putat ex præſenti articulo noſtro, adde Menoch. *q. 91. n. 1.*
20. Verùm † Iul: Clarus *dict. q. 21. n. 2. circ. f.* tradit: quod ſi teſtis deponat non de viſu ipſius maleficij, ſed de actu aliquo vel remoto, vel etiam proximo, quod talis teſtis non faciat indicium ad torturam, ſed requirantur duo teſtes ad ipſum indicium probandum. Eiuſdem opinionis eſt Farinac. *q. 37. n. 42.* quæ videtur textui noſtro, & menti Caroli Imp. magis conformis. Ratio:
21. quia † Imp. in textu noſtro requirit, daß die Hauptsach der Miſſenthat mit einem gutten Zeügen bewiſen werde: atqui indicium etiam propinquum non eſt caput delicti, ſiue die Hauptſach.
22. Ergo, &c. deinde † Imp. ſe refert ad artic. 30. atqui ibi ſeipſum magis explicat & dicit: ſo einer in der Hauptſach die Miſſenthat (ergo ipſum delictum, non tantum indicium) gründtlich mit einem einzigen gutten tugentlichen Zeügen (id eſt, planè, vno teſte omni exceptione maiore, cui nihil poſſit obijci) beweyſe. Apparet deinde ex verbis dict. *artic. 30. verſ.* aber ſo einer / ꝛc. manifeſtè,

quod

quod si testis non de ipso crimine deponat, sed de actu aliquo, quamuis ad crimen proximè accedente, quod indicium ad torturam sufficiens non faciat, vti animaduertit etiam Vigel. *meth. Carol. c. 4. q. 1. indic. 10.*

Ex indicijs nominatim hic expreßis ad non expreßa argumentari licere.

ARTICVLVS XXIV.

SVMMARIA.

1. *De similibus ad similia procedendum.* 2.

IMperator † in sequentibus articulis indicia quædam nominatim traditurus præmittit hoc loco regulam: quod de similibus ad similia, & de indicijs nominatim hic expressis, ad non expressa, neque nominata, per comparationem procedere, & argumentum ducere liceat, *vide Summam. c. 4. n. 67.* Rationem ipse reddit in textu: quia impossibile est omnium factorum & casuum indicia hic comprehendi & declarari. Sicut iam † olim in *L. 12. ff. de LL. cum seqq.* IConsulti responderunt: quod non possint omnes articuli sigillatim aut legibus, aut SConsultis comprehendi, sed quod si in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is qui jurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita jus dicere debeat: & ex paritate rationis leges ad similes casus producere, *L. illud quæsitum. 32. in pr. ff. ad L. Aquil. c. inter cæteras. 4. in f. ext. de rescript.* Nam vbi jus scriptum non est, de similibus ad similia procedendum est, *c. in causis. 19. ext. de sent. & re judic.*

1.

2.

De indicijs generalibus, & omnibus delictis communibus.

ARTICVLVS XXV.

SVMMARIA.

1. *Indicia alia communia, alia peculiaria.*

2. *Alia, quæ per se sola ad torturam sufficiunt, alia non nisi conjuncta.*

conjuncta cum alijs.
3. Specialia praualent generalibus.
4. Indicium prabet vita male acta, & qualitas persona.
5. Persona viles & leues qua dicantur?
6. Consuetudo delinquendi sola nō sufficit ad torturam.
7. Fama an faciat indicium?
8. Cur non sola, & qua adminicula habere debeat 9. 10. 11.
12. Ex loco ad delinquendum apto quando sumatur indicium? & n. 13.
14. Contra domesticos prasumitur, si delictum in domo, & 16. Contra vicinos, si in vicinia commissum. 18.
15. Non tamen solum id sufficit ad torturam absq; alijs adminiculis & n. 17. 19.
20. Et facili elidi possunt per contrarias conjecturas, & 25.
21. Contra prasentem in loco delicti perpetrati oritur prasumptio, vel transeuntem 22. vel locum sapius frequentantem
23. Sola prasentia, visitatio, transitio, frequentatio ad torturam non sufficit. 24.
26. Fuga quando faciat indicium?
27. Incognitus de facie quomodo ex alijs indicijs cognoscatur. & 28. euidentia facti quomodo inducatur?
29. Societas, familiaritas, & conuersatio cum facinorosis indicium facit. 30. non tamen sufficiens ad torturam. 31. & facile elidi potest.
32. Inimicitia indicium facit. 37. in delictis tendentibus in alterius injuriam vel vindictam.
33. Vndecunq; nata. 34. Etiam contra inimicum noniter reconciliatum. 35. Secus si reconciliatio longo tempore fuit confirmata. 36. aut simultas sit leuis. 38. sufficit quidem ad inquisitionem & capturam, non tamen ad torturam. 39. sed debent alia adminicula accedere. 40 quomodo hoc indicium elidatur.
41. Mina indicium faciunt, si malum comminatum fuerit secutum 42. ad inquisitionem, non tamen semper ad torturā. 43. ratio. 44. sed debent alia adminicula accedere.
45. Spes commodi ex delicto expectati indicium remotum facit. 46. non sufficiens per se ad torturam.
47. Insimulatio & inculpatio lesi vel vulnerati iam moribundi indicium facit. 48. 49. ad inquisitionem, & quandoq; ad capturam. 50. non tamen ad torturam. 51. nisi alia adminicula accedant. Trepidatio quid operetur.

52. Fuga

52. *Fuga indicium facit post delictum commissum.* 53. *ad inquisitionem.* 54. *non tamen ad torturam.* 55. *sed debent alia adminicula accedere.*

56. *Quomodo elidi & colorari possit.*

58. *Fugiens è carcere quando puniatur vel non, vel pro confesso habeatur.* 59.

INdiciorum † alia sunt communia omnium, alia verò propria 1.
certorum maleficiorum. Ex his † autem quandoque vnum 2.
solum sufficit ad torturam, quandoque plura requiruntur. *Iul. Clar. q. 20. in pr. Nicol. Vigel. c. 4. q. 1. Gilhausf ad art. 19.* Et
quamuis † ante omnia perspiciendum sit judici, an non specialia 3.
quædam extent indicia, de quibus paulò post agetur (quia potentiora sunt specialia, quam generalia, *L. 49. inf. ff. de leg. 3.* & illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est, *L. in toto, 80. ff. de R. I.*) *Zanger. c. 2. n. 37.* nihilominus si haberi non possent, ad generalia recurrere, & ad ea, quæ in hoc & *seq. art.* præscribuntur, attendere debet. Nam sæpe in defectu vnius aliud admittitur, *vide Gail. 2. obs. 111. n. 3. & seqq.*

Ad Versic: Erstlich.

IN hoc versic: Imp. tradit & confundit duo indicia generalia. 4.
PRIMVM † desumitur à qualitate personæ, ex moribus, & modo viuendi, ex vita ante acta, si sit homo leuis, luridus, & malorum morum, ac proinde malæ famæ, qui ad delictum perpetrandum opinione hominum promptus videtur, deme man die Vbelthat zutrawet / qui talia aut similia, de quibus in præsentiarum inculpatur, facere consueuit, vel attentauit, aut propterea suspectus fuit, vide *Gail. 2. obs. 109. n. 2.* Menoch. *quæst. 89. n. 101.* Gilhausf. *in notis. h.* vbi declarat, quænam personæ dicantur viles vel leues, leichtfertige Personen / Zanger. *cap. 2. num. 126.*
Damhaud. *c. 10. n. 10.* Ratio † est: quia de vnoquoque bonum 5.
vel malum præsumimus, consideratis eius moribus, *L. desertorem, §. is qui 2. ibi: inspecto vitæ eius præcedenti actu. L. non omnes. §. à barbaris. ff. de re milit.* ex gestis præteritæ vitæ præsentia metimur, *L. pen. §. f. C. de agent. in reb. lib. 12.* planè enim semel malus semper præsumitur talis, *c. semel. 8. de R. I. in 6. vide ad longum Menoch. lib. 5. præsumpt. 32. per tot.* & præteriti ratio scire futura facit. *c.*

scribam. 9. *ext. de præsumpt. c. ex mandato.* 6. *eod.* à præteritis ad præsentia rectè concluditur, Euerhard. *in loc legal. à temp. ad temp.* conuersatio in adolescentia facit præsumptionem in senectute, *argt. c. ex studijs.* 3. *ext. de præsumpt.* Talis enim hodie quisque præsumitur, qualis olim fuit, *L. si cui.* §. *ijsdem. ff. de accusat.*
6. Nemo enim subitò mutatur *Matth. Stephani h.* Sed de † eo, an sola consuetudo delinquendi indicium sufficiens sit ad torturam, vide apud Menoch. *1. q. 89. n. 101. cum seqq.* vbi negat, nisi aliqua adminicula concurrant. Soarez. *comm. opin. lit. I. n. 42. cum seqq.* Clar. *q. 64. v. sed pone 10.* vbi similiter negat, & excipit vagabundos in materia furti.

7. Alterum † indicium generale desumitur à fama, Iul. Clar. *q. 21. in pr.* Menoch. *d. q. 89. n. 28. & seqq.* Ad hoc tamen, vt fama reum suspectum faciat, requiritur, eam non à maleuolis, inimicis, aut leuibus hominibus (horum enim hominum rumusculos aucupari non oportet) ijsue, de quorum commodo, vel incommodo tractatur, sed à personis honestis, & fide dignis ortam esse, *text. h. Zanger. c. 2. n. 83.* Nicol. Vigel. *c. 4. q. 1. f.* 128. Gilhaus. *c. 6. p. 5. n. 14.* 29. *& 38.* Ratio videatur sup. *art. 6.* Alia redditur à Gilhausio h. quia inimici repellendi sunt ab omni testimonio,
8. Farinac. *q. 53.* Quænam † præterea requirantur ad hoc, vt fama faciat indicium, vide apud Damhaud. *c. 36. n.* 22. *& seqq.* Rosbach. *tit. 5. c. 3. per tot.* Zanger. *n.* 84. Nicol. Vigel. *Meth. jur. cont. lib.* 1. *c.* 10. *reg. 3.* Matth. Stephani. h. *n.* 2. vbi decem re-
9. quisita ponit, & Rationem † generalem omnium talem tradit: quia fama res est fragilis & perniciosa valde, *L. cum mater. ff. de inoff. testam. L. f. de hæred. instit.* ad libidinem sæpe per aduersarium effusa, *L. justißimos. C. de off. rect. prouinc.* ad nocendum quandoq; à maleuolis sparsa, vt plurimum vana, nec audienda, *L. decurionem.*
10. *C. de pœn.* idcirco † sapienter interpretes nostri scriptum reliquerunt, famam nonnisi requisitis necessarijs probari, vide Menoch. *de præsumpt. q. 89. n 28. & seqq.* præterea fama sæpe est fallax, cum ad dictũ vnius facilè sequatur multitudo, *c. cum in juuentute. ext. de purg. can.* Vnde † rectè Infert Zieriz. h. q. 10d sola fama, licet
11. per 10. testes probetur, non sit sufficiens ad torturam, Iul. Clar. *q. 21. in pr.* (ne tunc quidem ordinariè, si cum vita malè acta con-

currat) quam semper infamia comitatur, sed opus est alijs adminiculis. Hanc Rationem reddit: quod fama sit instar herbæ Betonicæ, quæ juncta cum alijs indicijs non sufficientibus illa faciat sufficientia, vide *Zanger. c. 2. n. 80. & seqq.* & Summam. *c. 4. n.* 13 plura de fama vide infra *art. 44. n. 13 & seqq.* An autem fama juncta cum vita malè acta, ad torturam sufficiat? videri posset, quod sic, per tradita Menochij *lib. 1. de præsumpt. q. 89. n. 31.* vbi dicit: vt fama indicium ad torturam faciat, requiri hæc simul; quod reus vilis & infamatus sit, deinde vt sit probata à testibus idoneis. Simile quid tradit Farinac. *q. 47. n. 22.* Verùm ego non puto sufficere, quia Imp. in præsenti articulo conjungit vitã malè actam & famam, & pro vno indicio reputat, cum itaque agat hoc loco de indicijs, quorum vnum solum non sufficit ad torturam, consequens est, quod diffamatio propter vitam malè actam non sufficiat. Ratio alia: quia malos mores plerumque infamia comitatur. Ergo semper improbitas vitæ indicium faceret ad torturam. Ratio tertia: quia si hoc sufficeret, sequeretur, quod commisso vno delicto in ciuitate judex posset capere & torquere omnes de illa ciuitate, qui in eodem genere delicti sunt malæ conditionis & famæ, ac etiam viles, non concurrente alia speciali præsumptione, idem Farinac. *loc. cit. q. 47. n. 206.* vbi tradit, solam malam famam in eodem genere delicti, etiam in persona vili vix sufficere ad capturam, ne dum ad torturam. Idem videtur innuere Zangerus *c. 2. de tort. n. 83.* vbi textum nostrum in specie declarat, & tamen dicit, non sufficere ad torturam, vt homo vilis sit, quique ad eiusmodi delictum perpetrandum opinione hominum promptus videri possit, aut de eodem genere delicti aliàs diffamatus sit: sed insuper hoc requirit, vt fama initium habeat ex probabilibus causis, vel quid aliud ex accidente superueniat, quo judex moueatur ad fidem habendam famæ, *n. 84.* Quæ autem illa sint, vide apud Farinac. *loc. cit. n.* 11. 12. 17. 23. 24. 28. 33. 35. 91. 92. 144. 153. 204. Menoch. *loc. cit. n.* 32. *& seqq.*

Ad Versic: Zum andern. cum seq.

12. SECUNDUM † INDICIUM desumitur à loco, si videlicet reus in loco suspecto, & ad delinquendum apto deprehensus fuerit, *text. h. & in L. aut facta. §. locus. ff. de pœnis.* Clar. *q. 21. v. si aliquis visus, 40.* v. g. si homo peregrinus, vel mihi parum familiaris, repertus fuerit in cubiculo, vel cella mea, & ibi furtum reperiatur factum, tunc enim est præsumptio contra ipsum, quod ipse rem
13. interuerterit. Ratio † desumitur à communiter accidentibus: quia illi, qui non sunt valde noti, & familiares, non solent talia loca subire, sed vel sub janua, vel in atrio consistere, donec intus admittantur, vel ad summum in hypocaustum se conferre. Et quod ex loco, in quo quis couersatur, aut aliquando versatus est, varia cōjectura ducatur, id in thesi haud dubiè verum, *Damhaud. prax. crim. c. 10. n. 8.* sed de hypothesi, quæ variè figurari potest, Doctores non conueniunt, proinde varios casus afferemus.

14. Ponamus itaque † PRIMÒ: perpetratum esse delictum in aliqua domo, & nesciri à quo, in eo casu præsumptio est contra repertos in domo, Rosbach. *prax. crim. tit. 5. c. 8. n. 2.* per Rationem: quod præsumantur scire. Si itaque in alicuius domo reperiatur aliquis interfectus, præsumptio est contra ipsum dominum, quod illum occiderit, *Zanger. c. 2. n. 143* v. g. si vxor domi sit reperta mortua, præsumitur occisa ab eius viro; si dominus ipse, à domesticis & inquilinis, *Farinac. q. 52. n. 98.* vel ab vxore,
15. Menoch: *de præsumpt. q. 89. n. 89. & seqq.* An autem † hoc indicium, vel quando sufficiens sit, vide apud eosdem, vbi volunt non procedere, nisi concurrant quædam alia, v. g. quod tacuerint, & magistratui non statim denuntiauerint: quod sint homines malæ famæ, & consueti similia perpetrare: quod vix potuerit committi ab aliquo alio; quod fuerint domi; quod fortassis infensi, offensi aut inimici, quod aliquando fuerint rixati, *vide Farinac. loc. cit. n. 99. & seqq. vsque ad n. 120. Menoch. loc. cit. n. 89. vsque ad n. 101. Rosbach. n. 4.*

16. Ponamus † SECUNDO: homicidium fuisse factum iuxta alicuius ædes, vel quod mortuus reperiatur in via, & prope domum alicuius. Hoc in casu iterum dicunt esse præsumptionem & indicium

indicium contra dominum illius domûs, penes quam mortuus reperitur, Zanger. *n. 143.* Farinac. *n. 120.* Menoch. *n. 92.* vbi tamen † dicunt, hoc non sufficere ad torturam, nisi dominus illius 17.
domus sit homo malæ famæ, vel solitus similia committere: quod auditus fuerit illi minari, quod constet inimicum fuisse, vel aliquod aliud adminiculum accedat. Nam si nullam habuisset inimicitiam cum occiso, & non appareret causa, quare ipsum occidere voluerit, & præsertim si domus non esset multum contigua cadaueri, iniquum esset statim ad torturam descendere. Ratio: quia potest esse, vt vno loco quis occidatur, & postea in alium locum cadauer deferatur, & posset aliquis nequam studio à se occisum deferre ad domum eius, quem odit, & sic ipsum periculo subijcere, Farinac. *n. 125.*

Sic dicunt TERTIÒ: quod si non reperiantur rei, capiantur 18.
indicia contra vicinos, Rosbach. *loc. cit. n. 6.* Nam homicidium, damnum, furtum, & generaliter delictum, si nescitur, à quo commissum fuerit, præsumitur commissum à vicinis, Farinac. *loc. cit. n. 127.* Menoch: *n. 94. & seqq.* per Rationem: quod vicinus præsumatur scire, quod factum est in vicinia, vnde etiam aliqui volunt, quod possit torqueri tanquam testis verisimiliter informatus. Communiter † tamen dicunt contrarium, videlicet: quod 19.
vicinus non possit ex hoc, & propter viciniam solam torqueri, præsertim tanquam reus, nisi alia concurrant, v. g. si in ea vicinia, in qua delictum commissum est, reperiatur aliquis, qui sit homo insignis omnibus notis turpitudinis, qui similia delicta committere consueuerit, Zanger. *c. 2. n. 126.* quod sit vilis & abiectus: quod habuerit optimam notitiam eius domus, vbi furtum factum est, quod in ea sæpe versatus, &c. Farinac. *n. 131.* Si autem constaret, quod occisus habuisset inimicum extra viciniam, indicium hoc elideret alterum, *id. n. 132.* Menoch. *n. 93.*

QVARTÒ: quando † quis præsens inuenitur in loco, in quo 20.
delictum commissum est, vel etiam in loco propinquo, dicunt id facere indicium contra ipsum, Zanger. *n. 144.* vel si reus in loco perpetrati criminis, tempore quo perpetratum est, aut ante, vel post visus fuit, *text. h.* Clarus §. *f. q. 21. n. 40.* Nicol. Vigel. *c. 4. indic. 3.* Matth. Stephani *h. n. 5.* Farinac. *dict. q. 52. n. 133.* Menoch.

21. noch. *dict.* *q.* 89. *n.* *134.* & *n.* *100.* Idem † dicunt esse, si quis ante delictum commissum visus fuit pertransire, & deambulare in ea via & loco, in quo fuit postea commissum homicidium, nam si ignoretur occisor, præsumitur quod ille occiderit, Farinac. *n.* *138.*
22. quo facit versic: Zum andern *h.* Idipsum † esse volunt, in eo, qui frequentare consueuit viam & locum, in quo maleficium fuit patratum, Farinac: *n.* 139. Menoch: *d.* *q.* 89. *n.* *126.* Zanger. *c.* *2.* *n.* *144.*

23. Quamuis † autem hoc indicium solum sufficiat ad inquisitionem vel capturam, tamen per se non sufficit ad torturam, nisi vltra inuentionem, vel frequentationem, concurrant quædam alia, v. g. quod ille sit homo mala famæ, & solitus similia committere; vel quod fuerit inimicus interfecti, quod visus fuerit armatus gladio vel telo, quod præter morem arma tulerit; quod penes mortuum repertus fuerit armatus cum cultello; Farinac: *dict.* *q.* *52.* *n.* *132.* *n.* *137.* *n.* *142.* Rosbach. *tit.* *5.* *c.* 9. *n.* 4. Menoch:
24. *dict.* *q.* 89. *n.* 126. & *n.* 100. *n.* 139. Itaque † sola præsentia in aliquo loco, solus transitus, sola visitatio & frequentatio loci, quem suspectum non reddit, neque sufficiens indicium ad torturam facit, nisi aliquod aliud adminiculum accedat, Zanger. *n.* 143. Farinac. *n.* 142. Ratio: quia potest quilibet obuiare,
25. vel illuc incedere sorte & casu. Itaque † si probatum fuerit, hunc esse virum bonæ conditionis & famæ, illam deambulationem fuisse factam ex causa necessaria & probabili, (vt quia is habet domum vicinam, & voluit illam accedere, vel ad Ecclesiam, aut similem locum tendere volens debuit ibi pertransire, aut casu aduenit) indicium hoc ipso tollitur, Menoch. *n.* *127.* & *n.* 139. Zanger. *n.* 143. Farinac. *n.* 143.

26. QVINTÒ † quando quis visus fuit ex aliqua domo exire & fugere, & intus reperiatur homo mortuus, vel mulier stuprata, vel aliquod aliud delictum commissum, tunc hoc magis indicium
27. facit contra exeuntem. Adeo † quidem, vt si concurrant quædam alia, (v. g. quod visus fuerit cum facie pallida, cum gladio sanguinolento, vel si audita fuerit acclamatio, aut vociferatio mulieris, aut cuiusdam alterius auxilium implorantis) procedi possit ad torturam, vide Iul: Clar: §. *f.* *q.* 21. *num.* *40.* Zanger. *n.* 141.

n. 141. Menoch. *n* 119. *n.* 111. 118. Farinac. *n.* 157. *cum seqq.* & *n.* 50. *cum seqq.* Vnum adhuc ex isto versiculo videtur colligi posse: nimirum si quis in flagranti deprehendatur, wann ein Thäter in der That gesehen worden/ & non probè noscatur, quod tunc non pro euidentia facti, sed pro indicio tantùm ista deprehensio reputetur, si autem noscatur, pro notorietate & euidentia. Confer notata supra *art.* 16. *num.* 20. & *seqq.*

Ad Versic: Vnd im fall.

QVid si † autem is, qui in loco delicti, vel ex domo exire visus est, de facie non fuerit cognitus? ad hoc Respondet Imp. quod tunc quæri oporteat, an ex statura corporis, vel habitu ipso, vestibus, & armis, equo, aut alijs signis dignosci possit, *Remus & Matth. Stephani hic*, siue, an non suspectæ personæ forma, habitus, vestitus, arma, equi, aliaque similia talia sint, qualia delinquentis, *Zieriz. h.* Nam † inprimis, si res aliqua relicta sit in loco delicti perpetrati, quæ ad suspectum spectauit, vt inf. *artic.* 29. videbimus, vel si vulnera reperiantur ad mensuram gladij, aut securis, rei inculpati: vel si forma pedis, quæ inuenitur in niue, terra humida, vel puluere eius loci, in qno delictum perpetratum dicitur, correspondeat formæ pedis accusati, tunc indicium & præsumptio est contra eum, Menoch. *q.* 89. *n.* 135. *cum seqq. id lib.* 5. *præsumpt.* 31. *n.* 12. Zanger. *c.* 2. *n.* 36. Mascard. *de prob. conclus.* 830. *n.* 11. Gilhaus. *c.* 6. *p.* 7. *de quæst. n.* 58. Matth. Stephani *h. n.* 5. idem *ad artic.* 29. *inf.* 27. 28.

Ad Versic: Zum vierdten.

QVARTVM † INDICIVM generale desumitur ex familiaritate, conuersatione, & societate, si videlicet delatus consuetudinem vel familiaritatem habuerit, vel habitauerit cum hominibus facinorosis. Ratio: quia ex mala, cumque malis conuersatione, ipse etiam bonus malus vel vitiosus efficitur, *L. ædiles* 25. §. *hoc autem.* 6. *ff. de ædil. edict.* & juxta dictum Psalmistæ *psal.* 17. cum Sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris, Damhaud. *c.* 10. *n.* 5. & 6. vbi inducit dictum Philosophi: 29.

qualis quisque est, tali socio delectabitur. quò facit etiam illud Poëtæ: *Noscitur ex socys, qui non cognoscitur ex se.* Nam simile simili gaudet, & quisque sibi similem quærit, *c. sæpe 28. q. 1. Zieriz. h.* Vnde mala conuersatio arguit quem esse talem, quales sunt illi mali, cum quibus conuersari solet, Menoch. *lib. 1. q. 89. n. 125.* vide plura ad hoc propositum apud Farinac. *q. 52. n. 85. & seqq.* Rosbach. *t. 5. c. 4. per tot.*

30. Quamuis † autem ex mala conuersatione oriatur indicium, & mala præsumptio, ea tamen sola non sufficit ad torturam, nisi alia adminicula concurrant, Menoch. *loc. cit.* Matth. Stephani. *h. n. 6.* Farinac. *n. 81. & q. 92.* Zanger. *c. 2. n. 127.* v. g. quod sit malæ vitæ, opinionis. E contrario † si quis ignorauerit eum, cum

31. quo familiariter conuersatus fuit, facinorosum esse, aut conuersationis suæ justas ac probabiles causas afferat, facile præsumptionem istam (quæ indicium tantum remotum præbet, Farinac. *n. 88.*) elidet, *Matth. Stephani h.*

Ad Versic: Zum fünfften.

32. QVINTVM † INDICIVM sumitur ex inimicitia, si videlicet alicui cum læso, vel damnificato, capitalis inimicitia intercessit, si eum graui odio prosecutus fuerit, *text. h.* Itaque si quis est interfectus, & nescitur à quo, sed probatur, quod Titius erat inimicus illius, tunc præsumptio est contra ipsum Titium, Rosbach *prax. crim. tit. 5. c. 5. n. 1.* Ratio: quia inimicus præsumitur inimico incommodare velle, arg. *L. 22. de procurat.*

33. AMPLIA † PRIMÒ: vt non intersit, siue inimicitia fuerit causata ex offensione sibi, an suis facta, v. g. patri, fratri, & similibus personis, Zanger. *c. 2. n. 114.* Menoch *q. 89. n. 51.* vbi *n. 56.* Rationem reddit: quia consideratur ipse effectus inimicitiæ, non vnde illa prouenerit. Ratio alia: quia inimicitia in patre cœpta præsumitur durare in filio, & serpere in descendentes, *argt. §. item*

34. *propter. inst. de excus. tut.* AMPLIA † SECVNDÒ: vt in dubio etiam indicium sumatur contra inimicum nouiter reconciliatū, Zanger. *n. 115.* Menoch. *n. 57.* per Rationem: quod etiam in inimico reconciliato reliquiæ odij remaneant, & quod per reconciliationem de recenti non censeatur sublatus effectus inimicitiæ, & ami-

& amicus nouiter reconciliatus tectus inimicus. E contrario

LIMITATVR †PRIMÒ, vt indicium cesset, si reconciliatio longo tempore fuerit confirmata, Farinac. *q. 49. n. 109.* Zanger. *n.* 115. 35.
per Rationem: quod iam videantur inimicitiarum vestigia obliterata.

LIMITATVR †SECVNDÒ: vt tunc tantùm procedat, quando inimicitia est capitalis, secus si tantum leuis simultas, Iul. Clar. 36.
§. f. q. 21. *n.* 30. Farinac. *q.* 49. *n.* 101. Zanger. *n.* 111. Menoch. *n.* 51. *in f.* vbi omnes de capitali loquuntur. Ratio: quia inter homines simultates & offensiones sunt quotidianæ, & posset quiuis vir honestus ab alio offensus statim suspectus reddi.

LIMITATVR † TERTIÒ: vt procedat non in omnibus de- 37.
lictis, sed tantum in den Beschädigungen vnd Verletzungen/adeoque in ijs, quæ in alterius injuriam & vindictam tendunt, prout sunt verbera, vulnera, cædes, incendium: secus in ijs, quæ ad proprium delinquentis commodum, vel ex amico affectu committuntur, vt furtum, falsum, fornicatio, adulterium, &c. Farinac. *q.* 49. *n.* 120. Gabriel. *lib. 7. conclus.* 18. *n.* 4. Ratio: quia inimicitia inclinat hominem ad vindictam & injuriam alteri inferendam. Plures huius indicij ampliationes & limitationes videri possunt apud Farinacium *q.* 49. *per tot.* vbi ad longum examinat.

Quamuis † autem hoc indicium sufficiat ad inquisitionem, 38.
& quandoque ad capturam, Iul. Clar. *loc. cit.* tamen communis est conclusio, quod sola inimicitia, etiam capitalis, non sufficiat ad torturam, Zanger. *n.* 113. Rosbach. *c. 5. tit. 5. n. 2.* Farinac. *n.* 102. Iul. Clar. *d. n. 30.* Anton. Gomez. *tom. 3. c.* 13. *n.* 11. Hippolit. de Marsil. *in pract. crim. §. diligenter. n. 70. & seqq.* Anton. Gab. *lib. 7. conclus.* 18. *n.* 2. *& seqq.* vide notata infra *art. 34. art. 37. n. 7. & 4.* per Rationem: quia inimicitia est indiciũ remotum, & præterea vnicum. Ratio alia à posteriori: quia experientia docet, attestanturque historiæ, judices, qui ob solam inimicitiam accusatos quæstioni subjecerunt, & vi tormentorum confessionem delicti extorserunt, grauissimè errasse, insontes damnasse, sontes verò impunè dimisisse, *Zanger. n.* 113. *Matth. Stephani h. n. 7.* Itaque debent † quædam alia adminicula acce- 39.
dere, v. g. fama publica, fuga, & similia, quod inimicus visus

P 2 fuerit

fuerit minari inimico suo, sese ad offensionem præparare, armatus per locum, vbi delictum erat commissum, transire, &c. *Menoch. n.* 51. *Zanger. n.* 111. *Farinac. n.* 102. *Matth. Stephani h. n.* 7. *vid. inf. artic* 34. *n.* 1. *& seqq.* Eliditur † etiam hoc ipsum
40. indicium, si constet, quod interfectus habuerit plures alios inimicos, quod æquè ab alio potuerit interfici, quod alijs eius interitus potuerit æquè bono esse, quod ipse suspectus tunc alibi fuerit, & cum his vel illis versatus, aut conuiuatus fuerit, &c. *Rosbach. dict. c.* 5. vide Summam. *c.* 4. *n.* 18.

41. SEXTVM † INDICIVM faciunt minæ. Nam si quis alteri minatus sit malum, & postea illud fuerit subsecutum, præsumptio est contra minantem, *text. h.* Villalob. *lit. M. n.* 90. Hippol. de Marsil. §. *diligenter. n.* 38. Ratio: quia animus & voluntas cuiusque non solum ex rebus & factis, sed etiam ex verbis colligitur, *L. pro hærede.* 20 *ff. de acquir. vel. omit. hæred.* & non est credendum, quod quis verbo exprimat id, quod prius mente non cogitauit, *per L. Labeo circ f. ff de supell leg* Farinac. *q.* 50. *n* 1. Weizenegger. *dissert.* 6. *c.* 7. *n.* 107. Quid autem & quantum operentur minæ, Doctores non conueniunt. Hoc † certum est,
42. quod sufficiant ad inquisitionem, *Damhaud. prax. crim. c.* 10. *v.* 20. non tamen regulariter loquendo ad torturam, *Menoch. n* 63. *q.* 49. Ratio: quia multi sunt, qui minantur, & parum faciunt, *Bart. in L. metus.* 9. *ff. de eo, quod met. caus.* vnde dicitur, quod minarum vanus sit metus, *Gail.* 1. *de PP. c.* 2. *n* 10. *VVesenb. n.* 3. *ff quod met.*
43. *caus.* Ratio † alia: quia sæpe ex iracundia verba aliqua proferuntur, quæ non ponuntur in executione, *argt. L. famosi* §. 3. *ff. ad L. Iul. Mai.* deinde, quia minæ saltem generales in dubio debent intelligi de vindicta per viam justitiæ, & non propria auctoritate, Ant. Gomez. *var. resol tom.* 3. *cap.* 3. Menoch. *n.* 63. *&*
44. *seqq.* Itaque † vt propter minas ad torturam deueniatur, debent accedere alia quædam adminicula, Farinac. *quæst.* 50. *n* 9. *& seqq.* v.g. quod minæ sint prolatæ à viro potente, & malæ famæ, in eodem genere mali, qui de facili potuisset, vel consueuisset minas suas exequi, Iul. Clar. § *f. q.* 21. *n* 37. Anton. Gomez *loc. cit.* Wesenb. *loc. cit.* Gail. 1. *obs* 4. *n.* 1 *&* 4. Menoch. *lib.* 1. *q.* 49. *n.* 60. *& seqq.* Matth. Stephani, *artic.* 32. & ibi Zierizius. Plura de minis,

minis, quando faciant indicium ad torturam, contra minantem, videantur apud Farinac. *q. 50. per tot.* vbi hanc materiam fusissimè & doctissimè tractat. confer etiam notata inf. *art. 32. n. 8. & seqq. & art. 44.*

Septimvm † Indicivm facit spes commodi, *text. h. in verbis:* ob die verdacht Person gewartung einiger Nutz der gedachten Missenthat nemmen möcht. Nã si talis aliquis occisus esset, cuius mors alteri valde vtilis foret, tunc contra illum, qui vtilitatem sperat, nascitur indicium, quemadmodum inf *artic. 37.* pluribus dicetur. Ratio desumi potest ex *§. 7. inst. quod cum eo, qui in al.* quia experientia docuit, sæpe filios vitæ parentum insidiatos fuisse spe hæreditatis citius consequendæ. Verùm † hoc indicium solum nimis est remotum, ac proinde non sufficiens ad torturam, nisi accedant quædam alia adminicula, de quibus infra *d. art. 37.* vide Menoch. *lib. 5. præsumpt. 31. n. 15.* 45. 46.

Ad Versic: Zum sechßten.

Octavvm † Indicivm sumitur exinde, si læsus vel vulneratus aliquem certis de causis delicti insimulet, moribundus hoc constanter asseueret, aut jurejurando confirmet. Ratio: quia constitutus in articulo mortis non præsumitur mentiri, & quilibet præsumitur memor salutis æternæ, *L. f. C. ad L. Iul. repet.* & quia maior pars morientium nititur mori sine onere conscientiæ, Farinac: *q. 46. n. 4.* vbi *n. 6.* aliam Rationem † adducit: quod infirmitas sit quædam tortura spiritualis, & ea quidem certior & tutior, quam sit illa, quæ fit per fidiculas & cruciatum corporis, ideo sicut affirmans, vel negans aliquid in tortura, præsumitur meram & puram veritatem dixisse: ita multo magis præsumendum est, quod veritatem dixerit is, qui prope mortem existens suæ propriæ conscientiæ stimulo sponte torquetur. Vide Dominum Weizenegger. *dissert. 6. c. 3. n. 31.* vbi hoc asserit in specie de læsis à magis & veneficis. Quid † autem & quantum operetur hoc indicium, Doctores non conueniunt. Communiter tamen dicunt, quod assertio & indicium vulnerati vel morientis sufficiat ad inquisitionem (& quandoque ad capturam) Iul. Clar. *§. f. q. 21. n. 14.* Menoch. *l. 1. præsumpt. q. 18. n. 15.* Mascard. *de* 47. 48. 49.

probat. conclus. 1129. n. 23. Ratio: quia ad eam sufficit simplex & summaria cognitio, & judicis informatio. Gomez. *c. 13. n. 16.* quod ego verum esse existimarem, si moribundus ex vulnere, ipsemet suo ore, hominem certum constanti sermone incusaret, sæpius reiteraret, idque ante mortem solenni asseueratione testatum relinqueret, dicens, er wolle darauff sterben/ & si aliquot caussas vel rationes suæ assertionis allegaret, *per text. versic. nostri,* ibi: auß etlichen Vrsachen.

50. Ad torturam † autem assertio vulnerati, vel inculpatio moribundi non sufficit, *per text in L. si quis in graui 3. §. si quis moriens, 1. ff. ad Syllan.* *Iul. Clarus. loc. cit.* Zanger. *c. 2. n. 158. cum seq.* Gilhaus. *c. 6. p. 7. de quæst. sect. 2. n. 31. & seq. Zieriz. & Matth. Steph. hic. Anton. Gomez. d. c. 13. n. 16.* vbi Rationes tales assignat. Primò: quia talis defunctus hoc non dixit, nec confessus est cum juramento, tanquam testis, in forma requisita. Secundò: quia est testis vnicus, & quidem in re propria: vnicus autem testis de ipso delicto deponens, si omni exceptione maior non sit, non facit indicium ad torturam. Tertiò: quia reputatur inimicus capitalis, cum credebat se ab eo esse lethaliter vulneratum. Rectè itaque

51. † concludit Matth. Stephani, quod hæc attestatio offensi non aliter indicium faciat, quàm si alia adminicula vrgentia concurrant, v. g. quod cōstitutus in articulo mortis sit vir probatæ vitæ, & accederet ex parte rei variatio, mendacium, erubescentia, trepidatio, (juxta illud Poëtæ: *Heu quam difficile est crimen non prodere vultu*, & illud Terentij: *erubuit, salua res est*, & quia trepidatio rei facit contra eum quandam præsumptionem, Clarus, *q. 21. n. 39.*) inimicitia, fama, &c. de quibus & pluribus similibus vide Farinac. *d. q. 46. n. 35. & seqq.* Couarr: var. resol. *l. 2. c. 13. n. 8.* Boërium. *decis. 90. n. 7.* Thom. Grammat. *decis. 42. n. 7. cum seqq.*

Ad Versic: Zum sibenden.

52. Nonum † indicium desumitur ex fuga, si videlicet aliquis se post delictum commissum absentauit, *textus h.* Ratio: desumitur ex regula diuina: Fugit impius nemine persequente: suspicio enim rei, quod procedatur contra se, dat signa conscientiæ, iuxta illud: conscientia scelerum mille testes, Rosbach.

bach. *prax. crim. tit. 5. c. 9. n. 10.* hinc dicitur, quod fuga fugientem accuset, & in suspicionem sceleris adducat, *argt. Nouell: 53. c 4. §. igitur.* Zanger. *c. 2. n. 86.* Matth. Stephani *h. n. 8.* Gilhaus. *dict. sect. 2. n 35.* præsumitur enim ex conscientia criminis fugisse, *VVeiZenegger dissert. 6. c. 7. n. 114.* Et quamuis † de hoc 53.
nulla sit difficultas, quod fuga sufficiat ad inquisitionem, Damhaud. *c. 10. n. 9.* Farinac. *q. 48. n. 20.* (etiam tunc, si socij inquisiti fugiant, Grammat. *decis. 11. n.* 14.) tamen valde dubitant, an faciat indicium ad torturam, quemadmodum ad longum videre est apud Ioan. Emeric. à Rosbach: *prax. crim. tit. 5. cap. 9. per tot.* Menoch. *lib.* 1 *præsumpt. q. 89. num. 36. cum mult. seqq.* Zanger. *c. 2. de quæst. seu tort. reorum n. 86. cum seqq.* Iul: Clar: §. *f q* 21. *n.* 18. *cum aliquot seqq.* Nicol: Vigel: *method. jur. cont. lib* 1. *c.* 10. *reg.* 14. Farinac: *d. quæst. 48. per tot.* Apud me † 54.
nullum dubium est quod fuga regulariter loquẽdo sola, & vnica, non faciat indicium sufficiens ad torturam. Ratio mea est ista: quia Imperator hoc loco agit de ijs indicijs, quorum vnumquodque solum per se non sufficit ad torturam, & inter ea fugam numerat. Itaque † ad hoc, vt ad torturam deueniri possit, debent 55.
adhuc alia adminicula accedere, v. g. quod fugiens sit homo nihili, & improbatæ vitæ, Gail. *2. obs* 109. *n. 6.* quod per loca inuia & insolita fugerit, Farinac. *n* 11. Matth. Steph. *h.* si judicialiter vocatus contumaciter emanserit, & non reuersus fuerit, idẽ Farinac. *n.* 10. Menoch *q 89. n. 36. &* 41. Si fugit ante inquisitionem vel accusationem, talis enim fuga conscientiam delicti perpetrati arguit: secus si quis iam accusatus, vel inquisitus, aufugeret, quia tunc potius metu vexationis & carceris, quam ex conscientia delicti aufugisse videtur, Mynf. *cent. 6. obs 91. num. 2.* Gail. *loc. cit. n. 7.* confer notata *inf. art. 34. n.* 12. & Summam *c. 4. n 42.* Nam † si quis iusto timore, vel vehementi suspicio- 56.
ne accusationis vel inquisitionis institutæ, aut etiam futuræ, inductus: aut si quis per alios compertum habeat, quod mox in vincula conijciendus sit, aut etiam judicis sæuitiam, aut potentiam inimicorum, aut falsos testes veritus, fugæ se deda , planè veniam mereri debet, *argt L. 25. §. 1 ff ad SC. Syllan: Gail. loc. cit. n. 8. Zanger. c. 2. n. 87. Matth. Stephani hic.* Ratio: quia

Nemo

Nemo se periculo exponere tenetur, *L. sed sciendum 7. ff. ad SC. Trebell.* & fatuus videretur, qui se periculo exponeret, & potius ex carcere causam dicere, suamque innocentiam probare mallet. Quod maximè procedit in causis capitalibus; etenim vnicuique licitum est sanguinem suum redimere, quomodocunque potest *L. 1. ff. de bonis eorum. Zanger. num. 88. Menoch. n. 38.* Vide Dn. Weizenegger *dissert. 6. c. 7. n.* 114. vbi in specie de sagis & magis tradit, non esse indicium, si quis fugam adornet, cum scit contra se inquisitionem ex maleficorum denunciationibus institutam, vel probabiliter instituendam esse. Nam metus carceris, ac tormentorum, aliaque grauissima causarum criminalium incommoda efficiunt, vt ob eam rem fuga damnosa non sit. Itaque facile

57 † eliditur hoc indicium, si quis ostendat, se solitum esse discurrere per varias ciuitates, sæpe recedere ab vrbe, vel etiam ad remotas regiones proficisci, puta ex causa negotiationis, vel alia: se timuisse, ne consanguinei interfecti, qui minabantur, ipsum interficerent, Rosbach. *tit. 5. c. 9. n. 6. & 7.* se timuisse factiones, ne ipse occidatur, cum fuerit factionis alterius; vel metuisse, ne falsò ab aduersæ factionis viris accusetur: se timore cessante, sponte venisse, vocatum ad judicium comparuisse, *Menoch. n. 37. & 38.* (nam fugæ cuiuscunque indicium purgatur per spontaneam comparitionem, si videlicet is, qui fugit, postea sponte se magistratui sistat, Weizenegger *d. n.* 114.) se iniustè fuisse car-

58 ceratum, *id n. 43.* Nam † indebitè & non seruato juris ordine carceri mancipatus, & si aufugiat, propter talem fugam, etiam cum fractione carceris, non punitur, multò minus pro confesso habetur, Mynſ. *cent. 6. obs. 98. n. 5.* vide Rosbach. *prax. crim. cap. 14. n. 12.* Damhaud. *c. 18. per tot.* Vide Summam *c. 3. n. 31. &*

59 *seqq.* Idem † est, si iussu custodis aufugisset, aut fugiens ad superiorem se contulisset. Ratio: quia fuga ad Principem habet vim appellationis, *argt. L. sed & si per prætorem 26. ff. ex quib. caus. mai. VVesenb. in parat. n. 4. ff. de custod. & exhibit. reorum Zanger. n. 95.* Vno verbo: quoties fuga potest colorari aliquâ probabili causâ, non facit indicium, *Rosbach. c. 9. loc. cit. n. 6. Zanger. n.* 91. Vide plura de his apud Nicol. Vigel. *meth. Carol. c. 4. indic. 7.* & Meth. *jur. cont. lib. 1. c. 10. reg. 5.* 14. Farinac. *q. 48. per tot.* Mynſ. *cent. 6. obs.*

6. obs. 98. Gail. 2. *obs.* 109. *n. 6.* Damhaud *c.* 10. *n. 9.* Gilhaus. *c. 6. p. 7. de quæstion. sect. 2.* Confer notata *inf. art. 44. n. 39.*

ARTICVLVS XXVI.

SVMMARIA.

1. Lis de omnibus vel maiore parte bonorum indicium facit. 2. Et quare. 3. non tamen sufficiens ad torturam. 4. & facile per contrarias allegationes elidi potest.

Decimvm † Indicivm est, si quis cum alio litem habeat de maiore parte bonorum, tunc enim si pars aduersa clam interficiatur, præsumptio est contra ipsum, quod eum occiderit, *text. h.* vbi Imp. ipse Rationem reddit: quia qui litigat cum altero de omnibus bonis, vel maiori parte, is censetur infestus inimicus ipsius, *Villalob. lit. I. n. 48.* atqui inimicitia præsumptionem facit, Ergo, &c. Ratio † rationis est: quia pecunia est anima miseris mortalibus, & bona dicuntur secundus sanguis, & vita hominis, *L. aduocati* 14. *C. de aduoc. diuers. judic. vbi gl. & Dd. v. vita*, quæ ipsa causa est, quod is, qui litem habuit de omnibus bonis cũ pupillo, vel eius patre, excusetur à tutela eius, propter præsumptam inimicitiam, *text. in* §. *item propter. 4. inst. de excusat. tut.* Nam experientia testatur, quod illi, qui in judicio litigant, etiam de re minima, die wider einander in einer Rechtfertigung stehen / plerumque valde sint infensi & exacerbati, quando tantum de vno & altero floreno agitur: quantò maior ergo exacerbatio & inimicitia orietur, si de maiore parte bonorum lis & controuersia sit, quæ potest ex diuite reddere pauperem, & maximam jacturam rei familiari inferre? &c. vnde Cicero *lib. 8. ad famil. epist.* 12. existimat, quod præsumatur odium debitoris cõtra creditorem, præsertim si hic æs suum acerbius exigat, *teste Remo hic.* & Gilhaus.

Sed an † hoc indicium sufficiat ad torturam? Imp. Respondet quod non, nisi alia adminicula accedant, v. g. si aliàs persona esset suspecta propter vitam malè actam, vel si litigator moribus talis sit, vt à cæde & sanguine alienus nõ videatur. Ratio: quia ex lite de omnibus bonis plus nõ deducitur, quam quod aduersarius

summa inuidia contra litigatorem suum flagret, & quod magnus ipsius inimicus sit: atqui supra dictum est, inimicitiam, etiam capitalem, solam non sufficere ad torturam. Ergo neq; lis de omnibus bonis, vel de maiori parte sufficiet, causæ enim & causati idem est judicium, *argt. L. 2. ff. de flumin. VVesenb. consil. 50. n. 20.*

4. Addit † etiam Imp. in textu: quod si legitimè se purgare possit, non tantùm non torqueri, sed ne quidem incarcerari debeat. Ratio: quia iam sæpe dictum, quod indicia possint elidi per allegationes contrarias, de quo inf. *artic.* 28.

Vnde posit cognosci, quando prædicta indicia singula, aut plura simul iuncta ad torturam sufficiant.

ARTICVLVS XXVII.

SVMMARIA.

1. Indicia remota vix sufficiunt ad torturam. 2. nisi quando plura concurrunt.
3. Imperfectæ probationes conjungi possunt ad effectum torquendi, non etiam puniendi.
4. Arbitrio judicis relinquitur, an indicia concurrentia sufficiant.
5. Arbitrium judicis non debet esse vagum & absolutum, sed juris dispositione circumscriptum.
6. De similibus ad similia procedendum.

1. HActenus † Imp. octo diuersa indicia, vel, si bene numerentur, decem ordine recensuit, nunc in hoc articulo vim eorum declarat, & dicit, quod neutrum eorum separatim sumptum ad torturam inferendam sufficiat. Ratio secundùm Remum & Matthiam Stephani h. quod sint remotiora, neq; ipsi maleficio quasi insint, & inhæreant: indicia autem ad torquendum proxima delicto, non autem remota esse debere, multi scripserunt, *Zieriz. h.* de qua re tamen *sup. art. 20.* vide Summam *c. 4. n. 9. & seqq.*

Ad

Ad Versic: Wo aber.

Quid si † autem plura indicia remota concurrant, & simul contra aliquem accusatum vel delatum faciant, habétne tunc tortura locum? ad hoc Respondet Imperator, posse quandoque locum habere. Ratio: quia ex multis consonantijs formalis effectus augetur *argt. c. f. ext. de success. ab intest.* Et quæ non prosunt singula, cuncta juuant, *argt. L. sancimus. 27. C. de testam.* Hinc tradunt, per diuersa genera probationũ vnam perfectam fieri probationem, si ad inuicem consonent, & per consonantiam sint conjuncta, & imperfectas probationes junctas perfectam probationem efficere, *Ant Gabriel. commun. conclus. lib. 1. conclus. 1. Myns. cent 5. obs. 33. id. §. item si quis. n. 30. inst. de action.* quamuis † autem dicant, hoc non procedere in criminalibus, *Myns. dict. obs. 33. n. 2. Gail. 1. obs. 108. n. f.* hoc tamen ita est intelligendum, vt propter plures imperfectas probationes non sit descendendum ad sententiam condemnatoriam: sed bene propter plura insufficientia indicia ad torturam, *per text. art. nostri,* siue vt Zanger. *c. 3. n. 36.* loquitur: plures imperfectæ probationes in causis capitalibus conjungi possunt ad effectum torquendi, non etiam puniendi. Ratio: quia hic non agitur de tanto præjudicio. Quemadmodum igitur ad perfectam cantus harmoniã constituendã singulorum voces aptantur: ita ad plenã probationẽ (quoad hoc) faciendã plures species probationis, & plura indicia simul junguntur, *Matth. Steph. & Bernhard. Zieriz. h.* 2.

3.

Quænam † autem, & qualia indicia concurrere debeant, ad hoc vt tortura rectè inferatur, non potest vnâ regulâ definiri. Ratio est: quia in facto consistunt, quæ autem facti sunt, certò definiri non possunt. Hinc aliquoties iam dixi, quod in materia indiciorum & tormentorum multùm arbitrio judicis relinquatur, vide sup. *art. 18. n. 5.* Myns. *cent. 6. obs. 97. n. 2.* Nihilominus † tamen, quia arbitrium judicis non debet esse absolutum & vagum, sed limitatum, à lege & juris dispositione circumscriptum, ideo Imp. hoc loco ad informandum judicem hoc præscribit, vt attendat, an plura indicia simul concurrentia tanti ponderis sint, vt vnum ex illis adæquent, quæ *artic. 29. & seqq.* indicabit 4.

5.

singula ad torturam inferendam digna & sufficientia esse. Ratio: quia † vbi jus scriptum non est, de similibus ad similia procedendum est, *c. in causis. 19 ext. de sent. & re judic.* & lex est extendenda ad omnes alios casus, ex similitudine facti, vel rationis, *argt. L. non solum. 10. §. similiter. 6. ff. de excusat.* Sic ergo judex ex diuersis animi motibus, & ex varijs suggestionibus, quandoq; deueniet ad vnum finalem animi conceptum, non indigentem alio adminiculo, *Zierizius h.*

6.

ARTICVLVS XXVIII.

SVMMARIA.

1. *Reus indicijs grauatus non statim torquendus, sed fons & occasio suspicionum discutienda & præsumptiones pro reo stantes examinandæ.*
2. *Præsumptio vna tollit aliam, Iudex ex seipso quærere debet defensionem rei.*
3. *Torturæ locus est, si causa suspicionis euidentior sit, quam defensionis.*
4. *Tortura omittenda, si causæ defensionis efficaciores sint, quàm suspicionis.*
5. *Præsumptiua rei probatio contrariam accusatoris probationem tollit.*
6. *In perplexis judex prudentes consulere, vel rem ad superiorem referre debet.*

1. QVÆRITVR † in hoc articulo: quid si aliquis eiusmodi conjecturis & indicijs, de quibus hactenus actum fuit (& posthac agetur) sit suspectus, an eum judex sine vlteriori consideratione tormentis statim subijcere possit, vel debeat? Ad hoc Respondet Imp. negatiuè, & dicit, quod judex debeat attendere ad duo. Primò: vnde sumpta sit occasio, & causa tale quippiam de reo suspicandi & præsumendi, Gilhaus. *in not. h.* vbi ait: ad fontem respiciendum esse, non inconsultè monemur. Ratio: quia initium cuiuslibet rei potissimum inspiciendum. Deinde, vtrum non etiam persona suspecta quasdam præsumptiones, quæ ipsam à delicto excusare possunt, pro se habeat, siue an non aliquid pro sui defensione afferre possit, atque ea omnia justâ tru-
2. tinâ examinare. Ratio: † quia præsumptio vna tollit aliam, quemadmodum probatio aliam probationem vel præsumptionem

nem diluit, *per L. diuus. 7. ff. de in integ. restit.* Zanger. *c. 2. n. 229.* & quia præsumptio non delicti excludit præsumptionem delicti, *Gilhaus. de præsumpt. n. 175.* Ratio alia: quia judicis est, ex seipso nemine petente quærere defensiones reorum, *L. si non defendantur. 19. ff. de pœn.* Ergo multò magis eius erit defensiones à reo allegatas audire & examinare.

Quidsi † ergo suspicionis causa euidentior sit, quàm defensionis? tunc Respondet Imperator, torturæ locum esse. Ratio: quia maior & fortior præsumptio tollit minorem, post *Mascard. de probat. concl.* 1224. *n.* 11. *& Menoch. de arb. jud quæst. l. 2. cas. 472. & lib 1. de præsumpt. quæst 30. & 92.* Gilhaus *in not. h.* 3.

Quidsi † autem è contrario causæ excusationis & defensionis vrgentiores sint & efficaciores, quàm leuiculæ quædam suspiciones adductæ? tunc tortura debet omitti. Ratio: quia fauorabilior est causa defensionis & absolutionis, quàm condemnationis, *L. fauorabiliores. 125. ff. de R. I. L. Arrianus. 47. de O. & A.* hinc cum quædam indicia sunt pro reo, quædam contra eum, in mitiorem absolutionis partem est declinandum, *VVesenb. n. 22. ff. ad L. Cornel. de Sicar. idem n. 6. ff. de quæstion* si tamen, inquit, quædam indicia pro reo faciant, quæ elidant contraria, ita vt amplius ea semiplenam probationem non impleant, dubium non est, quin ad torturam perueniri non debeat, *vide Summam. c. 5. n. 25.* 4.

Adde † quæ scribit Bernhard. Zieriz. h. quando aliqua indicia sunt pro reo excusantia, tunc indicia contra reum debent esse multum vrgentia, vt superent illa, quæ faciunt pro excusatione rei Farinac *q. 37. n. 57.* dubia enim, & parum concludens, imò præsumptiua rei probatio contrariam accusatoris probationem tollit, *Matth. Stephani h. Gilhaus. h.* 5.

Quidsi † autem judex dubitet, in quam partem se inclinare debeat, & se extricare nequeat? ad hoc Respondet, quod prudentes consulere, vel rem ad superiorem referre debeat, vide de hac consultatiooe sup. *art. 7. per tot.* De jure Bauarico *tit. 3. artic. 2. in fin.* tortura in Nomarchijs prohibetur inferri, antequam explorationes siue verificationes, vnà cum interrogatorijs & respon- 6.

 sionibus

ſionibus rei ad conſilium aulicum, vel regimen mittatur, niſi reus in manifeſto crimine fuiſſet deprehenſus, quod quomodo intelligendũ ſit, explicauimus *ſup. art.* 16. confer infr. *art. 47. n. 48.* Ratio iam ſæpe fuit indicata, cui addunt Zieriz. & Matth. Steph. iſtam: quod ſecundum leges pronuncietur, cùm ex prudentum conſilio ſententia fertur, *vide Summam. c. 5. n. 26.*

Indicia generalia, ſiue communia, quorum quodque per ſe ſolum ad torturam ſufficit.

ARTICVLVS XXIX.

SVMMARIA.

1. *Continuatio.*
2. *Res relicta in loco perpetrati delicti, quæ demonſtretur eſſe rei accuſati, vel inquiſiti facit indicium.*
3. *Niſi alijs argumentis ſuam innocentiam docere, & indicia elidere poßit. & n. 4.*

1. HActenus † Imperator diſcuſſit indicia communia, ſed remota, quorum quodque per ſe ſolum non ſufficit ad torturam: nunc accedit propinquiora, & ad torturã ſufficientia, quorum PRIMVM † eſt illud: ſi res aliqua relicta ſit in loco
2. perpetrati delicti, quæ demonſtraretur eſſe accuſati, vel inquiſiti, & conſtaret, quod is paulò ante rem ibi repertam poſſederit, tunc talis quæſtioni ſubijci poſſet, v. g. ſi veſtis, telum, vel aliquid ſimile reperiatur in loco commiſſi furti, Menoch. *l. 5. præſumpt. 31. n. 13.* vel ſi alicuius gladius repertus fuit apud occiſum, *id. ibid. n. 17.* & multò magis, quando reperitur ſanguine madefactus, & probatur fuiſſe illius inquiſiti, idem *lib. 1. q. 89 n. 135.* Ratio: quia ex inuentione harum rerum præſumitur delictum eſſe commiſſum ab eo, cuius res ſunt, *Zanger. c. 2. n. 34. Matth. Stephani. h.* Hoc tamen

3. LIMITAT † Imp: niſi dominus illius rei, vel qui ſuſpectus propterea eſt, alijs argumentis innocentiam ſuam docere poſſit, & indicia contraria elidere, v. g. quod gladium ibi repertum amiſerit,

ſerit, Menoch. *q. 89. n. 135.* quod ipſi ſubtractus fuerit, *Zanger. c. 2. n. 156. Matth. Stephan. inf. art.* 33. vel alteri commodauerit, donauerit, vendiderit, permutauerit, aut alia ratione poſſidere deſierit. *Zanger. loc. cit. n. 36. & n. 156. Zieriz. h.* vel ſi oſtendatur, hunc, cuius res fuit, eſſe hominem bonum & frugi: aut eo tempore, quo maleficium perpetratum eſſe dicitur, alibi fuiſſe, aut probetur alium in loco delicti præſentem fuiſſe, *Zanger. loc. cit. & ex ipſo Matth. Steph. h.* Ratio † limitationis eſt: qui reus torqueri non debet, etiam extantibus & probatis indicijs, ſi illa poſſit alijs indicijs & coniecturis validioribus elidere, *Vigel. c. 4. except. 3.* illa autem coniectura validior & potentior eſt, quæ eſt magis ſpecialis, quæque veriſimilitudini magis conuenit, *Zanger. n. 37. vide Summam c. 4. n. 33.* 4.

ARTICVLVS XXX.

SVMMARIA.

1. *Teſtis vnus omni exceptione maior indicium ad torturam facit, & ſemiplenam probationem, & ſeqq.*
3. *Dummodo deponat de actu immediato, & rationem dicti per ſenſum corporeum reddat. 8. & non adſint indicia pro reo.*
7. *Teſtis idoneus & omni exceptione maior quis ſit. & n. 8.*
9. *Indicia & circumſtantia delicti debent probari per duos teſtes omni exceptione maiores.*

IN hoc † articulo repetit Imp. SECVNDVM INDICIVM ad torturam ſufficiens, quod iam ſupra *artic.* 23. examinatum fuit, videlicet ſi quis delictum ipſum vno idoneo teſte, omni exceptione maiore (hoc eſt tali, cui nulla exceptio obijci poteſt, vel qui non poteſt reijci, vt eum infra *art. 66.* Imp. ipſe deſcribit) probet, quod illa probatio, vtpote ſemiplena, faciat indicium ad torturam. Exemplum in crimine veneficij vide apud Berlichium *p. 4. conc. 4. n.* 91. Ratio † cur dicatur probatio non plena, eſt iſta: quia, vt ſupra dictum, vox vnius vox nullius, & teſtis vnicus reg: non probat, etiamſi præclaræ curiæ honore præfulgeat, *L. iuriij. 9. §. 1. C. de teſt. Zang. c. 2. n. 17.* quare lege diuina & humana cautũ eſt, vnius hominis teſtimoniũ non admitti, *Deut. c. 19. v. 15. Matth. 18. v. 16. Steph. h.* vide infrà *art. 67. n. 7.* Ratio † cur 1. 2. 3.

cur dicatur semiplena, est hæc: quia sicuti duo testes faciunt plenam probationem, *L. vbi numerus* 12. *ff. de test. c. in omni negotio*, 4. *extra de testib.* ita vnus testis facit semiplenam probationem. *Zieriz. h.* vbi rectè aduertit, depositionem vnius testis de visu, si propriè velimus loqui, non esse tantum indicium delicti, sed semiplenam probationem.

4. Ratio † cur sufficiat ad torturam, est hæc: quia hac depositione adeo acceditur ad criminis probationem, vt reus propè conuincatur, *Zanger. loc. cit. n.* 18. & quia jam supra dictum est, semiplenam probationem ad torturam sufficere, *vid. Gilhaus. in not h.*

5. Ad hoc † autem requiritur primò: vt testis deponat de actu immediato, & rationem dicti sui per sensum corporeum rei conuenientem & proprium reddat, dicendo v. g. quod interfuerit maleficio, & proprijs suis oculis præsens viderit, *Rosbach. tit.* 5. *c.* 7. *prax. criminal. Matth. Steph. & Gilhaus. hic.* Ratio: si-

6. cuti † enim sola testatio, legitimis adminiculis causæ non approbata, nullius momenti est, *L. solam.* 3. *C. de testibus*, sic nec ipsa causa seu ratio, si rei conueniens non sit, nec proferatur à proprio sensu, quicquam operari potest. Zanger. *num.* 21. vbi *num. seqq.* pluribus hæc deducit. vide Summam *c.* 4. *n.* 34. *& c.* 5. *n.* 16.

7. Secundò † requiritur, vt sit testis omni exceptione maior *text. h. & in artic.* 23. vbi de hoc jam satis dixi. *vide inf. artic.* 66. Vnde infert Zanger *n.* 30. *& seqq.* quod dictum & testimonium pupilli, vel publico judicio damnati, testis domestici, &c. non debeat esse eius ponderis, vt propter id reus quæstioni subijciendus sit, nisi alia indicia (v. g. leuitas vitæ rei accusati vel inquisi-

8. ti) concurrerent. An autem † mulier, minor 20 annorum, inimicus, socius criminis, ascendentes & descendentes tam accusatoris, quam rei, & eorum consanguinei collaterales, item pauperes & infames idonei testes sint in causis capitalibus? vide Zanger. *c.* 3. *n.* 24. *vsque ad. n.* 35. Confer artic. 66. vbi explicatur, qui testes sint idonei. Tertiò articulus noster ita intelligendus est, si pro reo nulla indicia adsint, quæ eũ releuent, vti declaratur in jure Bauar. *tit.* 3. *art.* 1. *inf.* & ipsa declaratio Limitatur: nisi delictum sit de occultis, & quæ sunt difficilis probationis, vel reus malæ vitæ, & leuis persona sit.

Ad

Ad Versic: Aber so einer.

QVid si tautem aliquis circumstantias, indicia, signa, suspiciones, & præsumptiones probare velit? tunc Respondet Imp. necessarios esse ad minimum duos idoneos & irreprobabiles testes, gute taugliche vnuerwürffliche Zeugen/ qui reijci aut reprobari nequeant, quibus nulla inhabilitas, nullus defectus obijci possit, adeoq; omni exceptione maiores, ita enim tugliche passim in Carolina accipiuntur. Vnde videtur CAROLVS definijsse controuersiam Dd. an testes sufficiat esse idoneos, an verò necesse sit esse omni exceptione maiores, de qua vide Farinac. *q.* 37. *n.* 18. Sed de his iam satis actum fuit sup. *art.* 23. *& art.* 20. Quibus addantur ea, quæ de indicijs per visum vnius testis tradit Rosbach. *c.* 7. *tit.* 5. *per totum.* 9.

De sociorũ denominatione vel denunciatione.

ARTICVLVS XXXI.

SVMMARIA.

1 *Socius criminis an possit interrogari de socio?*

2. *Et quare non de jure communi?* 4. *nisi in exceptis.*

3. *Socij denominatio cur non faciat indicium ad torturam.*

5. *Reus nondum confessus etiam de complicibus interrogari potest.* 6. *imò confessus de jure Bauarico, & communi germaniæ consuetudine.*

7. *Denunciatio & indicatio socij facit indicium ad inquirendũ.* 8. 9. *non tamen ad torturam,* 10. *ne tunc quidem, si duo vel plures correi contra aliquem deponant,* 11. *nisi concurrentibus quinq; alijs adminiculis.* 12. *videlicet, vt fuerit in genere non in indiuiduo interrogatus.* 14. *non sponte,* 15. *sed in tortura nominauerit.* 16. *requisitus de omnibus circumstantijs.* 17. *non inimicus.* 18, 19. *& nominatus aliàs suspectus.* 20. *nominans constanter in sua denunciatione perseueret.* 21. *magi denunciantes ad Deum sint conuersi.*

22. *Confessariorum abusus reprobatur, qui reos ad reuocationem instigant.*

23. *Reuocatio denunciationis an, quando, & quatenus attendenda, & seqq.*

28. *Quid si autem denunciatus post exculpationem fateatur?*

1. PRo hoc artic. Notandum, † quòd regulariter loquendo socius criminis non possit interrogari de socio, *L. vlt. C. de accusat. c. 1. ext. de confess.* vbi dicitur, de se confessi super aliorum conscientijs interrogari non debent, vide Farinac. *q. 43. n. 3. Berlich. p. 4. conclus. 4. n. 104.* Iul. Clarum. *§ f. q. 21. n. 3. v. dictum,* vbi hanc sententiam communem dicit. Hinc in *L. repeti. 16. ff. de quaestion.* dicitur: de se confessus in caput aliorum, ne quidem torquendus, & *d. c. 1.* de reatu proprio confitentis periculosa non est aduersus quemlibet admittenda confessio, vide *Cardinal. Tusch. lit. C. conclus. 614.*
2. Ratio † est: ne alienam salutem in dubium deducat, qui de sua desperat. Ratio alia: quia Rei imputando alijs crimina cogitant habere subsidium, vnde non facile audiendi, *Rosbach. prax. crim. tit. 5. c. 28. n. 1.* solatium enim est miseris socios habere pœnarum. Ratio tertia: quia socius confitendo se facit infamem, Ergo nulli de se confesso in praejudicium alterius credi debet, *text. in c. 1. ext. de confess. c. veniens. 10. ext. de testib. L. vlt. C. de accusat.* quia infamia eneruat omnem fidem, *per l. 1. vbi Bald. n. 5. C. de SS. Trinit. VVesenb. n. 8. ff. de his, qui not. infam.* Accedit Ratio quarta: quia tam ex lege naturali, quam etiam diuina vnusquisque tenetur sui amici secretum celare, *Farinac. d. q. 43. n. 3.* Hinc dici, & pro regula seruari solet: quod de conscientia quisque sua, non aliena, sit interrogandus, *L. f. C de accusat.* cuius tredecim ampliationes vide apud Farinac. *loc. cit. à n. 5. vsq; ad n. 56.*

3. Ex quo † sequitur: quod si socius criminis socios & complices suos nominet, & inculpet, non faciat contra eos indicium ad torturam, Farinac. *n. 4.* Iul. Clar. *n. 7.* Ratio: quia de ijs interrogari non debuit, & judex illegitimè processit. Nihilominus tamen haec regula

4. Limitatur † Primò: vt in criminibus quibusdam atrocioribus & exceptis socius criminis de socio interrogari possit, v. g. in criminibus laesae Majestatis, falsae monetae, latrocinij, in quibus ex sola confessione socij in alium inquiritur, *d. c. 1. ext. de confess. L. quisquis. 5. §. f. C. ad L. Iul. Maj. L. 2. ibi: à quocunq; C. de fals. mon. L. Diuus. 6. ff. de custod. & exhib. reorum.* quibus addit Berlich. *loc. cit. n. 105.* crimen veneficij, & Zangerus *c. 2. n. 78.*

n. 73. crimen conſpirationis, conjurationis, rebellionis, & ſubuerſionis ſtatûs, ſacrilegij, aſſaſſinij, maleficij, ſodomiæ, nefandæ libidinis, crimen famoſorum libellorum, vide de his etiam Farinac. *q. 43. n. 56.* vſque ad *n. 125.* vbi viginti duas limitationes affert, & cæteris delictis, etiam adulterium, & crimen ſuppoſiti partûs annumerat: atque illud examinat, vtrum fures, latrones & graſſatores de ſocijs interrogari poſſint, & an non ſaltem in ijs, quæ ſunt difficilioris probationis, ſocij ſuper ſocijs examinandi.

Limitatvr † Secvndò: vt tamen nec dum confeſſus, & 5. ideo in ſe torquendus rectè etiam in ſocios examinetur, ſicuti hodie fures & latrones de complicibus & ſocijs interrogantur, *VVeſenb. n. 11. ff. de quæſtionib.*

Limitatvr † Tertiò: vt de jure Bauarico in omnibus ijs 6. delictis, vbi veriſimiliter complices, ſocij & auxiliatores fuerunt, reus etiam poſt confeſſionem de ſocijs interrogari poſſit, *tit. 5.* der Malefitz proceſs Ordnung/ *artic. 12.* vbi Ratio redditur: quia hæc eſt ferme vniuerſalis conſuetudo Germaniæ, vide etiam Iul. Clar. §. *f. q. 21. n. 3.* §. *dicto*, & hanc ipſam conſtitutionem Carolinam artic. *48. & ſeqq.* confer Summam. *c. 7. n. 8.* Nunc itaque ad propoſitum.

Qværitvr † in hoc articulo: vtrum in iſtis caſibus, quibus 7. ſocius criminis poteſt interrogari de ſocio, talis indicatio, denunciatio, vel nominatio faciat indicium contra ſocium? Ad quod † Reſpondetur, nullum dubium eſſe, quin dictum ſocij criminis 8. cum leui adminiculo ſufficiat ad inquirendum, id eſt, ad aſſumendum alias informationes, Iul. Clar. *n. 4.* per Rationem: quia quicunque alius denunciator, & quilibet alius teſtis, etiam non idoneus, aperit viam judici ad inquirendum, vide Summam *c. 2. n. 37.* & Berlichium *p. 4. concluſ. 4. n. 109. cum ſeqq.* vbi tradit, quod nominatio veneficæ non faciat indicium, ne quidem ad inquiſitionem, niſi alia indicia concurrant, præſertim ſi ſponte ſine tormentis nominet. Ratio: quia experientia teſtatur, quod veneficæ in confeſſionibus ſuis ſæpe perſonas innocentes & illuſtres, ſpe impunitatis & liberationis nominent. Ad torturam † autem regulariter loq: non ſufficit, Menoch. *lib. 1. quæſt.* 9. *89. n. 73. cum ſeqq.* Iul. Clar. *d. q. 21. v. ſucceſſiuè. 7.* Zanger. *c. 2.*

num. 51. & n. 54. Rationem reddunt: quia si attestatio vnius testis non integræ vitæ, qui de actu immediato deponit, semiplenam probationem non facit, nec indicium ad torturam, vt superiori articulo vidimus, consequens est, ne socij quidem, tanquam criminosi & non integræ vitæ, nominationem quicquam ad imponendam torturam facere. Nam qui sibi non pepercit, multò minus alijs parcere voluit, *L. vlt.* §. *sic autem. 6. ff. de bon. eorum.*

10. Et quamuis Anton. Gomez. *lib 3. c. 12. n. 18.* & Iulius Clarus *loc. cit. n. 9.* putet, quòd si duo socij criminis contra aliquem deponant, illi bene indicium ad torturam faciant, *vide Berlich. loc. cit. n. 116.* eis tamen rectè contradicit Kirchou. *cent. 7. conclus. 54. v. & ibi concludit,* item Zanger. *n. 52. & 53.* vbi Rationem talem reddit: etsi plures correi sint, vna tamen est qualitas indicij. Et ad hoc, vt indicia dicantur plura, requiritur diuersitas inter vnum & aliud, non autem, quòd sint eiusdem generis, prout sunt plures socij, qui propterea faciunt vnum & idem indicium, vide plenius distinguentem Farinacium *n 34. cum seqq. q. 43.* & Dominum Weizenegger *diss. 6. c. vlt. n. 191.* vbi ait: licet testibus singularibus indicia ita probari possint, vt quæstioni locus sit, (dummodo idonei sint, & omni exceptione maiores) consortes tamen, & eiusdem criminis reos singulariter denunciantes, nullum ne quidem ad torturam indicium facere, quantumuis denuntiationes eorum multiplicentur, quia non tantum singularitas, sed & alij defectus ijs obstant, præsertim in sagis & veneficis.
11. Confer notata inf. *art. 44. n. 40. & seqq.* Nihilominus † tamen tradit Imp. CAROLVS in præsenti articulo 31. quod concurrentibus alijs adminiculis nominatio socij indicium faciat ad quæstionem. Ratio: quia ex multis concurrentibus augetur effectus, *Iul. Clar. loc. cit. n. 8. Thom. Grammatic. decis. 28. n. 12. cum seqq.* Quæ autem sint ista adminicula, in seqq. versiculis explicat, vbi quinque requisita necessaria exigit.

Ad Versic: Erstlich.

12. PRIMVM † REQVISITVM est istud, vt reus in genere interrogetur, quisnam ei socius fuerit, non verò in specie, vel de indiuiduo, v.g. de Sempronio, vel Cornelio &c. Ratio: quia

si in

si in indiuiduo fieret interrogatio, esset potius quædam suggestio, quam requisiti, oper *L. 1 § qui quæstionem 21. ff. de quæst. Zanger. loc. cit. n. 58. Zieriz. & Matth. Steph. h. Berlich. p. 4. conclus. 4. n. 117 jus Bauaric dict. art.* 12. ibi: dann solches were ein anweisung / welche den Rechten zuwider. Hoc tamen Limitant † Doctores, & jus Bauaric. *loc. cit. tit. 3. art. 12.* nisi specialis aliqua sit præsumptio, quod certa persona interuenerit, Farinac. *q. 43. n.* 132. & 133. *Zanger loc. cit. n. 58.* Matth. Steph. *h. n. 2. & 3.* Ex verbis autem textus nostri, dum Imp. dicit, daß die beklagt Person in der Marter mit namen nit fürgehalten / vnd also auff dieselbe Person sonderlich nit gefragt / oder gemarttert worden sey. colligunt Doctores adhuc duo. Primò: † quod debeat fieri *interrogatio* à judice. Nam si facinorosus, de socijs non interrogatus, suâ sponte nominaret aliquem, talis nominatio esset suspecta, & inefficax ad indicium faciendum, Farinac, *n. 189.* Matth. Steph. *hic n. 3. & 4.* Zanger. *n. 59.* vbi *n. seq.* Rationem reddit: quia testi spontaneo nō creditur. Ergo multò minus facinoroso tali, Grammat. *decis. 28. n. 11.* Ergo hæc indicatio non sufficeret ad torturam, aperiret autem viam judici ad inquirendum, & assumendum alias informationes, *Clarus. q. 21. n. 4.* Secundò † colligunt, quod socius ad faciendum indicium debeat socium nominare in tortura, *Iul. Clar. loc. cit. n. 11.* Grammat. *decis. 28. n. 10. cum seq. Berlichius d. n. 117.* Ratio autem, quare absque tortura nominanti non credatur, redditur à Zanger. *n. 61.* & Matth. Stephani *n. 4.* talis: quia particeps est delicti, *L. quoniam.* 11. *C. de testib.* & propter confessionem delicti infamiâ laborat, *c. 1. de confess.* infamis autem nunquam admittitur sine tortura, *Farinac. loc. cit. n.* 134. Ergo purgandus est ille defectus per torturam, vide Harprecht, §. 5. *n. 376. inst. de pub. jud.* & not. inf. *art. 44. n.* 41.

Marginal numbers: 13. (beside "Hoc tamen Limitant † Doctores"), 14. (beside "colligunt Doctores adhuc duo. Primò"), 15. (beside "Secundò † colligunt").

Ad Versic: Zum andern.

SECVNDVM † adminiculum siue requisitum est, vt accuratè interrogetur de omnibus circumstantijs, quomodo quo in loco, & quo tempore socius, quem nominauit, ei præstò fuerit, & opem tulerit, quibus inter se pactis & conditionibus societatem iniuerint, quos tractatus de patrando crimine inter se habuerint, 16.

 & de

& de ſimilibus alijs, quæ ſigillatim enumerari non poſſunt, ſed judicis prudentiæ & diſcretioni relinquuntur, *Berlich. d. n. 117.* Ratio: quia ex hac interrogatione judici conſtare poteſt, an veriſimilia dicat interrogatus, & ita, an ei fides habenda ſit, nec ne, *Zanger. n. 64 Matth. Stephani n. 5. Gilhauſ. h.*

Ad Verſic: Zum dritten.

17. TERTIVM † requiſitum eſt: vt animaduertatur, an non inter eum, qui nominat, & ſocium nominatum, ſint inimicitiæ, ſimultates, contentiones & jurgia. Si enim de hoc conſtaret, nulla fides denunciationi habenda eſſet. Ratio: quia vltionis ſtudio nominaſſe cenſetur, *Berlich d. n. 117.* Inimicus enim præſumitur inimico nocere velle, (maximè, ſi intercedat grauis inimicitia, *Gilhauſ. h.*) ac proinde fidem quæſtioni inimicorum non ha-
18. bendam eſſe, reſpondit Vlp. *in L. 1. §. preterea 24. de quaſt.* quia facile mentiuntur. Hoc tamen † limitat Imp. niſi alijs juſtis & euidentibus rationibus aſſertionem ſuam contra denunciatum ſtabilire poſſit, vel niſi talia argumenta & ſigna dicti ſui adferat, quæ ex inquiſitione vera dignoſcantur, & aliàs legitimum indicium faciant.

Ad Verſic: Zum vierdten.

19. QVARTÒ † requiritur, vt nominatus aliàs ſit ſuſpectus & diffamatus de crimine à vicinis, vel fide dignis viris, *Berlich. loc. cit.* ſiue vt talis vitæ & conditionis ſit, vt in admiſſi criminis ſuſpicionem meritò venire poſſit, *Gilhauſ. h.* vel ſi de alijs etiam delictis ſit infamis, *Kirchou. cent. 7. concluſ. 56.* vt quaſi certò credi poſſit, nominantes non mentiri, Beſold. *in theſ. pract. v. hexen §. vnd befinden.* Ratio: quia ſemel malus ſemper præſumitur malus, *c. qui ſemel de R. I. in 6.* Ratio à contrario: quia ſi de bona fama denunciati conſtet, indicium ortum ex nominatione ſocij facile diluitur, vide Zanger *c. 2. n. 69.* Farinac. *q. 43. n. 178.* Matth Steph. *h. n. 7.*

Ad

Ad Versic: Zum fünfften.

QVINTÒ † requiritur, vt reus index socij constanter in ea confessione & denunciatione perseueret, vt non vacillet, aut aliquid mutet, sed extra tormenta constitutus denuò repetat ratificetque dicta, *text. h* & ibi Gilhaus. *in notis Berlich. d. n. 117.* Farinac. *loc. cit. n. 138.* Zanger. *n. 70.* Matth. Steph. *h. n. 8.* per Rationem: quia vacillans variusque, nunc affirmans, nunc negans perjuro non absimilis est, & proinde nec ad torturam, nec ad inquisitionem sufficiens indicium præbet. His addit Berlichius loc. cit. vt inculpator mediante juramento hanc suam nominationem confirmet. 20.

His ergo † concurrentibus non dubitatur, quin judex rectè de socio criminis quæstionem habere possit, Zanger. *n. 71.* vbi tamen cum Matth. Stephani *n. 8.* hoc addit: vt magi & malefici, qui socios denunciant, ad DEVM sese conuertant, *Berlich. p. 4. conclus. 4. n. 108.* Ratio: quia si absq; pœnitentia exspirent, tunc hostes DEI & hominum sunt, ac proinde fidem non faciunt. Plura de denunciatione magorum, quando ipsis fides habenda sit, vel non, vide apud Dominum Weizenegger. *dissert. 6. c. 4. & 5. & inf. artic. 44. n. 40. Berlich. n. 103. cum seqq. vbi n. 120* addit, ista requisita vsque adeo necessaria esse, vt si vnum ex illis deficiat, personæ nominatæ capi non possint, & totus processus sit nullus. Vtrum præter ista adminicula non quędam alia sufficere & prodesse possint ad torquendum denunciatum, vide apud Farinac. *q. 43. n. 163. cum seqq.* Zanger. *n. 65.* Rosbach. *tit. 5. c. 28. per tot.* Nicol. Vigel *meth. jur. cont. lib. 1. c. 10. reg. 48.* Mascard. *de probat. conclus. 1386.* Menoch. *de arbit. jud. quæst. l. 2. c. 474.* Berlich. *concl. 4. n. 115.* 21.

Ad Versic: Jedoch so haben.

IN hoc Versic: improbat Imp. factum & abusum quorundam confessariorum, qui reos ad reuocandam suam confessionem instigant, & statuit, illud omni modo cauendum esse. Rationem affert in textu: quia non decet contra publicam vtilitatem reis ad celanda crimina sua occasionem dare, vel opem atq; 22.

consilium

consilium suppeditare, confer *art. 103.* Ratio rationis mox subnectitur: quia dum sontibus parcitur, insontibus facile nocetur, vide Summam *c. 9. n.* 28. quò facit pulcher textus in *c. non frustra. 18. caus. 23. q. 5* vbi dicitur: non frustra sunt instituta potestas Regis, & jus cognitoris, vngulæ carnificis, arma militis, disciplina nominantis, seueritas etiam boni patris, habent hæc omnia modos suos, causas, rationes & vtilitates, hæc cum timentur, & mali coërcentur, & quietius inter malos viuunt boni, hinc secundùm Senecam: qui malos non plectunt, bonis injuriam faciunt.

Ad Versic: Wo aber.

23. QVidsi † autem reus inculpator, vel ex suggestione atq; instinctu confessarij sui, vel ad saluandos suos complices, reuocet ad extremum denunciationem, antea cum verisimilibus & aptè congruentibus circumstantijs factam, quæ tunc
24. erunt partes judicis? ad hoc † Respondet Imp: denunciationem rei cum omnibus circumstantijs, tam ab ipso enarratis, quàm aliunde habitis, diligenter perpendendam, cumq; ipsa facti veritate conferendam esse, indeque colligendum, an denunciatio ista le-
25. gitimum indicium faciat, nec ne. Ad quod † plurimum juuabit attendere & inquirere in vitam, famam, conditionem, & mores denunciati, item quam communionem & societatem cum denunciante habuerit. Exinde enim colligere poterit, quid & quantum
26. denunciationi tribuendum sit. Nam † si delata persona fuit bonæ famæ, existimationis, & vitæ, nec adsunt alia indicia sufficientia contra eam, tunc talis reuocatio & exculpatio facta in extremis, priorem denunciationem in judicio & tortura, vel etiam spontè factam elidit. Ratio: quia denunciatio nulla & inconstans eiusdem sunt efficaciæ: & quia nemo præsumitur in articulo mortis, vbi quis memor est salutis æternæ, mentiri, *vide Farinac. q. 46.*
27. *n. 68. & q. 43. n.* 11. Si verò † est malæ famæ, & firmæ atq; indubitatæ præsumptiones contra personam denunciatam adsunt, tunc hæc reuocatio & expurgatio in extremis facta non attenditur, *post Godelman l. 3. c. 11. n. 5.* Matth. Stephani *h.* vbi Rationem talem reddunt: quia non omnis moriens est Ioannes Euangelista

secun-

ſecundùm tritum apud IConſultos prouerbium, adde Berlichiũ, *p. 4. concluſ. 4. n. 124.* vbi id † in tantum extendit, vt licet perſonæ delatæ & nominatæ poſtea in inquiſitione, vel in tortura delictum (v. g. veneficium) confiteantur, ſi tamen ante nominationem & confeſſionem bonæ famæ, & nullis ſuſpicionibus delicti, v. g. veneficij, grâuatæ fuerint, hac confeſſione non obſtante per magi nominatoris reuocationem & exculpationem in totum liberentur, tum per textum noſtrum generaliter loquentem, tum per Rationem: quia perſonæ delatæ ex impatientia quadam, vt potiùs mori, ac de ſe mentiri, quàm tormentorum cruciatus, & dolores ſufferre velint, confeſſæ præſumuntur, *vide Farinac. q. 43. n. 22.*

De confeßione delicti ſponte extra iudicium facta.

ARTICVLVS XXXII.

SVMMARIA.

1. *Confeßio extrajudicialis facit indicium ad torturam. ratio. n. 2. 3. dummodo ſeriò & non jocosè. 4. delictum aliquod in ſpecie & particulariter fuerit confeſſus. 5. & de tali confeßione ſufficienter conuictus. 6. exploratumq́; ſit, delictum ipſum commiſſum eſſe.*
7. *Confeßio extrajudicialis ſi reuocetur, quid juris?*
8. *Minæ an faciant indicium?*
9. *ſi delictum intra breue tempus fuerit ſubſecutum, judicis arbitrio relinquendum. 11. & perſona ſit talis, quæ poßit eſſe de crimine ſuſpecta. 10. & comminatio fuerit facta ſedato animo. 12. malumq́; ſecutum ſub comminatione comprehenſum.*
13. *Et minæ certæ in vindictam illicitam tendentes.*

IN hoc articulo † declarat Imp. QVARTVM INDICIVM, pluribus quidem delictis commune, ac proinde generale, ſed ſufficiens nihilominus ad torturam, quod eſt confeſſio extrajudicialis. Nam ſi quis ſufficienter conuictus ſit, quod de ſe ipſo jactationis causâ, vel alia ratione, forte in priuato colloquio, ne- 1.

S mine

mine cogente dixerit, se delictum illud, cuius nunc insimulatur, commisisse, hoc habetur pro legitimo indicio, ita vt ad torturam sufficiat, de quo vide Iul. Clar. §. *f q. 21. n. 31. & seqq.* Menoch. *lib. 1. q. 79. n.* 14. *& seqq.* Farinac. *q* 37. *n.* 47. Zanger. *c. 2. n 38. & seqq.* Anton. Gomez. *var. resol. tom. 3. c.* 13. *n. 8.* Damhaud. *prax. crim. c.* 10. *n.* 19. *eundem c. 36. n.* 21. Wesenb. *n.* 10. *ff. de*
2. *confess.* Nicol. Vigel. *c. 4. indic* 12. Ratio: † quia talis vtique est animus, qualia verba, quæ proferuntur, *Zierizius h.* ex abundantia cordis os loquitur, & cõfessio extrajudicialis facit semiplenam probationem, Menoch. *n.* 15. vnde etiam jactatio facit indiciũ, Mascard. *conclus.* 871. Menoch. *de arbit. cas.* 331. Gilhaus. *h.* Eandem vim extrajudicialis cõfessionis habet scriptura priuata, *VVeizenegg. diss. 6. c. vlt. n.* 184.

3. Ad hoc tamen requiritur † primò, vt illa confessio fuerit facta seriò, non risus dicisúe causâ, vel jocosè, vt aliquando euenit inter pueros & adolescentes, Menoch. *n.* 19. Zanger. *n.* 38. Matth. Stephani *h.* Ratio: quia tortura est res seria, Ergo serium debet habere principium.

4. Requiritur † secundò, vt fuerit fassus, die beklagte oder verdachte Missenthat / adeoque delictum aliquod in specie, & particulariter. Ratio: quia non sufficit, si quis fassus sit, se occidisse, vel furtum commisisse, nisi etiam dixerit, quem occiderit, quid subtraxerit, quo in loco, & quo tempore, Menoch. *n.* 20. Zanger. *n.* 39. Stephani *h.* Gomez. *loc. cit. n.* 8. vbi Rationem reddit: quia sicut confessio judicialis ad hoc, vt plenè probet, debet esse liquida, & certa: ita quoque confessio extrajudicialis, vt semiplenè probet, & operetur indicium ad torturam, debet esse certa & liquida, vt contineat rem, vel personam, vt melius & apertius constet de veritate. Cum nemo in delictis possit sibi præjudicare contra veritatem aliquid dicendo vel asserendo, *L. 1. §. si quis vltrò. 27. ff. de quæst.*

5. Requiritur † Tertiò: vt talis confessio verisimilis sit & discreta, ac duobus testibus probata, *VVeizenegg. diss. 6. c. vlt. n.* 181. siue, vt de tali jactatione vel cõfessione sufficienter fuerit conuictus, id est, per duos ad minimum testes. *text. h.* Menoch. *n.* 21. per Rationem: quod hoc indicium dicatur remotum.

Requiri-

Requiritur † quartò, vt exploratum sit, delictum illud commissum, eum hominem occisum, vel talem rem subtractam esse, Zanger. *n. 39.* Matth. Stephan. *h.* Ratio: quia confessio debet esse verisimilis, & habere causam præexistentem, Menoch. *n.* 17. 6.
Quid † autem juris sit, si reus reuocet confessionem suam, vide apud Iul. Clar. *n. 31. & 33.* Gomez. *n. 8.* Zanger. *n. 40. & seqq.* Menoch. *n. 25.* Berlichium, *p 4. conclus. 4. n. 88.* Et quidsi confessus fuerit sacerdoti? vide Menoch. *n. 26. & seqq* Gomez *n. 9.* Zanger. *n. 43.* Berlichium, *loc. cit. n. 78.* Gail. *1. obs. 100. n. 8.* Mynſ. *cent. 5. obs.* 41. *n.* 4. Vide de confessione extrajudiciali plura apud Francisc. Viu. *commun. opin. lit. C. v. confeßio facta.* 7.

Ad Versic: Oder solche Missenthat.

QVINTVM † INDICIVM ad torturam sufficiens faciunt minæ, de quibus iam dictum fuit sup. *art. 25.* ad hoc autem, vt tortura inferri possit, Imp. præter minas duo requirit. 8.
Primò: † vt delictum & malum, de quo minatus est, fuerit intra breue tempus subsecutum. Ratio: quia post interuallum animum vlciscendi depositum esse præsumimus, vel quia alius potuit damnum dedisse, cessat vis indicij, vide Weizenegger. *dissert. 6. c. 7. n.* 107. Secundò: vt persona sit talis, quæ possit esse de crimine suspecta, v.g. si sit malæ famæ, consueta minas suas executioni dare, *Zanger. n. 44. & seqq. Matth. Stephani.* secus si sit homo vilis, vel impotens ad talia, nec solitus minas exequi, *Gilhaus. h.* per Rationem: quia sæpe minus faciunt homines, qui magna minantur. 9.
Præfati † auctores etiam tradunt, judicis arbitrio esse relinquendum, quodnam tempus in proposito dicatur modicum. Ratio: quia in jure non est determinatum. 10.
Tertiò † requirunt, vt comminatio fuerit facta sedato animo, non calore iracūdiæ, cessat enim præsumptio, si nimio animi calore in minas prorupit, Farinac. *de indic. & tort. q. 50. n. 27.* Weizenegg. *loc. cit.* 11.
Quartò: † vt malum comminatum in specie subsecutum fuerit, vel sub comminatione generali comprehendatur, Farinac. *q. 50 n. 23. & seqq.* 12.
Quintò: † vt minæ non sint ambiguæ, sed certæ, & illicitam vindictam inferant: secus, si dubiæ, & in juris vindi- 13.

ctam sonare possint, *id. ibid. n.* 18. Vide quæ de minis supra fuerunt dicta, *artic.* 25. *n.* 41. *& seqq.* & inf. *artic.* 44.

DE INDICIIS PECVLIARIBVS

Singulorum criminum, quorum vnumquodq; ad torturam per se sufficit.

QVia à generalibus ad specialia paulatim descendendum est, ideo postquam Imp. indicia pluribus delictis communia & generalia discussit, nunc ad specialia singulorum criminum indicia progreditur. Singula autem singulis articulis posthac comprehensa sufficiunt ad torturam inferendam. Vbi animaduertendum & notandum est, singula esse intelligenda in tota sua latitudine sumpta, prout nimirum debitis adminiculis sunt suffulta, ita vt vnus articulus quandoque plura comprehendat, quæ non separatim, sed coniunctim sumpta hunc effectum operantur. Nihilominus tamen ab Imperatore vnum vocatur indicium, eo modo, quo à Mathematicis vna constellatio dicitur, ex pluribus alijs stellis congregata.

Indicia legitima clandestini homicidij.

ARTICVLVS XXXIII.

SVMMARIA.

1. *Visus cum armis vel vestibus cruentatis, tēpore cōmissi clandestini homicidij, in loco delicti prabet indicium, & quare? n.* 2. 3. 4. 6. *quatuor concurrentibus.*
5. *An talis ad pœnam aliquam extraordinariam condemnari possit?*
7. *Visio in loco delicti cur sola non sufficiat, & qua alia adminicula requirat?* 8. 9.
10. *Res interfecti tenens vel alienans an prabeat indicium.*
11. *Res suspecta apud aliquem reperta suspectum facit.* 12. 13. 14. 15. 16. *Si sit homo malæ conditionis.*
17. *Indicia per contrarias præsumptiones vel probationes possunt elidi.* 18. *& quomodo hæc indicia.*
20. *Indicia hæc probari debent per duos testes, licet propinqua & delictum*

delictum proximè inferant.
21. *Emißio sanguinis ex occisi vulnere adducto reo promanantis an indicium faciat.*

SI † homicidium occultè, & quasi furtiuè commissum est, & nescitur à quo, tunc si constat, quod aliquis eo nomine suspectus, vel fortè de homicidio accusatus, eo ipso tempore, cum homicidium fieret, visus fuerit in loco delicti, cum vestibus vel armis cruentatis, vel sanguine conspersis, hoc indicium tam graue, propinquũ & violentũ est, vt non modò reus apprehendi & incarcerari, sed etiam torturæ subijci possit. *text. hic, & artic. 25. v.* Zum andern. Iul. Clar. *receptar. sent. §. f. q. 21. n. 40.* Menoch. *de præsumpt. lib. 1. q. 89. n. 100. & 135.* Farinac. *quæst. 52. n. 50. & seqq. & q. 36. n. 127.* Zanger. *de quæst. seu tort. reorum, c. 2. n. 152.* Ratio † prima est hæc: quia homine occiso gladius solet esse sanguinolentus, & ex qualitate facti sumitur conjectura, *per L. vtrum ff. de donat. int. vir. & vx.* Farin. *n. 51.* Ratio † alia: quia ex armorũ portatione, siue delatione, quis præsumitur habere malum animum, *gl. §. si quis rusticus. 5. de pac. ten. & eius viol. in vs. feud.* Farinac. *loc. cit. n. 51.* & lex de portantibus arma malè præsumit, id *n. 69.* quia armorum vsus regulariter est prohibitus, *L. 1. & in rub. C. vt armorum vsus. lib. 11.* Ratio † tertia: quia si solus ensis alicuius, vel res quædam alia reperiatur in loco delicti perpetrati, tunc illud facit aliquod indicium, licet non sufficiens, vt vidimus sup. *artic. 29.* & tradit Menoch. *loc. cit. n.* 135. confer Farinac. *quæst. 52. n. 56.* Similiter si quis in loco delicti ab alio commissi præsens fuerit, is suspectus redditur, propterea, quod ex ipsa assistentia arguatur præstitisse auxilium, Menoch. *loc. cit. n.* 139. quantò magis ergo suspectus fiet, quando constat, cædem factam esse, reumq; eo in loco, vel propinquo, cum armis aut vestimentis sanguinolentis deprehensum fuisse, aut à testibus visum, Zanger. *loc. cit. n.* 153. & ex ipso Matth. Stephani *h.* Ratio † quarta: multi ex Doctoribus putant, talem aliquem omninò condemnari posse, si non ad pœnam ordinariam, saltem extraordinariam, (quod an verum sit, vide apud Iul. Clarum. *d. num. 40.* Menoch. *n.* 117. Farinac. *loc. cit. num. 59.* Anton. Gomez. *var. resol. l. 3. c.* 13. *n.* 11. *vers. vlt.* Ergo multò minus dubitare debemus de tortura.

1. 2. 3. 4. 5.

6. Sic † ergo tria vel quatuor hoc loco requiruntur ad hoc, vt reus de homicidio suspectus torqueri possit, videlicet, vt visus fuerit in loco delicti, tempore commissi homicidij, cum gladio, & quidem sanguinolento. Quoniam verò ad copulatiuæ veritatem requiritur concursus omnium copulatorum, *L. si quis ita. 129. ff. de V. O. L. si hæredi plures. 5. ff. de condit. instit. §. si plures. instit. de hered. instit.* ideo necesse est, vt hæc omnia concurrant, & nihil ex eis desideretur, vide Thom. Mezger. *consil. crim. 15. n. 108.* Hinc
7. † supra *artic. 25.* §. Zum dritten dictum fuit, quamuis reus visus fuerit in loco delicti, quod hoc solum non faciat indicium ad torturam, nisi quædam alia adminicula concurrant, *Zanger. n. 154. & ex ipso Matth. Stephani. h.* v.g. quod non tantum firmatus fuerit cum gladio, vel telo, sed etiam accesserit inimicitia, fama, pal-
8. lor, vel aliquid simile, Menoch. *loc. cit. n. 100.* Ratio † diuersitatis est: quia visio in loco est vtcunque remota conjectura, conspersio autem sanguinis magis propinqua, *Zanger. n. 153. Matth. Stephani. h.* sæpe enim fit, vt aliquis videatur in loco delicti, & tamen non deliquerit: rarò autem, vt gladius alicuius sanguine pol-
9. luatur, nisi sanguinem effuderit. Ex quibus † vlterius sequitur, si prædicta adminicula cum hoc nostro indicio concurrant, quod judex adhuc longè tutius torturam inferre possit. Ratio: quia ex multis concurrentibus augetur effectus, *argt. c. innotuit. 20. v. multa ext. de elect.* Et quæ non prosunt singula, cuncta juuant, *argt. L. sancimus. 27. C. de testam.* vide de hoc ad longum Anton. Gabriel. *commun. conclus. lib. 1. conclus. 1.*

Ad Versic: Oder aber.

10. IN hoc † Versic: Imp. adducit aliud legitimum indicium homicidij commissi, si videlicet reus interfecti res abstulerit, & penes se retinuerit, vel vendiderit, donauerit, vel quouis alio modo alienauerit. Idque deprehendi potest à simili, & ratio de-
11. sumi ab inductione. Nam † si res furtiua reperitur penes aliquem, tunc indicium est, quod ipse illam furto subtraxerit, nisi doceat, à quo eam habuerit, per *L. ciuile l. 5. inf. C. de furt. Hippolyt. de*
12. *Marsil. in pract. crim. §. diligenter. n. 91.* Similiter † si libri hæretici reperiuntur penes aliquem, ille præsumitur hæreticus, *id. ibid. n. 92.*

n.92. Sic ille, † qui penes se habet instrumenta falsa, præsumitur 13.
falsarius, nisi ostendat, à quo illa habuerit, *per text. c. ad falsariorum. in pr. de crim. fals. id. ibid.* Item † si reperitur carceratus mor- 14.
tuus penes custodem carceris, & sic in carcere, contra custodem nascitur præsumptio, nisi probauerit, ipsum non esse mortuum dolo, vel culpâ suâ, *id. ibid. n. 93.* Similiter † si quis vtatur falso 15.
instrumento, præsumitur, quod illud fabricauerit, vel fieri curauerit, nisi ostendat, vel nominet authorem, *id. ibid. n. 94.* Ergo pari ratione, si quis habuerit, & vel vsus fuerit, vel alienauerit res interfecti, præsumitur ipsum interfecisse, & rebus suis spoliasse, *text. & Matth. Stephani h. Zanger. n.* 115. hoc tamen † Limi- 16.
tatur locum habere tantum in homine malæ conditionis, secus verò, si sit vitæ & famæ integræ, Clarus. *q.* 21. *n. f.* Ita testatur Hippolytus, *n. 96. & 98.* se bis limitasse in praxi, & obtinuisse in duabus arduis causis post longam disputationem, tandem autem suos clientulos à pœna liberasse, concordat Remus *h. in paraphrasi*, vide Summam, *c. 4. n. 24. & 39.*

Ad Versic: Er kundte dann.

ALiquoties † iam dictum fuit, quod si reus indicia contra se 17.
militantia possit elidere, quod judex debeat tortura supersedere. Ergo etiã in casu præsentis articuli, licet huiusmodi præsumptio sit valde vrgens, admittit tamen contrariam probationem, *Mezger. cons. crim. 15. n. 109.* v. g. si reus suspicionem alijs indicijs, & conjecturis, vel contrarijs probationibus possit diluere, debet ipsum judex ante torturam audire. Ratio: quia indicia ista desumpta sunt à communiter accidentibus, à quibus desumitur quidem præsumptio veritatis, *vide Nicolaum Euerhard. in locis legal. loc. à commun. accid.* 102. *VVesenb. n. f. ff. de probat. & præsumpt.* si nimirum frequenter, & vt plurimum contingat adesse, & rarò abesse, *Euerhard. ibid.* nihilominus quia præsumptio contrarijs documentis potest euerti, *L. nuptura in f. ff. de jur. dot.* & non valet, si conjectura legitima refragetur: vnaque præsumptio aliam tollit, *Gail 2. obs.* 144. *n. 6. Rosbach. in praxi ciu tit. de præsumpt. n. 38. & seqq.* ideo & hæc indicia † facile tolli 18.
possunt, si v. g. reus sanguinolentum gladium gestans neget esse

suum,

suum, aut affirmet esse Cornelij v. g. & Cornelium ipsum in tumultu gestasse, vel se illum ibi inuenisse & sustulisse, vel suum quidem esse, alteri autem commodasse, vel sibi subtractum fuisse, vel amisisse, *Boer. decis.* 165. *n.* 2. Menoch. *lib.* 1. *q.* 89. *n.* 135. Item si reus probet, sanguinem aliunde causatum, puta ex occisione animalis, vel vestes sanguine aliunde conspersas esse, forte ex stillatione narium, vel ex sauciatione digiti proprij. Item si constaret, sanguinem in illo ense extitisse ante commissum homicidium, vel ex inspectione ensis, aut peritorum judicio appareat, dictum sanguinem non esse de recenti, sed de antiquo, his & si-
19. milibus in casibus ad torturam minimè deueniendum, neq; †, si probet, se res interfecti justo titulo possidere. *Zanger. n.* 156. *Bernhard. Zieriz. h. v. vestibus*, *Prosp. Farinac. loc. cit. n.* 57. & 58. vbi
20. *n.* 63. ad hoc, vt indicia ista sufficiant ad torturam, præterea † requirit, vt fuerint probata per duos testes. Ratio: licet enim indicium cruenti gladij, vel vestimenti non remotum, sed propinquum dicatur, & delictum proximè inferat: non tamen est de actu immediato, vel de capite, sed tantùm de circumstantijs delicti, nequaquam enim necessariò homicidium infert, cum fieri potuerit, vt non is ipse sanguine conspersus, sed alius illud perpetrauerit, *Zieriz. h.* vel vt is insanus fuerit, vel occisus aggressor, *Mezger.*
21. *d. num.* 109. An † autem emissio sanguinis ex occisi vulnere, reo ad id adducto promanantis, indicium præbeat, vide apud Zanger. *d. quæst. c.* 2. *n.* 160. Gomez. *tom.* 3. *c.* 13. *n.* 15. Gilhaus. *de quæst. sect.* 2. *n.* 77. & *seqq.* vbi id valde leue judicat: quæ causa fortassis est, quod ab Imperatore hic non attingatur. Ratio: quia disputant, an naturaliter, an verò supernaturaliter id fiat, & factum fuerit: quia ergo hoc indicium est incertissimum, & ex causis nobis incognitis, & valde remotis, ideo non est practicandum, Gomez. *loc. cit.* vide Zanger. *loc. cit.* vbi ostendit, quod plerumque ex fluido laxoque cadauere sanguine commixtus liquor post vnum alterúmue diem profluat, vide etiam Matth. Stephani. *h.* & Nicol: Boër. *decis.* 166. *n.* 1.

Indi-

Indicia homicidij manifesti, quod in rixa & concursu plurium factum fuit, author autem eius ignoratur.

ARTICVLVS XXXIV.

SVMMARIA.

1. *Homicidij in rixa cõmißi indicium est, si quis ex illis, qui interfuerunt, inimicitias gesserit, vel rixatus fuerit, & gladio vel alio armorum genere percusserit. 2. 3. eoq; magis, si gladius fuerit visus sanguine conspersus, & quare n. 4. 5.*
6. *Præsentia rixæ sola non facit indicium.*
7. *Indicia non expressa, expreßis æquipollentia ad torturam sufficiunt. 8. & judicis arbitrio subjacent.*
9. *Author rixæ an in tormentis super lethali vulnere interrogari poßit? & n. 10.*
11. *Rixosus an torqueri poßit super homicidio in rixa commisso?*
12. *Fugiens post commissum homicidium ante inquisitionem quando torqueri poßit.*
13. *Cur Imp. de his duobus indicijs hic non agat?*
14. *Armatus præter morẽ ad locum rixæ accedens quando fiat suspectus? & quare? n. 16.*
15. *Aggressori in dubio adscribitur homicidium.*
17. *Injuria affectus quãdo & quare de homicidio fiat suspectus? 14.*
18. *Candelam extinguens in rixa quare indicium faciat.*

QVod si † homicidium non clam & occultè, sed publicè in rixa, tumultu, vel conflictu per gladiationes & pugnas factum fuerit, & tamen ignoretur, à quo factum sit, vtpote, quia illud vel obscura nocte, vel loco obscuro, vel in concursu hominum, incalescentibus vtrinq; animis commissum (nam quæ de nocte, vel in multitudine fiunt, probabiliter ignorantur, *Andr. Gail. 2. obs. 109. n. 1.*) quid tunc fiet? Respondeo: † in tali casu ad coniecturas, & præsumptiones recurrendum est, *id. ibid.* Ratio: quia quod liquidò constare non potest, argumentis subtiliter cognoscendum est, *L. non omnes 5. §. à barbaris 6. de re milit.* Sed † vnde petet judex argumenta & indicia? Imp. Respondet ex- 1. 2. 3.

inde: si vnus vel alter eorum, qui interfuerunt, cum occiso inimicitias gesserit, cum eo altercatus vel rixatus fuerit, cultroque, gladio, vel alio simili genere armorum accepto, & extracto, in ipso congressu punctim cæsimúe percusserit, alioúe modo ictus periculosos intulerit, hoc indicium sufficiens est contra percussorem, ita vt apprehendi possit, & si fateri nolit, torturæ subijci, vide Gail. *2. obs. 109. n. 3. & seq.* eoque magis, si gladius eius fue-
4. rit visus sanguine conspersus. Auget enim indicium gladius sanguine pollutus, post Menoch. *lib 1. q. 89. n. 135. Gilhaus. h.* Ratio † desumi & duci potest à minori ad maius: quia in superiori articulo dictum fuit, si quis in loco, & tempore commissi homicidij cruentis armis vel vestibus, fuerit visus, quod illud solum faciat indicium ad torturam. Ergo multò magis, si adhuc accesserit
5. inimicitia, altercatio, pugna, & cæsio. Ratio † alia: quia sup. *artic. 25.* §. Zum fünfften/ *n. 32. & seqq.* dictum fuit, inimicitiam solam, etiamsi capitalis fuerit, non sufficere ad torturam, nisi alia adminicula accedant: atqui hoc loco plura adminicula reperiuntur, eodem *artic. 25.* ex parte enarrata. Ergo, &c.

Ad Versic: Wo aber.

6. QVando † hæc & similia indicia deficiunt, reus suspectus, inquisitus, vel accusatus, tormentis nõ est subijciendus, etiamsi forte fortuna huic pugnæ interfuerit. Ratio: quia communiter fieri solet, vt rixâ & pugnâ ob ortâ plures concurrere soleant, vel nouitatis & curiositatis, vel pacis faciendæ & componendi causâ, qui si omnes de homicidio suspecti, & eo nomine torquendi forent, sæpe honestissimi & iñocentissimi periculum subirent, nemoque amplius digladiantes ab inuicem separare, & pacem inter eos componere vellet, sique accensis vtrinque animis plura sæpe homicidia & cædes committerentur.

7. Quandoquidem † autem Imperator in textu dicit: solchen oder dergleichen/ hæc & similia, &c. quæstio est, vtrum ergo præter indicia homicidij manifesti supra enarrata sint adhuc plura? ad quod Respondet Zangerus *c. 2. n. 163.* & post ipsum Matth. Stephani. *h.* si aliqua æquipollentia adsint, dubitari non oportere, quin reus quæstioni sit subijciendus. Ratio: quia æquipollentium

lentium eadem est ratio & disciplina. Quænam † autem hæc indicia sint, communiter arbitrio judicis committunt, *Zanger. n. 164. & Matth. Steph. h.* Ratio: quia quicquid à jure non est definitum, arbitrio judicis censetur esse commissum. Itaque dicunt. 8.

Inprimis † attendendum & inquirendum esse, quis auctor pugnæ fuerit, vel pugnam inceperit, nam contra eum militat juris præsumptio, ita vt non immeritò sub tormentis interrogari debeat, an vulnus illud, quod lethale est, intulerit, And. Gail. *dict. obs. 109. n. 3.* Zanger. *n.* 163. Ratio: quia † in *L. in hoc judicio. ff. de seruo corrupt.* æquum esse dicitur, eum teneri, qui Princeps fuerit delicti, & operam danti rei illicitæ omnia imputantur, quæ inde sequuntur, *L. qui occidit. 30. §. in hoc quoq; ff. ad L. Aquiliam*, ob quod non pauci Dd. dicunt, auctorem rixæ puniri debere pro omnibus excessibus perpetratis, vid. Gail. *loc. cit.* quod si ergo ex mente eorum deueniri potest ad pœnam (de quo vide quæ notabimus infra artic. 148) cur non etiam ad torturam. 9. 10.

Deinde † si pugnæ interfuerit homo naturâ contentiosus, malæ frugi, qui communiter rixas excitare, & ad pugnam alios prouocare consueuit, & qui aliàs simile delictum cômisit. Nam tunc, non obstante incertitudine pugnantium, talis peruersus ad eruendam veritatem tormentis subijci poterit, id Gail. *n. 4.* per Rationem: quia semel malus semper præsumitur malus in eodem genere delicti. 11.

Tertiò: si † quis post commissum homicidium, ante inquisitionem contra se formatam, aufugit, ob talem fugam de conscientia sceleris suspectus efficitur, & indicium facit ad torturam, præsertim si sit homo nihili, & improbatæ vitæ, Gail. *n. 6.* Ratio & declaratio petatur ex artic. 25. §. Zum sibenden/ *n. 54. & seqq.* vbi ad longum de fuga egi, & dixi, quod, sacrâ scripturâ attestante, fugiat impius nemine persequente. Ratio † autem quare Imp. de his duobus indicijs hoc loco non agat, est ista: quia hic perstringere voluit tantum indicia singulorum delictorum peculiaria, fuga autem & improbata vita sunt pluribus delictis communia, ac proinde alibi examinata. 12. 13.

Quartò: † si quis præter morem aptatus, & armis præparatus, 14.

tus venerit ad eum locum, in quo rixa postmodum facta sit, aut si quis aliqua injuria ab eo, qui iam vulneratus & interfectus dicitur, affectus sit, maximè quando suâ naturâ litigiosus est, & ad rixandum procliuis, Zanger. *n. 164.* & ex ipso Matth: Stephani *h.*

15. Ratio: † horum omnium communis est, quia talis præsumitur aggressor, Menoch. *de arbit. judic. quæst. cent. 4. cas. 363.* aggressori autem in dubio adscribitur homicidium subsecutum. Ra-
16. tio specialis † primi: quia qui armis munitus ad locum accessit, præsumitur ibi inimicum, & futuram rixam expectare, *id. ibid. n.*
17. *4.* Ratio: † secundi: quia qui aliquâ injuria, vel vulneribus iam affectus fuit, præsumitur, quod deinde vindictæ gratia inimicum aggressus sit, *id n. 3.* maximè si sui natura rixosus est, aut solitus rixari. *n. 12.*

18. Quintò: si † quis ex pluribus in rixa candelam extinxit, is contra se indicium & præsumptionem facit homicidij postea subsecuti, *Bernhard. Zieriz. h.* Ratio: quia vt scriptura dicit, qui malè agit, odit lucem, *argt L. f. ff. de ritu nupt.* & quia tenebræ ad delinquendum sunt aptæ, *L. 1. §. 10. ff. de inspic. vent.* ideo plerumque tenebras quærunt, qui peccare volunt, *Mynſ. ad §. item si quis. 6. n. 30. instit. de action.* Sed hoc solum nobis non videtur ad torturam sufficere.

Indicia infanticidij, siue partus clam à matre enecati.

ARTICVLVS XXXV.

SVMMARIA.

1. *Infanticidij indicium est tumor ventris insolitus, qui postea subitò decreuit, subsecuta debilitate & pallore, & quare. n. 3. 4. dummodo mulier aliàs sit leuis. 5. (6. indicia leuitatis) 7. & à matronis honestis inspecta reperiatur enixa fuisse.*
8. *Inspectio inhonesta an & quando permissa.*
9. *Virginitas corrupta an ex inspectione deprehendi possit? & num. 10.*
11. *Ex inspectione cognosci potest, an mulier pepererit.*

QVÆ-

QVÆRITVR † in hoc articulo: si puella, vulgo pro virgine 1.
habita, de partu edito, & clam sublato, suspecta sit, ex quibus indicijs in veritatem rei deueniri possit? ad hoc † 2.
Respondet Imp. præcipuè inquirendum esse, num antea vterum solito maiorem habere visa fuerit, item, an vterus subitò decreuerit, & contractior, ipsa autem debilior, ac pallidior facta fuerit. Ratio: quia † hoc est proprium mulierum prægnantium & 3.
parturientium. Ergo si hæc indicia deprehendantur in puella, præsumitur & ipsa fuisse prægnans, & parturiens, consequenter si partus non appareat, eo nomine suspecta sit, quod clam ipsum ad infamiam subterfugiendam sustulerit. Nihilominus † quia 4.
hoc non est proprium quarto modo, neque ex eo, quod virginis vterus intumescat, & decrescat, infallibiliter sequitur, eam fuisse grauidam, & quia tumor eiusmodi aliunde contingere, & ex morbo accidere potest, sicuti Medici quotidie experiuntur, & post Mascard. *vol. 3. de probat. conclus.* 1147. *n.* 16. Zanger. *num.* 166. & Matth. Stephani *hic* attestantur, ideo hoc indicium per se solum non sufficit ad torturam.

Ad quid † ergo vlterius attendendum? Imperator Respon- 5.
det ad hoc, vtrum mulier ista talis sit persona, quæ ob lasciuos mores meritò suspicioni locum relinquat, v. g. si procax sit, si in ea frons meretricia appareat, si ore liberiore judicetur, si verba amatoria & lasciua frequenter emittat, & quæ sunt alia similia. Ratio: quia † hi sunt mores virgine indigni, & quia facies animi 6.
index est, præterea vulgò dicitur, ex cantu cognoscitur auis, & quemadmodum cauda leonibus, aures & nares equis animorum indicia præstant, sic ex oculis hominum mentis imago apparet, Bernhard. Zieriz. h. vbi rationem aliã à contrario desumptam adducit. Sicut enim

Lucet in aspectu pietas, intrinseca virtus
Scribitur in vultu, probitas in imagine fulget.

ita quoque ex ore, ex oculis, ex facie, imò subinde ex odore lasciuia deprehenditur. Nihilominus † tamen, quia hoc loco agi- 7.
tur de magno præjudicio, & lasciuarum puellarum sæpe magnus est numerus, quæ si omnes torturæ subijci deberent, vix funiculi & tortores sufficerent, ideo ne cui iniuria fiat, & veritas ni-

hilominus indagari possit, Imperator hoc medium præscribit, vt aliqua talis, in qua ista omnia, de quibus dictum est, deprehenduntur, à mulieribus in arte peritis, veluti obstetricibus, vel alijs honestis matronis, in locis occultis inspiciatur. Ratio: licet
8. † enim Iustinianus Imp. impudicam corporis inspectionem sustulerit, *L. vlt. C. quando tut. vel curat. esse desin.* §. *nostra autem maiestas. inst quib. mod. tut. fin.* nihilominus tamen, quia multa de jure non male conceduntur, vt veritas habeatur, *per L. quoniam C. de haeret.* & quia reip. interest, ne tam atrocia parricidij delicta maneant impunita, *L. vulneratus, ff. ad L. Aquil. Georg. Remus. h. &*
9. *post eum Matth. Stephani h.* ideo CAROLVS † Imp. voluit, vt ocularis inspectio à matronis honestis & prudentibus haberetur, *arg. c.* 14. *ext. de probat.* quæ si tactâ inspectâque muliere suspectâ suspicionem suis dictis confirment, illa autem nihilominus negare pergat, veritas tandem tormentis exprimenda erit. Ratio: li-
10. cet † enim hæc probatio corruptæ virginitatis ex multorum sententia fallax sit, Zanger h. *cap. 2. n.* 167. *& Matth. Stephani h.* insuper manus & oculi obstetricum facile in hoc negotio fallantur, quando de signis virginitatis agitur, *text. in c causam* 14. *ext. de probat.* & difficile sit, deprehendere, an aliqua sit virgo *Bernh. Zieriz. h.* (vide integrum tractatũ Seueri Pinæi *de virginitatis notis, grauiditate & partu*, & Melchioris Sebizij *de notis virginitatis*, vbi omnes tradunt, inspectionem fallacem esse. vide quæ scribe-
11. mus infra *ad artic.* 119.) Nihilominus quia † hoc loco principaliter non id agitur, vt virginitas corrupta per inspectionem deprehendatur, sed illud potius, vt circa fœtum editum veritas habeatur, ideo si matronæ istæ juratò referant & attestentur, suspectam illam, vel accusatam, non modò virginem non esse, sed etiam peperisse, vel enixam fuisse, in eo casu non dubitauit CAROLVS Imp. quin concurrentibus reliquis circumstantijs sub tormentis mulier interroganda sit, an grauida fuerit, & an enixa sit, item an partum interfecerit. Ratio: quia peritis in arte credendum, consequenter etiam obstetricibus *Zanger. n. 165. cum seqq. & post ipsum Matth. Stephani. h.* vide Mascard. *de probat. conclus* 1418. *n.* 14. *&* 16. *&* 1215.

Aliud

Aliud indicium infanticidij.

ARTICVLVS XXXVI.

SVMMARIA.

1. *Lac in mammis puellæ suspectæ existens, quando indicium faciat? & n. 2. & an sit signũ virginitatis corruptæ? n. 3. & 4. an non ex alia causa fieri posit.*
5. *Inspectio partium genitalium iuuare debet existentiam lactis in mammillis, vt fiat sufficiens indicium.*
6. *Clam & remotis arbitris pariens fœtum mortuum, & postea occultatum, suspecta est de infanticidio.*

IN hoc † articulo proponitur illud infanticidij à matre com- 1.
missi verisimile indicium, v. g. si infans ab hac luce subtractus in platea, fluminibus, cloacis, vel alijs in locis reperiatur, & ea mulier, quæ de hoc crimine suspecta est, lac in suis mammis habeat, tunc enim eius vbera emulgeri possunt, & si lac *perfectum* inde profluat, ipsa autem se peperisse neget, magnum indicium est, vt eadem hæc mulier quæstioni subijci possit, & interrogari, an infantem pepererit, strangulauerit, vel alio modo de medio sustulerit, *text. h. & Zanger. n. 169. Gilhaus. in not. h.* Rationem † reddit Menoch. *lib. 1. q. 3. n. 5.* quia si probetur mulierem 2.
habere lac in mammis, violenta præsumptio oritur, eam fuisse corruptam. Natura enim ipsa efficit, vt lac in mammis habeat mulier propter generationem, & per naturam lac tantum fœtûs, tum in vtero conclusi, tum in lucem editi nutriendi gratiâ in mammis generatur, prout Hippocrates & Galenus testantur, & ex illis Remus, & Matth. Stephani hic referunt. Naturaliter enim fit, vt quæ mulier lac habet, prægnans sit, vel fuerit, Mascard. *de probat. concl. 1215. n. 10.* vnde vbera fœminarum ab ipso conceptu in vbertatem promoueri perhibentur, *Zieriz h.* ac proinde prægnantia ex lacte probatur, *Gilhaus. h.*

Dicit † autem Imp. in textu: recht vollkomme Milch. Ra- 3.
tio: quia si sit liquor alius à lactis natura recedens, indicium nullum facit, *id. ibid.* nam non modò in virginibus, sed etiam in viris, præsertim carnosis & corpulentis humor lacteus, vel lacti

non

non multum absimilis generari potest, prout exempla refert, ex Cardano & Horstio Matth. Stephani *h.* vide de hac quæstione præclarum Medicum Franciscum Ranchinum tract. *de morb. virg. sect. 1. c. 16.* vbi disputat, an lac apparens in mammis sit signum virginitatis corruptæ.

Ad Versic: Nach dem aber.

4. QVandoquidem † nonnulli Medici docent, ex quibusdam naturalibus causis fieri posse, vt mulier lac habeat in mammis, & si non enixa, sed tantum grauida, imò ne quidem grauida sit, aut conceperit, (sicuti illa, cui menstrua non fluunt, sed defecerunt, aut suppressa sunt, cuius Rationem Bernhard. Zieriz. hic assignat) ideo Doctores dicunt, habere lac in mammis non esse certum & infallibile signum, fœminam enixam esse, *Thom. Mezger. consil. crim. 15. n. 108.* multò minus infanticidium commisisse, ac proinde, † si mulier in his casibus se hoc mo-
5. do excusare, vel aliàs suam virginitatem tueri velit, non facile ad torturam procedendum, sed per obstetrices probè expertas, vel alias peritas mulieres exploratio facienda est, quæ facile ex inspectione partium genitalium deprehendent, vtrum partum recenter ediderit, *Matth. Stephani. h.* Ratio: quia omnis probatio vincitur, si aspectus in contrarium testificetur, *Gail. 1 obs. 26.*

6. Adhuc vnum violentum indicium clandestini infanticidij habebimus infra, *artic.* 131. vbi illud plenius examinabimus: interim videatur Zanger. *loc. cit. n.* 171. & Matth. Stephani. *h.* & breuiter hoc notetur: quod si mulier fœtum viuum, & membris distinctis præditum in vtero gerens, absque obstetrice, vel adhibitis alijs mulieribus clam pariat, qui postea exanimis reperiatur, ea autem necis insimulata sese excuset, quod sine culpa sua abortum fecerit, vel fœtum mortuum ediderit, vel quod infans ex vtero in terram ceciderit, & hoc modo interemptus fuerit, innocentiam autem suam tueri, & de naturali fœtus morte fidem facere nequeat, valida inde præsumptio nascitur, eam ex proposito infantis exitium quæsiuisse, & suam turpitudinem celare voluisse, proinde ad confessionē veritatis torturæ subijcienda est, maximè quando infantem occultauit, & mulier ante partum grauidita-

tem

gem suam dissimulauit. Ratio: quia ex clandestino actu dolus & malus animus agentis præsumitur, *c. Clericus. 20. dist. 81. L. 54. ff. de adm. tut.*

Indicia veneficij peculiaria.

ARTICVLVS XXXVII.

SVMMARIA.

1. *Veneno occidere plus est, quam gladio, & quare. n. 2.*
3. *Venenum emens vel tractans, si. 4. inimicus fuit extincti.*
5. *Vel ex morte illius commodũ expectauit. 6. vel alias leuis vitæ est, suspectus de veneficio redditur. 7. ratio. 8. ita vt sub tormentis interrogari possit, in quem vsum adhibuerit. 9. nisi docere possit, se ad res minimè malas vsum vel vsurum fuisse. 10. vel adsint alia indicia pro reo. 11. & 12.*
13. *Veneficij indicium censetur, si is, qui venenum emit, vel præparauit, à magistratu interrogatus, negauerit, & conuictus fuerit. 14. ratio.*
15. *Mentiri an magistratui liceat ad sui liberationem?*
16. *Venena vendere non licet absque magistratus præscitu. 17. ratio.*
18. *Venena vendentes quomodo puniantur, & quando excusentur.*

IN hoc † articulo descendit Imp. ad quartum genus homicidij, 1. quod vocatur veneficium, de quo agitur in *L. 3. §. 1. ff. ad L. Cornel. de sicar. & veneficijs.* & dicitur tunc committi, quando quis alterum veneno necat, idque crimen grauius reputatur, quam homicidium telo commissum, & plus censetur hominem extinguere veneno, quam gladio, *L. 1. C. de malef. & mathemat.* Ratio: quia † aggressus ab altero armis se defendere & tueri po- 2. test, veneficium autem non ita præcaueri & vitari potest, *VVesenb. n. 28. ff. d. T.*

QVÆSTIO † itaque nunc est: si quis veneno dicatur subla- 3. tus, & non constet, quis illud ei miscuerit, vel præbuerit, quomodo judex in cognitionem huius criminis venire, & ex quibus indicijs malefactorem cognoscere possit? ad hoc Respondet † Imp. 4. si quis eo nomine suspectus conuincatur venenum emisse, penes

se habuisse, tractasse, præparasse, & cum eo, qui veneno infectus,
5. vel omnino extinctus est, inimicitias gessisse: vel secundò ex † morte illius commodum aliquod sperauerit, v.g. illius hæreditatem, dignitatem, officium, munus, vel aliud emolumentum expectauerit: vel † tertiò talis sit persona, quàm vitæ leuitas huius facinoris suspectam faciat. In hisce casibus sufficiens indicium nascitur ad torturam. Ratio: quia † sola inimicitia, sola spes commodi, & sola leuitas vitæ malè actæ indicium faciunt, quemadmodum dictum fuit *sup. artic. 25.* §. 1. 5. & quamuis illa sola seorsim spectata non sufficiant ad torturam, tamen, vt ibidem explicatum, torturæ tunc locus est, si alia quædam adminicula accedant, quemadmodum hic veneni comparatio, præparatio, &c. quę & ipsa sola aliquam præsumptionem facit, Menoch. *lib. 1. q. 89. n.* 123. & res per se † valde suspecta est, propterea, quia est de genere prohibitorum, venena enim emere non possumus, nisi adjectione alterius materiæ nobis vsui esse possit, *text. in L. quod sæpe. 35.* §. *2. ff. de contrah empt. & ibi Gothof.* Ergo si cum præparatione veneni concurrat vel inimicitia, vel spes commodi, vel vitæ leuitas, ex hisce concurrentibus augetur effectus, ita vt reus sub tormentis interrogari possit, in quem vsum hoc venenum emerit, præparauerit, adhibuerit, aut adhibiturus sit, *Zanger. loc. cit. n. 172.* Hæc tamen omnia

9. Limitantur † non procedere: si reus suspectus docere possit, se veneno isto ad res minimè malas, neque legibus prohibitas vsum fuisse, aut adhuc vsurum esse, *text. h.* Ratio est: quia † sunt quædam venena, quæ temperamento adhibito salubria effici, & in medicinis adhiberi possunt, *argt. d. L. 35. Bernhard. Zierizius*, sic etiam quædam alia pro muscis & muribus interimendis vsurpari solent, & bonum esse aliquod venenum ostendit Caius in *L. qui venenum. 236. ff. de V. S.* Similiter † à tortura abstinendum putat Menoch. *loc. cit. n.* 124. si adsint contrariæ præsumptiones & indicia, vt quia is, qui emit venenum, erat homo probatæ vitæ, vel si valde diligebat alium veneno necatum. Ratio: quia † præsumptio vna tollit aliam, & sæpe iam dictum fuit, præsertim *artic. 13. n. 10. art. 28. & 29. n. 4. artic. 33. n. 17.* quod reus torqueri non debeat, etiam extantibus & probatis indicijs, si pos-

sit

sit ea aliqua exceptione, vel distinctione elidere, &, quod alio fine & mente quid factum fuerit, ostendere.

Ad §. Item so einer.

Aliud † indicium veneficij censetur, si quis venenum emerit, aut præparauerit, postea à magistratu vel judice super hoc interrogatus, negauerit, & mendacij conuictus fuerit, quo in casu iterum torqueri & interrogari poterit, ad quid tali veneno vsus fuerit, vel vti voluerit. Ratio: quia † ex præparatorijs alicuius delicti præsumitur delictum postea subsecutum, Farinac. *q. 52. n. 162.* Zanger. *c. 2. n. 142.* Menoch. *lib.* 1. *q.* 89. *n.* 101. *cum seq.* vide inf. *artic.* 41. & quia hic iterum duo indicia concurrunt, nimirum emptio, & præparatio veneni, quæ, vt paulò ante dictum, prohibita, & valde suspecta est, deinde mendacium & inficiatio, quæ, vt alibi dictum, indicium facit, & quidem accedentibus alijs adminiculis sufficiens ad torturam, vide Menoch. *lib.* 1. *q. 89. n. 67.* Zanger. *c. 2. n. 96. & seqq.* qui *n.* 174. & post eum Matth. Stephani hoc loco tradit, quod † scelus sit magistratui mendacium dicere, etiam suæ vitæ è periculo eripiendæ gratiâ, confer Summam *c. 4. n. 25.* Ratio: quia quæ in terris exercentur judicia, DEI sunt, non hominum, idcirco omne mendacium in judicio fieri dicique prohibetur, Zanger *n. 97.* Ratio: quia Plauto *in mercatura* scelus esse videtur paréti proloqui mendacium: atqui magistratus parentum loco est. Ergo magistratui mentiri scelus est, *id. n. 174.* & post ipsum Matth. Steph. h.

13. 14. 15.

Ad §. Es sollen.

IN hoc §. statuit CAROLVS Imp: vt magistratus omnium locorum pharmacopœos, & alios, qui venena vendunt, vel tractant, juramento astringant, ne cui vllum venenum, v.g. Mercurium, opium, antimonium, arsenicum cyterinum, auri pigmentum, vel quid simile vendant, aut tradant, sine eorum præscitu, permissu, & indulto. Ratio: quia † licet venena quædam alijs materijs mixta nocendi naturam deponant, & vsui nobis esse possint, ita vt ex his antidota, & quædam alia salubria medicamenta conficiantur, *L. quod sæpe 35. § 2. ff. de contrah. empt.* &

16. 17.

quamuis pharmacopæis non sit vetitum pharmaca bona & mala, & ipsa etiam venena habere: nihilominus, quia propter periculum cautè est agendum, non debent ea indifferenter distribui, aut alijs, quam ijs, qui ea ad salutem comparare possunt, diuendi.
18 Quomodo † autem puniantur tales, qui contra prohibitionem vendunt, videri possunt Doctores *ad L. 3. §. 1. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* Farinac. *q.* 120. *n.* 142. Iodoc. Damhaud. *prax. crim. c. 87. n. 6.* Menoch. *lib. 2. de arbit. jud. quæst. cas. 359.* & quando excusentur, Baiard. *in addit. ad Clar. q. 68. n.* 131.

Indicia rapinæ.

ARTICVLVS XXXVIII.

SVMMARIA.

1. *Res rapta inuenta apud aliquẽ, vel ab eo alienata, indicium rapinæ præbet, si auctorem suum non indicet, & 3.*
2. *Possessionis causam quando quis dicere teneatur?*
4. *Et sit homo malæ vitæ & famæ, aliàs non. 5. ratio.*

1. SI † constet aliquem eiusmodi bona, quæ rapta dicuntur, penes se habere, aut alijs vendidisse, donasse, tradidisse, aliaúe quauis ratione malâ fide tractâsse, nec tamen is auctorem suum indicare velit, præsumptionem & indicium rapinæ contra se præbet, hoc ipso, quia non ostendit, se nesciuisse eiusmodi bona vi rapta, sed putasse, bona fide ad se translata fuisse, *text. h. & ad*
2. *eum Remus, Zieriz. & Stephani.* Rationem † reddit Alexander Imp. *in L 5. C. de furt.* vbi ait: ciuile est, quod à te aduersarius tuus exigit, vt rei, quam apud te fuisse fateris, exhibeas venditorem. Nam à transeunte & ignoto te emisse, dicere non conuenit, volenti euitare alienam bono viro suspicionem. Ex quo textu Gothof: Infert, quod in hoc casu possessionis causam & titulum aliquis dicere teneatur.

3. Sic ergo pro Regula † hoc loco traditur: quod rapina præsumatur commissa ab eo, penes quem res rapta inuenta fuerit, adeo, vt si non docuerit, à quo rem raptam habuerit, justè ex illa inuentione possit tormentis subijci, *Zieriz. h. & Gilhaus. h. & Zanger.*

Zanger n. 175. Rationem ab inductione sumptam vide supra *artic. 33.* Vers: oder ob Er. hoc tamen

Limitant † communiter Doctores, vt tunc procedat, si is, penes quem res rapta (aut furtiua, nam idem est, vt infra *artic. 43.* videbimus) inuenitur, sit homo malæ atque illaudatæ vitæ, & famæ, & sic judici aliàs suspectus, quia similia delicta plura perpetrauit: secus verò, si sit homo bonæ conditionis & famæ, vir integer & bonus, tunc enim ex sola inuentione rei furtiuæ, aut raptæ, non debet præsumi fur aut latro, neque propterea statim torturæ subijci, *argt. L. non omnes 5. § à barbaris 6. ff. de re militari. Hippolyt. de Marsil. in pract. crim. §. diligenter. n. 96. Mascardus de probat. conclus. 834. n. 5. Menoch. de præsumpt. lib. 5. de præsumpt. 29. n. 6. Zanger. loc. cit. Matth. Stephani & Bernhard. Zieriz. h. Iul. Clar. §. f. q. 21. v. f. Gomez var. resol. tom. 3. c. 13. n. 21.* 4.

Ratio est: quia † licet res furtiua, aut rapta, in alicuius ædibus reperiatur, non necessariò sequitur, eam furto aut rapina à Domino ædium fuisse sublatam, potuit enim fieri, vt à famulis sit subtracta, aut ab alio, & in ædibus alterius reposita, vel etiam per fenestram in alterius conclaue immissa, Zanger. *n.* 177. vbi dicit: in dubio semper in mitiorem partem præsumi debere. Plura de hac materia redibunt infra *artic. 43.* quæ huc transportari possunt. Confer Summam *c. 4. n. 24.* 5.

Aliud indicium rapinæ.

ARTICVLVS XXXIX.

SVMMARIA.

1. Homines otiosi perpetuò in diuersorijs commorantes, & facultatibus destituti præsumuntur viuere ex furtis & rapinis. 2. si ergo latrocinia & furta commissa fuerint, sub tormentis interrogari possunt. 3. ratio.

4. Palantes milites & errones, Die Herrnlose garttende Knecht, *quam sint suspecti, & quare. n. 5. & 6.*

7. Mendici validi, circumforanei & Zingari quam suspecti. 9. quare. 8. cur non tolerandi.

10. Mendicorum discrimen quod seruandum.

1. IN hoc † articulo refert Imp. aliud indicium contra raptores & prædones (quod facere poteſt etiam contra fures) ſi videlicet homines aliqui nullius profeſſionis, artificij, vel opificij, ſed luxuriæ, otio, & deſidiæ dediti, frequenter in diuerſorijs, aut cauponis commorentur, nec tamen tantum habeant in bonis, facultatibus, annuiſúe cenſibus & prouentibus, vt vitam ſuam ſuſtentent, vel ſumptus illos ferre poſſint, tunc enim præſumptio, & indicium eſt, quod ex malis artibus, ex furtis, rapinis, & latroci-
2. nijs viuant. Si proinde † judici conſtet, quod in locis propinquis latrocinia & furta fuerint commiſſa, poterit tales homines luxuriæ deditos apprehendere, & ſub tormentis interrogare, an eiuſmodi furta & latrocinia commiſerint, & vnde ſumptus habeant, quod ita comeſſari, græcari, & cauponibus ſatisfacere potuerint,
3. *text. hic, & Zanger. n. 179.* Ratio: quia † pecunia ex terra non procreſcit, neque è cœlo pluit, ſed ex induſtria atque fructibus naturalibus, vel ciuilibus nobis accedit: ſi quis ergo oſtendere non poſſit prædia, ex quibus fructus colligat, & ex venditione pecuniam redigat; neque annuos cenſus, quos ſtatis temporibus à debitoribus accipiat: neque annua ſtipendia, neque honeſtam negotiationem, ex qua vitam toleret, planè violenta præſumptio eſt, quod ex illicitis, & inhoneſtis artibus viuat. Nam vt Zieriz. *h.* ait: nihil ſolertius eſt naturâ in excogitandis ijs artibus, ex quibus ad ſuſtentationem ſui adminicula habere, & lucrum percipere ſperat.

4. Id autem † Imperator potiſſimum procedere dicit, in militibus palantibus, circumforaneis, vagis, & pagatim graſſantibus, diſcurſitantibus, ſiue equites ſint, ſiue pedites, præſertim illis, qui in conſtitutionibus imperij de annis 1548. 1551. 1555. vocantur, die Herrnloſe garttende Knecht / & qui incertis laribus, ſedibuſque vagantur, qui paſſim diſcurſitant, & in ſiluas proximas, aut loca infeſta excurrunt, hi enim multorum malorum, præſertim verò rapinæ ſuſpecti ſunt: proinde in conſtitutione de pace publica expreſsè prouiſum eſt, vt tales nebulones non tolerentur, ſed apprehendantur, ſeuerè examinentur, & condignis pœnis afficiantur, vide Gail. 1. *de PP. c. 4. n. 33. & 36. & 16.* Ratio-
5. nem † reddit Bernhard. Zieriz. *ex Bodino*; quia nihil eſt in rep.

tam

tam perniciosum, quam otiosorum hominum huc illuc errantium multitudo, qui & priuatorum bona diripiunt, & in euersione reip, spem omnem fortunarum suarum posuerunt. Ratio alia: quia † tales homines non modò priuatis nocent, sed ipsi reipublicæ, dum vias publicas infestant, commeatum rerum & hominum impediunt: atqui reip. interest, sine metu & periculo commeari, *L. 1. §. 1. ff. de his, qui dejec.* vias publicas saluas, securas, atque ab omni periculo liberas esse, *VVesenb. in f. ff. d. T. arg. t. t. ff. ne quid in loc. it. pub.* vide Gailium *d. n. 23.* vbi dicit, quod isti grassatores, errones, & turbines miseros agricolas miserè concutiant, exedant, bonisque euertant, & à nullo insolentiæ & maleficij genere sibi temperent. Idem *d. n. 36.* testatur, quod quacunque iter faciunt, impotentissimæ petulantiæ vestigia post se relinquant, subditis infinita damna adferentes, omniaque miserè concutientes & depopulantes, atq; latrocinijs suppilationibusque fœdantes omnia. Vide eundem *d. c. 16. n. 38.* vbi eos veram hominum sentinam appellat. 6.

Ad Versic: Deßgleichen.

MOnet † hoc loco Imperator magistratus quosuis, vt diligenter attendant ad mendicos suspectos, aliosque circumforaneos & errones, inter quos meritò numeramus eos, quos solemus Cinganos, vel Zingaros, vulgò die Zigäuner appellare. 7.
Nam † si boni præsidis est purgare prouinciam à malis hominibus, certè non minimam curam magistratus habere debet, vt Prouinciæ atque vrbes validis mendicis & circumforaneis purgentur, vide recessum imperij *de anno 1500. 1530. & 44.* 8.
Ratio: quia † vnumquemque decet in sudore vultus sui lucrari panem suum; hi autem homines plerumque otio dediti sunt, & alijs molesti, vel ex mendicitate, vel ex malis artibus viuunt. 9.
Hac de † causa Gratianus Valent. & Theodos. Imp. in *L. vn. C. de mendicantibus validis lib. 11.* statuerunt, vt omnes publicè mendicantes inspiciantur, & quidem ægris & inualidis eleēmosynæ tribuantur, inertes autem & validi cogantur ad laborem, vt inde sibi necessaria quærant, *vide Lucam de Penna ad d. L.* 10.

Indicia

Indicia contra auxiliatores furum & prædonum.

ARTICVLVS XL.

SVMMARIA.

1. *Auxilij ad furtum & rapinam præstiti suspectus est, qui scienter & dolosè de rebus furtiuis aut raptis participauerit.* 2. *ratio.* 3. *similiter & is, qui fures vel raptores.* 15. *nulla necessitudine conjunctos.* 17. *sciens.* 16. *& volens hospitio susceperit, cibum potumq́ subministrauerit.* 3. *ratio.* 4. *& insuper res furtiuas & raptas receptauerit, & n.* 14. 5. *vel vendiderit.* 6. *vel se furibus & raptoribus associauerit, vel alijs modis non defuerit.*

7. *An hæc conjunctim vel seorsim indicium faciant?* 8. 9. 10.

11. *Receptatores quâ pœnâ affici possint?* 12. 13.

18. *Auxilij ad furtum vel rapinam præstiti indicium est, si quis fures vel latrones è carceribus elapsos scienter & dolosè receperit.* 21. *vel occultauerit.* 24. *vel homo suspectus, cui passim non multum fidunt.* 26. *sine justa causa* 28. *& præscitu magistratus cum damnificato transigat, &* 22. *vel fidem suam eo nomine interponat.* 23. *ratio.*

25. *Asylum præstat Ecclesia.* 26. *& domus IConsultorum Ingolstadij.*

27. 28. *Paciscens suo vel alieno nomine quando se delicti suspectum reddat, &* 29.

1. SI quis † scienter & dolosè de rebus furtiuis aut raptis participauerit, portionémue acceperit: aut eiusmodi facinorosos sciens hospitio exceperit, cibum potúmue subministrarit: reos ipsos, vel eorum res furtim, vel vi subtractas receptauerit, celauerit, vendiderit, alienauerit: vel si quis auctoribus aliàs modo suspecto consilium vel adjumentum præstiterit, vel illicitam communionem & societatem cum illis habuerit: *vide de his Damhauder. prax. crim. c.* 116. *per tot.* hæc indicia faciunt opis & consilij ad rapinam, vel furtum, ita vt taliter suspectus torturæ subijciendus, & interrogandus sit, an conscius & particeps furti, aut latrocinij fuerit.

Ratio

Ratio † quoad participationem est: quia cum fures & latrones sui lucri & compendij causâ tantũ scelus committant, seq; non leui periculo resistentiæ & capturæ exponant, non est verisimile, quod res furtiuas, & prædam communicent cum eo, qui non communicat in delicto, ope vel consilio. Ratio † quoad receptationem, & hospitationem, furum & raptorum, est hæc: quia licet humanum sit hominem ab homine recipi, & hospitalitas in sacra scriptura valde laudetur: tamen non licet latrones, fures, aliósue maleficos receptare, *Remus & Matth. Stephani h. Zanger. n.* 131. per Rationem † à Cuiac. in *parat. C. de ijs. qui latrones, &c.* redditam: quia cum naturâ simile sit facere scelus & probare, omninò rectè ob hanc receptionem recipiens, & occultans reos criminum, sub tormentis interrogandus est, an ipsius criminis particeps sit, nam qui scienter delinquentem receptat, præsumitur particeps criminis, Mascard. *de probat. conclus.* 1265. *n.* 1. Ratio quoad receptatores rerum furtiuarum, vel raptarum, alia desumitur ex germanico prouerbio: Wer der Hähler nit/ so wer der Stehler nit. Rationem tertiam superaddit Menoch. *lib.* 1. *præsumpt. q.* 89. *n.* 108. quia insurgit præsumptio & indicium, quod is receptator mandauerit delictum commissum, vel quod conscius sit. Ratio quoad † venditionem, aliásque alienationes, redditur à Zanger, *n.* 187. talis: qui scienter res furtiuas emit clam à fure, aut easdem in pignus accepit, non caret suspicione furti, eóusque quod possit inquiri, (& tormentis subijci) Mascard. *de probat. vol.* 2. *conclus.* 832. *n.* 16. & 17. vide Damhaud. *in prax. crimin. c.* 117. Ergo etiam is, qui scienter & fraudulenter de rebus ipsis participauit, vel easdem celauit, vendidit, vel alijs modis latronibus & furibus non defuit, in suspicionem furti, aut latrocinij incidere debet. Si enim inest, quod minus videtur inesse, inerit & id, quod magis. Ratio † quoad associationem: quia simile simili gaudet, & noscitur ex socijs, qui non cognoscitur ex se: conuersatio enim arguit hunc esse talem, cum quibus esse voluit, *per c. recolentes. ext. de statu Monach. Gilhaus. h.*

Margin: 2. 3. 4. 5. 6

Sed hic † exurgit alia QVÆSTIO: vtrum singula ista indicia seorsim spectata ad torturam sufficiant, nec ne? Bernhardus Zie- 7.

8. rizius † putat, reum *concurrentibus* hiſce circumſtantijs eculeo
9. ſubijciendum eſſe. E contrario verò † Remus, & poſt eum Matth. Stephani exiſtimant, *ſingulis* his caſibus facultatem dari ad quæſtiones poſcendi eum, aduerſus quem hæc indicia militabunt. Quæ opinio etiam mihi (ſaltem in vno vel altero caſu) proba-
10. tur. Ratio: † quia Imperator vtitur voculâ diſiunctiuâ *vel*: atqui diſiunctiua oratio alterius veritate cōtenta eſt, & ad diſiunctiuæ veritatem ſufficit alterum impleri, *§. ſi plures. fin. & ibi Angel. & VVolf. inſt. de hæred. inſtit.* & in fine addit: Diſe Ding alle ſambtlich vnd ſonderlich ſeynd Wahrzaichen / die ein redliche Anzaigung machen / addita tamen conditione in fine articuli poſita: ſi talis aliàs ſuſpectus ſit, & exiguam fidem atque laudem habeat,
11. deme man nit vil guts zutrawet. Ratio † alia inſinuatur à Remo hic: quia ſoli receptatores, qui furtim ablata ſcientes receperint, non modò de receptis, ſed etiam pœnali furti actione conueniri poſſunt, *L. eos qui. 14. C de furt.* parique pœna cum furibus pu-
12. niri, *idem Remus h.* quod fuſius & clarius † Damhauderius *in prax. crim. c. 110. n. 1. & ſeqq.* indicat, dum ait: Multi ſunt, quos aut pudet, aut qui metuunt maleficium committere, attamen quantum in ſe eſt, maleficium animo conceptum, & peccandi libidinem opere conſummant, vt per ſe, aut per alium, quem in furto alunt, defendunt, iuuant, & ope ſuccurrunt. Hi, quoniam ipſis furibus nihilo ſunt meliores, imò aliqua in parte ſceleratiores, quod eos, vt dixi, in furto alunt, & poſt furtum domo recipiunt, aut tuentur: ideo tales quoque furum aut furtorum receptores non ſecus, quam ipſi fures commiſſarij plectendi ſunt: imò omnes, qui furibus vllum ſolatium, ſubſidium, conſilium, aut famulatum præbent, aut furti fuere participes, aut furtiua bona in domum receperunt, aut ex illis, cum furibus commeſſati ſunt, ſcientes eos eſſe fures, & bona illata furto eſſe ablata, tales inquit, omnes ſimili pœnâ cum veris furibus plectendos eſſe, *argt. L. 1. ff. de re-*
13. *cept.* Quamuis † autem hæc quoad pœnam, aliquam controuerſiam, & diſtinctionem patiantur, vt videre eſt in notis Gothofredi *ad d. L. eos, qui. 14. C. de furt.* & apud Weſenb. *in pr. ff. de receptat.* tamen argumentum non malè ſic formatur: ex quorundam opinione hi tales in præſenti articulo 40. deſcripti pari cum

furibus

furibus pœnâ sunt plectendi. Ergo multò magis tormentis sunt subijciendi.

Verùm † de receptatoribus videantur plura magis distinctè 14.
cum declarationibus & limitationibus tradita apud Damhauderium. *c. 116. per tot.* Wesenb. *in parat. ff. de receptat.* Menochium *de arbit. jud. quæst. l. 3. cent. 4. cas. 348. per tot.* Iul. Clar. §. *f. q. 90. v. vlt.* Schneid. §. *interdum. inst. de oblig. ex delict.* Zanger. *c. 2. n. 131. cum seqq.* vbi

LIMITAT † PRIMÒ: vt hoc indicium cesset, si quis recipiat 15.
sanguine & affinitate sibi junctos, Menoch. *d. q. 19. n.* 108. vide Rationem apud Wesenb. *loc. cit. n.* 2. vbi dicit: quod ignoscendum sit aliquo modo ijs, qui consilium pro tuendis suis capiunt, & quia hi magis rationem propinquitatis, quam sceleris habere videntur.

LIMITAT † SECUNDÒ Zanger. *loc. cit. n. 133.* vt si quis coactè 16.
receperit latrones, aliósue alijs criminibus reos, contra eum nullum indicium sit ad torturam, quia talis nec pœnam meretur, Menoch. *dict. cas. 348. n. 16.* Ratio alia: quia coacto non adhæret suspicio, *argt. L. tutori. 20. ff. de neg. gest. VVesenb. in parat. n. 13. ff. de judicijs.*

LIMITATVR † TERTIÒ: vt tunc tantum procedat, quando quis 17.
scienter recepit. Ratio: quia receptatorum pœna non tenetur, qui ignarus est maleficij. Wesenb. *loc. cit. n. 3.*

Ad §. Item so einer gefangen.

ALiud † indicium opis & consilij, ad furtum vel rapinam 18.
præstiti, est hoc: si quis fures vel latrones, qui ex carcere aufugerunt, & à quibus intellexit, vbi, & qua de causa captiui detenti fuerint, receptauerit, vel scienter & dolosè occultauerit: vel † Secundò, si homo suspectus, cui passim in causa 19.
furti vel rapinæ homines non multùm fidunt, reorum partibus faueat, sine præscitu magistratus illius, qui furem vel latronem captiuum detinet, cum eo, cui res furto aut latrocinio ablata est, pretio interueniente transigat, proque liberatione eius paciscatur, & vel pretium sibi numerari sinat, vel fidem suam eius nomine interponat. Vtroque † in casu, conjunctim & separatim 20.

ſumpto certum argumentum & legitimum indicium naſcitur, opem & auxilium in crimine latum eſſe, ideoque judices (ſi grauitas rei & negotij id poſtulet) ad tormenta deſcendere poſſunt.
21. Ratio † quoad occultationem & receptationem deſumi poteſt ex præcedenti paragrapho. Nam ſi is ſuſpectum ſe facit, qui fures & latrones adhuc liberè vagantes recipit, multò magis ſuſpectus fiet, ſi fugitiuos, & è carceribus elapſos ſcienter & doloſè re-
22. ceptet. Ratio † quoad tranſactionem & fidejuſſionem eſt: quia ſicuti is, qui pretio numerato ſuo nomine tranſigit, ſe criminis, ſuſpectū facit, ita vt præſumatur tranſacturus non fuiſſe, niſi cogente & impellente criminis patrati conſcientia, atque ita ſaltem fictione juris pro confeſſo habeatur, vide Zanger. *c. 2. n. 116. cum aliquot ſeqq.* vbi ad contraria reſpondet: ita ſi quis paciſcatur pro alio, præſumitur delicti alieni particeps eſſe. Ratio
23. rationis † vtriuſque redditur ab eodem Zanger. *n. 189.* quia videtur occultare eoſdem, vel de delicto tranſigere, ne ſi iterum mittantur in carcerem, aut de ijs quæſtio habenda ſit, eum nominent, & ita opis & conſilij participatio manifeſtetur. Vide Sum-
24. mam *c. 4. n. 58.* Requirit † autem Imp. in hoc §. duo ad id, vt torturæ locus ſit.

Primò: vt ſuſpectus ſit talis, qui apud homines non magnā fidem & laudem habeat. Nam ſi eſſet homo laudatæ & integræ
25. vitæ, ſiniſtram ſuſpicionem euitaret. Ratio: quia etiam † Eccleſiæ aſylum præſtant malefactoribus ad eam confugientibus, *t. t. C. de his, qui ad Eccleſ. confug.* Ergo per ſe non eſt malum, malefactores recipere, dummodo finis ſit bonus. Nam cuius finis (in rebus adjaphoris) bonus eſt, ipſum bonum eſt, Gail. *obſ. 10. n. 6.*
26. Similiter, † ſi quis reciperet homicidam, vel eiuſmodi malefactorem propterea, quod domus eius in hoc ſit priuilegiata, vt tutum ipſis refugium præſtet, quemadmodum domus ICtorum Ingolſtadij, non ſe criminis participem, vel ſuſpectum redderet. Pari
27. de † cauſa, ſi quis ex commiſeratione ad liberandum carceratum, præſertim verò conſanguinitate, vel affinitate ſibi junctum, paciſcatur, vel pro ipſo fidejubeat, non ſtatim pro auxiliatore habendus, aut eo nomine tormentis ſubijciendus eſt. Ratio: quia propinquitas ſuſpicionem tollit, *L. 10. circ. f. C. de adopt.* & ſanguinem

guinem suum, suorumque quouis modo redimere licet, *VVesenb. n. 5 ff. de transact. id, n. 2. de recept. per L. nec in ea. 22. §. 4. ff. ad L. Iul. de adult.*

Secundò † requirit Imp. vt transactio facta fuerit sine præscitu magistratus. Ratio: quia sicuti præsentia: ita & scientia judicis dolum excludit, *argt. L. transactionem. 35. & quæ ibi notant Dd. C. de transact. Gail. 2. obs. 1. n. 10.* Vnde etiam is, qui suo nomine paciscitur auctoritate judicis, suspicionem euitat, *L. furti. 6. §. pactus. 3. ff. de his. qui not. infam.* His † ego addendum existimo, vt in casibus, quibus quis suo proprio nomine paciscens, pro confesso vel conuicto non habetur (de quibus vide Wesenb. *n. 5. ff. de transact.* Zanger. *c. 2. n. 116. cum seqq.*) in ijsdem etiam paciscens nomine alieno pro consulente vel auxiliante non habeatur. Ratio: quia non debet plus esse in accessorio, quam in principali. 28. 29.

Incendij indicia.

ARTICVLVS XLI.

SVMMARIA.

1. *Incendij indicium est, si homo malæ opinionis præparauerit, vel tractauerit occultè materias ignem concipientes, vel fouentes.*
2. *Præparatoria apta ad delinquendum arguunt delictum subsecutum. 3. exempla. 4. 5. 6.*
7. *Nisi præparans finem licitum demonstrare possit.*
8. *Ex indicijs nemo torquendus, si possit ea aliqua defensione elidere.*
9. *Minitans incendium eo subsecuto indicium præbet, si sit homo aliàs suspectus. n. 10.*
11. *Pœna minantis incendium.*

SI quis † de incendio suspectus, aut accusatus fuerit, videndum est judici, & inquirendum, an non paulò ante incendium clandestinè & occultè præparauerit, aut tractauerit res, seu materias, ignem occultum fouentes, aut facile concipientes, v. g. picem, nitrum, puluerem bombardicum, vel nitratum, ossa puluere tali repleta, funes stupeos, lineas stupas, carbones, igneas faces, tela ignea, vel alios fomites, quibus incendia exci- 1.

tari solent, & fomenta succendentia, quæ commodè in alienas ædes immitti possunt. Nam si de hoc sufficienter constet, & is qui suspicione laborat, eius ingenij sit, vel talis opinionis apud homines, vt non abhorrere à tanto facinore existimetur, idoneũ hoc indicium erit delicti commissi, ita vt sub tormentis interro-
2. gari possit, an ignem immiserit. Rationem † reddit Zangerus *n. 190.* quia eiusmodi præparatio & ordinatio valde suspecta est, indicans incendium præcogitatum. Ratio rationis: quia in delictis occultis sumitur probatio & præsumptio ex præparatorijs,
3. *idem ibid.* Sicut † ergo ex præparationibus aptis ad offendendum, vt si quis visus sit emere gladium, vel acuere, vel polire arma, aut in aliquo loco collocare, vt parata ibi essent, vel se præter morem armis exercere, & postea homicidium sit perpetratum, indicium oritur contra præparantem, *Menoch. de præsumpt. lib. 1. q.*
4. *89. n.* 122. & sicuti † ex eo, quod quis visus sit emere, & tractare, vel præparare venenum, si deinde reperiatur quis veneno interfectus, præsumptio est contra eum, qui venenum emit, vel præpa-
5. rauit, *id. n.* 123. & sicuti in † alijs pluribus casibus, si quis instrumenta, ad hoc vel illud genus delicti patrandũ idonea, præparauerit, postea delicto subsecuto præsumitur ab eo commissum esse, *Farinac. de indicijs & tortura q. 52. n.* 163. & post ipsum Zanger.
6. *c. 2. n.* 142. ita quoque † ex præparatorijs incendij præsumitur
7. incendium subsecutum. Hoc tamen † LIMITATVR: nisi is, qui de incendio suspectus est, rationibus verisimilibus & probabilibus demonstrare possit, se res istas ad finem licitum, neque pœnâ dignũ adhibuisse, vel destinasse, v. g. pro ignibus missilibus, quibus se recreare consueuerat, tunc enim tormentis minimè subijcien-
8. dus, sed liber dimittendus erit. Ratio: † quia ex indicijs nemo torquendus, si possint aliqua distinctione elidi, vel bona mens ostendi, per notata *sup. artic. 29.* vers. es wurde dann/ *artic. 33.* vers. er kundt dann/ *artic. 37.* v. er kundt dann.
9. Aliud † indicium dicunt Doctores esse, si quis alteri incendium minatus fuerit, vel verbis (dicendo: rubrum gallum ad tuas ædes transmittam, vel rubrum signum supra domum tuam ponam) *Dambauder. c.* 103. *n.* 10. vel literis diffidatorijs, durch ein absagung Brieff/ *Zanger. loc. cit. n. 190. & ex ipso Matth. Steph. h.*

Ratio:

Ratio: quia † sup. *artic. 32.* generaliter Imp. definiuit, minas esse sufficiens indicium ad torturam, si quis ante minatus, & paulò post factum subsecutum fuerit, minans autem homo talis sit, cuius vita & mores ipsum meritò suspectum faciant. Ergo etiam in hoc speciali casu decisio ista locum sibi vindicabit, juxta reg: quod conuenit generi, conuenit etiam speciei. Et quidem † tantò magis, quod hanc incendendi voluntatem paratam, & minas æquè vt factum puniant leges, *Dambaud. in prax. crim. c.* 103. *n.* 10. *& post ipsum Matth. Stephani h.* Vide artic. 51. & 125. & confer Summam *c. 4. n. 36.*

10.

11.

Indicia proditionis.

ARTICVLVS XLII.

SVMMARIA.

1. *Proditionis indicium est, si quis cum inimicis agit.* 2. *Ratio.* 3. 4. 5. 6. *dummodo clam præter solitum, & officium, modo suspecto & periculoso fiat.* 7. *& dissimulatio accedat.* 8. *talisq; existimationis apud homines sit, vt verisimiliter facturus credatur hoc delictum.* 9. *secus si laudata vita sit.*

10. *Proditionis alia indicia.*

SI is, qui † proditionis alicuius suspectus est, clam, more insolito, & periculoso, visus fuerit apud eos, quibus proditionem fecisse putatur, & tamen simulat se ab ijs prorsus alienum, vel parùm securum esse, hic talis, si sit eiusmodi persona, quæ verisimiliter factura fuerit hoc delictum, & cui ea mens inesse creditur, vt ad tale facinus impelli potuisse putetur, ein solche Person/ darzu man sich solches versehen mag/ ob hoc indicium torturæ subijci poterit. Ratio † desumitur à natura proditionis: quia prodere est aliud agere, aliud simulare: aliud actu ostendere, aliud animo gerere, *Dd. ad L.* 1. *ff. de prævaricat. Gilhaus. Remus & Zierizius h.* Ratio alia, *secundum Zanger. n.* 191. *& Matth. Stephani hic:* quia insolita arguunt suspicionem, *argt. L. si quis sub conditione 7. ff. de condit. instit. Couarr. var. resol. l. 3. c. 8. n. 6. in f. id. c. 9. n. 2.* & dolus malus adesse putatur, cum alterius circumscribendi causâ aliud agitur, aliud simulatur, *L. 7. §. dolo ma-*

1.

2.

lo. 2.

l. 9. ff. de pact. Ergo multò magis in dolo esse credi debet, qui aliud agitat, aliud simulat alterius prodendi causâ, *ijdem*, *ibid.* Itaque quatuor Imp. † videtur simul requirere ad hoc, vt tortura
3. inferri possit. PRIMÒ: vt is, qui proditionis insimulatur, visus vel auditus fuerit illis adfuisse, adstitisse, collocutus fuisse, quibus
4. suam in prodendo operam locasse dicitur. Nam ipsa † conuersatio cum malis sinistram præsumptionem generat, quemadmodum
5. vidimus supra *artic. 25.* §. Zum vierdten. Sed quia † sola conuersatio, quæ potuit ob alias necessarias & probabiles causas fieri, actum ipsum proditionis immediatè non infert, ideo SECVNDÒ requiritur: vt ista conuersatio fuerit facta clam, præter solitum, & officium, modo suspecto & periculoso. Ratio: quia † si cum
6. istis consueuit agere & conuersari, vel ratione officij; vt quia contutores, vel concuratores fuerunt; vel ratione contractus aut quasi, vt quia simul in societate aut communione steterunt, vel hæreditatem diuidendam habebant, vel quædã alia communia & honesta negotia simul expediebant, id si palam factum est, more solito & consueto, non parit sinistram suspicionem: clandestina autem & insolita fraudis sunt suspecta, *L. non existimo 54.*
7. *ff. de adminiſt. tut. c. Clericus 20. dist.* 81. Nihilominus † quia etiam clandestina, insolita, & suspecta conuersatio in genere quidem dolosam machinationem, non autem necessariò & in specie proditionem infert, ideo TERTIÒ requirit Imperator, vt simulatio quædam accesserit, quæ est proprietas ipsorum prodito-
8. rum. Nam proditores aliud actu ostendunt, aliud animo gerunt, *Bernhard. Zieriz. h.* Quibus † denique QVARTÒ plurimum adminiculatur existimatio hominum, quam communiter de aliquo tali habent, si enim passim putatur tam peruersi & perniciosi ingenij esse, vt non sit incredibile, eum ad scelus hoc committendum potuisse impelli, in tantum hæc opinio cum cæteris adminiculis operatur, vt rectè inde indicium ad torturam sumatur.
9. Aliud † ergo esset, si laudatissimæ vitæ, & passim apud homines in bona existimatione esset. Ex quo cognoscitur, quantum intersit integram famam & existimationem apud homines conseruare, vt meritò Poëta monuerit:

Omnia si perdas, famam seruare memento.

Sunt

Sunt † & alia proditionis signa & indicia, v.g. si quis ab hostibus literas accipiat, & tamen cum superioribus suis, vel æqualibus non communicet: vel si quis literas clam ad hostes transmittat, & multò magis, si ignotis characteribus sint scriptæ, *Remus, Gilhaus. & Zieriz. h.* Si operâ illorum vtatur, qui hosti antea seruierunt, & tamen illos ipsos sæpius ad hostes mittat: prçsertim autē, si neget scripsisse, vel misisse, vel si secretò consultauerint: si hostes superuenientes ipsi præ alijs pepercerunt, vel ablata restituerunt, vel indignè tulerunt, eum malè à militibus gregarijs habitum, & si quæ sunt alia similia, ob quæ scio, virum quendam in dignitate positum tormentis fuisse subijciendum. 10.

Indicia sufficientia furti.

ARTICVLVS XLIII.

SVMMARIA.

1. *Furti indicium præbet res furto sublata penes aliquem visa 4. 5. si authorem non indicet. (2. ratio.) 3. & sit leuis aliàs opinionis. 6. nec solitus eiusmodi res emere & vendere.*

7. *Instrumenta & ferramenta ad reserandum parata tractare visus præbet indicium furti. 8. ratio.*

9. *Sumptus solito maiores post furtum faciens indicium furti præbet. 10. si persona talis sit, in quam meritò suspicio cadit. 11. nisi ostendere poßit, vnde acquisierit. 12. Præsertim si expensa sint tantum voluptariæ. 13. & adhuc magis, si visus fuit expendere monetā talem, qualis fuit amissa.*

14. *Visus exire domū, in qua furtum factum, cum fasciculo sub veste præbet indicium. 15.*

16. *Furti indicia plura remißiuè.*

PRIMVM † indicium legitimum furti est, si res furto ablata penes aliquem reperiatur, vel hoc ostendatur, quod ille eandem rem alijs vendiderit, donauerit, tradiderit, & quocunq; modo alienauerit, nec tamen authorem & venditorem suum nominare, & indicare velit, aut possit, tunc enim ab eo præsumitur surrepta, quamdiu de iusto titulo non docet, & si est homo vilis & leuis opinionis, torturæ eo nomine subijci poterit, *text. h. &* 1.

in artic. 38. Anton. Gomez. *var. resol. tom. 3. c. 13. n. 21.* Zanger. *n. 175. & 178.* Iul. Clar. §. *furtum. n. 5. & §. f q. 21. n. f.* Menoch. de præsumpt. *lib. 5. præsumpt. 29.* vbi hoc ad longum examinat, 2. vide notata sup. *art. 20. n. 14.* Rationem † reddit Imp. talem: indicium satis euidens contra se habet, eo ipso, quia non probat se eiusmodi rem inculpatâ fide, absque dolo malo acquisiuisse. Ratio rationis: quia cum res illa probatur esse aliena, necesse est, vt ipsi aliquo titulo, honesto vel inhonesto, & quidem bonâ vel malâ fide accesserit; si ergo non potest ostendere titulum honestum, & inculpatam fidem, præsumitur habere inhonesto & mala fide, ex duobus enim contrarijs vnum necessariò inest. Verùm hoc

3. Limitatvr † Primò: vt procedat in persona vili, & leuis opinionis, secus si sit homo laudatæ vitæ, bonæ conditionis & famæ, per tradita *sup. artic. 38.* talis enim ex eo solo, quod non indicet authorem, quæstioni non est subijciendus. Ratio: quia suspicio bona oritur ex bonis moribus, mala ex malis, *L. desertorem. 3. §. 12. ff. de re milit.* Nihilominus 4. † tamen, quia incidit in aliquam suspicionem, *L. ciuile est. 5. C. de furt.* ideo ad eam euitandam & purgandam necesse habet indicare authorem, vel saltem in genere probare, se bona fide emisse, in taberna publica, aut in foro, vbi communiter eiusmodi res vendi solent, vide Zanger. *n.* 176.

5. Limitatvr † Secvndò: nisi reus authorem suum, à quo rem acceperit, indicet, ac probet, nam tunc indicium hoc ad torturam non sufficit, *post Iul. Clar. d. q. 21. n. f. Nicol. Vigel. c. 4. q. 1. in indic. furt. exc. 1. Gomez. d. n. 21.* Ratio: quia tunc cessat ratio paulò ante allata. Ergo etiam dispositio præsentis articuli, confer *art. 20. n. 14.*

6. Limitatvr † Tertiò: nisi res esset reperta apud aliquem, qui solitus esset emere & vendere tales res mobiles, & illam palam teneret, Gomez. *d. n.* 21. vbi loquitur in officiali publico, Iul. Clar *d. n. f.* Nicol. Vigel. *loc. cit. exc. 3.* Plura de hoc indicio videantur apud Menoch. *dict. præsumpt. 29.* vbi ad longum tractat illam quæstionem: an si res furto subtracta apud aliquem reperiatur, is furtum commisisse præsumatur, tam quoad pœnam, quam quoad restitutionem.

Ad

Ad §. Item so der Diebstall.

ALterum † peculiare furti indicium, & quidem sufficiens ad torturam est, si furtum factum sit instrumentis vel ferramentis ad reserandum paratis, & reus eò loci versari, & effractoria eiusmodi instrumenta, quibus furtum factum esse apparet, v. g. claues adulterinas, aut alia ferramenta suspecta, tractare visus fuerit, sitque talis persona, de cuius leuitate & audacia tale quid credendum videatur, non ambigitur, quin hic quæstioni subijci debeat, *text. h & Zanger. n. 181. Menoch lib. 5. præsumpt. 31. n. 17.* Ratio † est: quia in occultis sumitur pæsumptio ex præparatorijs & paramẽtis: atqui claues adulterinæ, die Dietrich/ & ferramenta sunt præparatoria furti. Ergo si accedat conuersatio in loco, præsertim de nocte, mala vita & fama, ex hisce concurrentibus fit torturæ locus, vide Summam *c. 4. n. 25.* & confer. *artic. 159.* 7. 8.

Ad §. Item so ein mercklicher.

TErtium † peculiare furti indicium est, si res multæ & in magna quantitate, vel magni pretij sint subtractæ, & is de quo suspicio est, post factum faciat maiores & liberaliores sumptus, quam vires patrimonij, & res familiaris ipsius patiatur, neque tamen causas idoneas ostendere possit, vnde facultates illæ sibi accesserint, tunc si sit talis persona, in quam meritò suspicio cadit, ad torturam descendi poterit, *text. h. & Gomez. n. 13. Zanger. 179.* Ratio: quia † in dubio non præsumitur mutatio, *Menoch. lib. 5. præsumpt. 31. n. 3.* & licet aliquis indies præsumatur ditior fieri posse, *L. si defunctus. 10. C. arbit. tut.* tamen quia nemo repente fit diues, ideo si quis paulò ante in paupertate vixit, & mox locupletior factus est, sinistra præsumptio insurgit, maximè si sit illaudatæ vitæ, *id. ibid.* Ratio † alia: quia diuitiæ sunt accidens aliunde adueniens, vel ex prospera fortuna, vel ex industria & arte, nisi ergo docere possit, bonis & honestis rationibus se rem suã auxisse, quæstioni subijciendus, & interrogandus est, an ex latrocinijs, furtis, & aliorum spolijs diuitias parauerit. Idque adhuc † magis procedit, si expensæ, quas facit, sint tantum voluptariæ, si 9. 10. 11. 12.

pecunias dilapidando & dissipando profundat, *Zanger. n. 179.* Ratio: quia ea, quæ magno labore & sudore fuerunt acquisita, tenacius retinentur, nec ita profunduntur, sed malè parta ple-
13. rumque malè perimuntur, & dilabuntur. Maximè autem, si suspectus ille visus fuerit expendere monetam eiusdem formæ, cuius fuit illa, quæ subtracta dicitur, *Mascard. de probat. vol. 3. conclus. 832. n. 5. Menoch. dict. præsumpt. 31. n. 5. Zanger. n. 180. Gilhaus. c. 6. p. 7. sect. 2. n. 96. & 76.*

14. Hæc sunt † indicia furti ab Imp. hoc loco, exempli tantum gratia enarrata, & quidem peculiaria. Verùm quia exempla non restringunt, sed declarant, ideo plura alia, præsertim communia, desumi possunt ex præcedentibus articulis, & recensentur à Dd.
15. adhuc quasi innumera, v. g. si † quis visus fuerit domũ illam exire, in qua dicitur furtum factum, cum fasciculo aliquo sub veste, vel pallio, ita vt ignoraretur, quid esset, præsertim de nocte: quia lex malè præsumit contra eum, qui tempore noctis ambulat, *Menoch.*
16. *de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 31. n. 11.* si famulus † fugerit è domo domini, in qua res subtracta fuit: si scalæ alicuius positæ inueniantur ad fenestram ædium, in quibus furtum factum esse constat. Sic insurgit etiam indicium & præsumptio furti contra eũ, qui consueuit furari; contra eum, qui malâ famâ laborat; contra custodem ob malam custodiam, contra vicinos, contra domesticos, contra eum, ad quem solum rei furatæ emolumentum spectat; contra eum, qui turpe nomen, vel malam Physiognomiam habet, contra eum, cuius res aliqua in loco furti fuit relicta; cuius pes conuenit cum vestigio pedis eo in loco impressi, in quo furtũ commissum est: si repertum est aliquod instrumentum aptum ad derobandum, & constat esse ipsius accusati: de quibus ad longum videre licet Menoch. *lib. 5. præsumpt. 31. per tot.* Mascard. *de probat. conclus. 830. cum duab. seqq.* Zanger. *c. 2. n. 182. cum seqq.* vbi notant, an & quando ad torturam sufficiant.

Indi-

Indicia magiæ & incantationis.

ARTICVLVS XLIV.

SVMMARIA.

1. *Magiæ & incantationis indicium est, si quis seriò se offerat ad docendum alios hanc artem. 6. vel glorietur se didicisse. 5. ratio & declaratio VVeizeneggeri.*
2. *Si quis minatus sit alteri, quod velit ipsum incantare vel fascinare, & euentus fuerit subsecutus. 8. ratio. idem in iactatione, quod poßit.*
3. *Si suspectus cum magis & veneficis certis & conuictis frequenter fuerit conuersatus, & singularem amicitiam coluerit. 9 ratio & declaratio.*
4. *Si quis res de veneficio suspectas secum habeat. 10. ratio. 17 exempla. 18. & quid stigma impressum operetur.*
19. *Si quis vtatur verbis suspectis, quæ magiam sapiant. 20 exempla.*
21. *Siquis vtatur gestibus suspectis magiam inferentibus.*
22. *Si opera suspecta faciat. exempla. n. 23. vsque ad 31.*
32. *Toruus & obliquus visus, terribilis & deformis vultus, demißio oculorum in terram, lachrymarum impedita emißio an indicium faciant, & n. 33.*
34. *Ortus à parentibus maleficis an suspectum de magia faciat. & n. 35. an species malefici maleficiato obuersans: vel vestes & ornamenta in loco conuentus diabolici reperta.*
36. *Confeßio extrajudicialis expressa quid operetur? 37. quid implicita.*
38. *Silentium eius, qui de maleficio insimulatur, an indicium faciat?*
39. *Fuga, an, & quando faciat indicium magiæ?*
40. *Denunciatio complicũ, quando faciat indiciũ? & n. 41. 45.*
42. *Cur ad torturam non sufficiat. 43.*
4. *Fama cur debeat cum plerisq; indicijs enumeratis concurrere 11.*
13. *Fama sola cur sine alijs adminiculis nihil operetur?*
45. *Indicia alia post carcerationem emanantia.*
46. *Iudicis officium in his indicijs dignoscendis.*
47. *Indicia magiæ ad inquisitionem sufficientia.*
48. *Ex indicijs etiam indubitatis nemo condemnandus.*

1. SI quis † sese offerat ad docendum alios magiam & incanta-
2. tiones: vel † si quis perniciem minatus fuerit alteri, quod velit ipsum incantare vel fascinare, vel maleficium inferre, &
3. euentus fuerit secutus: præsertim autem, † si suspectus cum magis & veneficis certis & conuictis frequenter conuersetur, singu-
4. laremque amicitiam & familiaritatem coluerit: vel † si quis vtatur rebus, gestibus, verbis & operibus suspectis magiam inferentibus; atque is ipse de hoc crimine sit diffamatus, hoc præbet legitimum indicium magiæ, & causam sufficientem torturæ, *text. h. vbi Dd.* Berlich. *tom. 4. conclus. 4. n. 144. & seqq.* Zanger. *n. 193.* Binsfeldius *in tract. de confession. malefic. & sagarum circ. f. rub. de indicijs criminis maleficij.*

5. Ratio † primi est ista: quia si quis alios artem magiæ docere voluerit, & ad id operam suam eis obtulerit, hoc ipso fatetur se scientiam huius artis habere, *Gilhaus. h.* quod enim quis nescit, id alios docere nequit. Hoc tamen ita declarat Dn. Weizenegger *diss. 6. c. 7. n. 106.* dum tamen cum alijs sagis versari consueuerit, vel aliter de veneficio fuerit suspectus. Similiter inter artes magicas distinguendum putat. Plebi enim superstitiosæ quædam artes familiares sunt, atque sine vllo pacto expresso (cum dæmone) adeo frequentari (& doceri) solent, vt maximam totius alicuius Prouinciæ partem suspectam habere necesse sit, si generali-
6. ter hoc indicium accipiamus. Idem † putat Zierizius esse, si quis glorietur se didicisse. Ratio: quia culpa similis est tam prohibita
7. discere, quam docere, *L. pen. C. de malef.* Ratio vtriusq; † quia confessio extrajudicialis, concurrentibus cæteris adminiculis, facit indicium ad torturam, prout declaratum fuit supra *artic. 32.* atqui talis oblatio & gloriatio vim confessionis habet, *Zanger, n. 204. Ergo, &c. Berlich. n. 144.*

8. Ratio † secundi: quia eodem articulo *32. n. 8. & 9.* dictum fuit, minas cum euentu conjunctas esse indicium commune plurium delictorum. Ergo etiam magiæ & veneficij, præsertim in mulieribus: fœminæ namque naturâ vindictæ sunt cupidæ, & facile minantur, *Gilhaus. h.* impotens enim natura mulierum incredibili vindictæ cupiditate fertur, nec linguam à minis cohibere potest, si quam nocendi facultatem habuerit, *Bernhard. Zieriz. &*

Matth.

Matth. Stephani hic. vid. Binsfeld. loc. cit. indic. 4. Berlich. n. 145. Iul. Clar. §. f. q. 21. n. 37. Menoch. lib. 1. de præsumpt. q 89. n. 60. cum seqq. Licet enim minæ non probent factum, probant tamen inimicitias capitales, *Besold. in thesaur. v.* Hexen *n. 2.* Quomodo autem minæ comparatæ esse debeant, vt faciunt indicium ad torturam, vide *sup. art. 25. n.* 41. *& seqq. artic. 32. n. 8. & seqq.* Quid si autem aliquis non minetur, se velle, sed jactet, se posse nocere, & damnum fuerit subsecutum? vide Farinac. *d q. 50. n. 5.* vbi dicit idem esse, si eædem circumstantiæ requisitæ concurrant.

Ratio † tertij desumi potest ex *artic. 25.* §. Zum vierdten/ vbi dictum fuit, generale indicium esse, si quis consuetudinem habuerit cum hominibus facinorosis, similis enim simili plerumque adhæreſcit, *Zanger. n. 204. Berlich. n.* 146. item noscitur ex comite, qui non cognoscitur ex se, *Matth. Stephani h.* qualis enim quisque est, tali socio delectatur, *Binsfeld. indic. 5. Berlich. n.* 146. Verum hoc indicium Dn. Weizenegger. *dict. dissert. 6 c. 7. n.* 110. nimis generale putat, ad diffamationem potius, quam ad indicium per se ordinatum. Non igitur solet ad quæstionem viam aperire, nisi persona, quæ cum maleficis frequenter versata est, etiam aliunde de maleficio suspecta sit, cum varijs de causis in aliquo municipio, vel pago, inter vicinos stricta amicitia conciliari possit; atque etiam secretarum collocutionum (quas inprimis aliqui putant attendendas) variæ possint reddi rationes. 9.

Ratio † quarti: quia posito antecedenti sequitur consequens: 10. quas aliquis res tractat, eius artificij & professionis esse censetur, præterea hoc crimen est occultum valde, in occultis autem sumitur præsumptio ex præparatorijs.

Ratio † quinti, & quare præter indicia modò allata etiam 11. diffamatio requiratur ad hoc, vt torturæ locus sit, desumi potest ex superioribus, quia indicia modò recensita sunt vtcunque remota, & nulla consequentia necessaria vel probabilis ex ijs inferri potest, neque delictum immediatè inferunt, Ergo non sufficiunt ad quæstionem siue torturam, nisi accedat fama, hunc vel illum esse maleficum, vel sagam, *Zanger. n. 201. Berlich loc. cit. n. 162. Matth Stephani hic.* vnde † etiam ad pleraque illa, quæ paulò post 12. sequentur, & euidentiam facti inferre videntur, Doctores adhuc

requi-

requirunt, vt rumor de arte illius in vulgus emanauerit, *Zanger. n. 200.* & vt aliqualis saltem mala fama & suspicio veneficij precesserit, *Zanger. n. 204. Berlich. n. 162.* de quo tamen vide notata infra *n.* 15.
13. Interim † tamen sola fama per se non sufficit sine alijs adminiculis. Ratio: quia fama est indicium valde remotum à delicto, & fallax facile, & sic ex nuda fama durum esset hominem tormentis subijcere, Binsfeld. *loc. cit. indic. 6.* praeterea experientia notum est, quod in ijs locis, vbi sagae apprehenduntur, honestissimi quique in tota ciuitate, imò subinde in tota aliqua regione diffamentur, & credibile est, ipsos maleficos & sagas hunc de alijs rumorem spargere, vt ipsi tantò minus notentur, vel processus ob multitudinem diffamatorum tollatur. Proinde
14. † bene scribit Dn. Weizenegger *diss. 6. c. 7. n. 113.* quod in ijs locis, quibus maledicendi, detrahendi, & comminiscendi libido dominatur, veluti vana & fallax parum debeat attendi. Rectè etiam dicunt Doctores nostri, non tantum famam, sed etiam originem eius attendendam, & videndum esse, an non forte sit vana vox vulgi tantum, quae nullos habet certos authores, aut causas, seu rationes probabiles: an habuerit originē ab honestis personis, & fide dignis, an verò à maleuolis, inimicis, leuibus aut vilibus, aut ijs, de quorum commodo vel incommodo tractatur, *Zanger. n. 202. cū seqq. Binsfeld. indic. 6.* vel quod debeat esse constans, idonea, solida, à bonis & grauibus personis orta, testibus causam & auctores exprimentibus probata, non procurata, non affectata, non leuis, vaga, varia, Weizenegger. *differt. 6. c. 7. n. 113.* vbi dicit, quod ita comparata inter indicia veneficij remota haberi, atque vim suam exercere possit. Confer notata supra *artic. 25. n. 7. & 8.* vbi plura de fama.

15. Quamuis † autem cum praedictis 4. indicijs concurrere debeat fama, possunt tamen dari alia, quae absque omni diffamatione torturae locum faciunt. Ratio: quia experientia quotidie docet, multos homines, qui pro honestissimis reputantur, & quorum conuersatio in exterioribus omni reprehensione caret, hoc nefandissimo scelere fuisse inquinatos, *Binsfeld. loc. cit.* vide Dn. Weizenegger. *loc. cit.* vbi tradit, vt maleficus carceribus mancipari possit, aut torqueri, diffamationem non esse necessariam,

riam, cum etiam ex alijs indicijs in oculos hominum incurrentibus, & crimini propinquioribus, carcer, & tortura decerni possit. Qandoquidem † autem Imp in textu dicit, indicium maleficij esse, wann einer mit solchen verdächtigen Dingen/Gebärden/ Worten vnd Wesen vmbgehet/die Zauberey auff sich tragen/hoc est, si quis res, verba & opera, quæ incantationem sapiunt, vsurpauerit, *Binsfeld. indic.* 2. 16.

QVÆSTIO est: quænam sint res illæ suspectæ? quæ verba, gestus, & quæ opera?

Res † suspectas esse putant Doctores: si in alicuius diffamati vel suspecti ædibus, vel conclaui, vel cista reperiantur venena mala, vel alia sortilegia, vt olla impleta vnguentis, vel alijs rebus magicis, bufonibus, hostijs, membris humanis, imaginibus cereis, præsertim, quæ acubus sunt transfixæ, herbæ malignæ, libri magici, *L. f. C. de malef. & Math.* Binsfeld. *indic.* 8. *Zierizius & Matth. Stephani hic. Berlich. n.* 147. *Zanger. n.* 200. *Besold. in thesaur. v.* Hexen. *n.* 4. *VVeizenegger. dissert.* 6. *c.* 7. *n.* 108. idem est, si reperiatur penes sagam suspectam infans interfectus, aut instrumentum obligationis, & pacti mutui inter eam & diabolum initi, ab eadem scriptum, subscriptum, vel subsignatum. *Zanger. n.* 200. *Berlich. p.* 4. *conclus.* 4. *n.* 50. *& n* 55. vbi dicunt, hæc euidentiam facti post se trahere. Item si nota † inusta inueniatur corpori alicuius, vel is signatus deprehendatur, præsertim vestigio leporis, & locus ille sensus sit expers, nec sanguis ex eo fluat, vel penetrari non possit, & si acu perforetur, non sentiatur dolor, id concurrentibus alijs indicijs adminiculum præstare potest, Berlich. *n.* 153. *cum seqq.* vide tamen de hoc Binsfeldium, *indic.* 14. & Dn. Weizenegger, *dissert.* 6. *cap.* 7. *n.* 117. vbi Rationem reddit, cur eiusmodi stigmata vel cicatrices solæ non sufficiant. 17. 18.

Verbis † quis magiæ & veneficij suspectus redditur: si scelerata juramenta, execrabiles blasphemias, & verba impudicissima frequentat, aut dæmonis nomen semper effutit ore, aut pueros proprios, siue alienos, aut etiam bestias in nomine diaboli execrari solitus est, v. g. rapiat te diabolus; exeas in nomine ipsius: vellem te haberet dæmon, & si quæ sunt similia, Binsfeld. *indic.* 11. & post eum Zanger, *n.* 204. Sed Weizenegger. *n.* 115. hæc leuia, 19.

Z & nimis

& nimis remota censet esse indicia, ne quidem ad inquisitionem
20. sufficientia. Similiter † si saga dæmonem inuocet, aut cum dæmone loquatur, & ille, quamuis non cernatur, respondeat, Zanger. *n. 200. Besold. n. 5. Berlich. conclus. 4. n. 56.* quibus accedunt conjurationes, & inuocationes sathanæ, quibus ad maleficia eximenda vtuntur magi, Berlich. *n.* 151. & hæc posteriora dicuntur euidentiâ facti niti, *Zanger. loc. cit.*

21. Gestibus † quis suspectus redditur, si sit singularis in actibus religionis, & in ceremonijs, si templum citius ingrediatur, tardius egrediatur, ad nomen IESV auditum suspiret, singularem sanctimoniam simulet, & alias hyprocriticas superstitiones exerceat. Cum enim malefici sint superstitiosi, gaudent singularitate, & in actibus exterioribus non rarò incedunt in vestimentis ouium, more magistri sui, qui se etiam transfigurat in angelum lucis, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, *vide Zanger. n.* 204. *Bernhard. Zieriz. h. & Binsfeld. indic.* 17. Sed hoc indicium solum, videlicet nimiæ pietatis & religionis ostentatio, nimis est remotum & leue, ne quidem ad inquisitionem sufficiens, Weizenegger. *n.* 115.

22. Opera † suspecta sunt, si de maleficio suspectus inueniatur in domo aut stabulo alterius, aut loco & tempore non consueto, vbi & quando non debet, & sequatur effectus aliquis, vt mors, mu-
23. tilatio, aut morbus, *Binsfeld. indic. 8. VVeizenegger n.* 111. Si † venefica visa sit puluerem, vel sortem super gregem porcorum inijcere, & statim pecora perierint, *Berlichius n. 147. Matth. Stephani h.* vel potionem infundere animali, aut illud inungere, quod postea mortuum reperitur, Z*anger. n. 200. Binsfeld indic. 8. Besold.*
24. *n. 8. VVeizenegger. n. 109.* si limen † effodiens stabuli venena submiserit, & ijs submissis pecudes mortuæ comperiantur, aut etiam mors hominem postea opprimat, *Zanger. n* 200. *Berlichius n. 50.*

25. Si † fœmina, quæ vulgò pro saga habetur, minitari, vel tangere inimicum aduerteretur, & ille repente post minas, vel tactum mortuus concideret, aut afficeretur elephantiasi, membrorum distortione, apoplexia, subitóue alio morbo, *Zanger. loc. cit. Besold. in thesaur. v.* Hexen. *n. 4 Berlichius. conclus. 4. n. 52.* Si
26. liberi † vel infantes ad manus matris reperiantur occisi, & mater antea de veneficio suspecta erat, *Berlich. n.* 149. si sagæ, vel veneficij

neficij suspectæ infantem occidentes deprehendantur, *id.c.4.n.51*. si infans halitu vetulæ afflatus lenta tabe consumptus, vel in continenti mortuus: si ex blanda demulsione & attactu aliquis statim morbum incognitum contraxit, Weizenegger. *n. 182.*

Si quæ † afflicto sanationē, seu curationē polliceatur, aut magicis superstitionibus afflicto valetudinem restituat, *Berlich.n.160. Zanger. n. 204. Besold. loc. cit. n. 9.* Si judex vel alij testes sortem fascinumque, per sagam diabolo clara voce supplicantem, viderint eximi, Berlich. *conclus. 4. n. 54.* si † quis paulò ante exortam tempestatem vel grandinem in aqua stans, aquam à tergo in aërem projecerit, *Zanger. n. 200. Binsfeld. indic. 8.* vel tempore æstatis, dum tempestas instare animaduertitur, lapidem percutiat: flores de varijs arboribus colligat, & ollę imponat, vel chochleari moueat, *id. ibid. Besold. n. 8. VVeizenegger. n. 109.* 27. 28.

Si vesperi † incubuerit lecto suo, sed noctu foribus occlusis subitò cubili, domoque abesse videatur, ac postea in idem cubile, ostio adhuc clauso reuertatur, Zanger. *num. 200.* Besold. *n. 6.* Weizenegg. *num. 111.* Berlichius *cap. 4. num. 57.* multò magis, si in aërem ascendere, Zanger. *ibid.* Berlichius *num. 59.* vel si quæ in cella clausa noctu deprehendatur, *VVeizenegg. num. 182.* 29.

Si in † cista fœminæ cuiusdam de maleficio suspectæ reperiatur instrumentum obligationis inter lamiam & diabolum contractæ, *Besold. num. 7.* hæc enim & similia opera dicuntur euidentiam facti post se habere, *Zanger. num. 199. & seqq. vide Berlich. n. 147. v. aliter.* Nihilominus Dn. Weizenegg. *n. 182.* putat ex his vehementissimis præsumptionibus, & indubitatis indicijs reum non posse in pœnam maleficij condemnari, sed tantum quæstioni subijci. Si cum instrumento magico visus aliquis sit de loco exire fugiens pallensq;, & in eodem loco reperiatur maleficium commissum. Si quis feram vulnerauit, & mox in eodem membro vulneratus reperiatur homo, *VVeizenegger. n. 111. & 182.* Si saga præstigias oculis fecerit, pecora, fruges, homines incantando; si oculos fascinat, incantatque carmine, cani sermonem indit, exactis membris sanguinem eijcit, eademque denuò adunat, Berlich. *p. 4. conclus. 4. n. 48. & 59.* Zanger. *loc. cit.* vbi dicit, hæc esse talia indicia, quæ ex euidentia facti arguunt, quem esse male- 30.

ficum, & euidentes probationes esse magiæ. Ita vt ex mente quorundam judex ad condemnandum procedere possit, maximè quando rumor de arte illius in vulgus emanauit, Berlich. *n. 46. cum seqq.* etiamsi hæc omnia magi negent, & constanter inficientur, *id. ibid. n. 61.* Sed Zangerus *n. 199.* euidentiam facti in crimine sortilegij non putat esse earum virium, vt reum judex ad pœnam ordinariam condemnare possit. Imò etiam in cæteris criminibus Imperator tantum pro indicio reputat, *artic. 25.* §. zum dritten, vide quæ scripsimus *sup. art. 16. n. 22. & seqq. item in pr.*

Sed relinquendo euidentiam facti, & indicijs inhærendo, ge-
31. neratim,† quoties opus magiæ & veneficij, vel quod sapiat incantationē, deprehenditur, *Binsfeld. indic. 8.* vel quoties duobus testibus probatur, reum exercuisse aliquem actum superstitiosum, qui ex communi maleficorum praxi ad aliquod maleficium dirigitur, indicium magiæ inde sumitur. (Ratio: quia superstitio procedit, vt plurimum ex pacto implicito, vel expresso cum dæmone.) Nam indicia, quæ in Carolina habentur, tantum exempli causâ sunt scripta, & præterea multa sunt alia, quæ ad torturam sufficiunt, *Berlich. n. 148. & Matth. Stephani inf. h.*

32. Dicunt aliqui,† indicium etiam ex eo sumi, & sagas inde cognosci, si toruum & obliquum visum habeant, deformes & terribiles vultus (idq; ideo, quod turpis totius faciei figura, ex malorum spirituum perpetuo aspectu, & familiari colloquio contrahatur, *VVeizenegg. n. 115.*) si oculos in terram defigant, & neminem cordatè rectè intueantur: si siccoculi sint, hoc est, lachrymas emittere non possint: *Berlich. conclus. 4. n. 60.* si nati sint ex parentibus maleficis, aut altero eorum, vide *Bernhard. Zieriz. h.*

33. Verùm † hæc indicia meritò improbat Binsfeld. *indic. 12. 13. & 16.* Weizenegger. *d. n. 115.* quia physiognomia sola parum operatur, & potest deformitas ex multis alijs causis originem sumere: solent etiam homines verecundi non ita audacter quosuis intueri, sed ex humilitate oculos in terram, ex qua desumpti sunt, defigere. Quod lachrymas effundere non possint, pro inani & friuolo signo Delrius reputat *lib. 5. sect. 4. fol. 77.* & mera fabula putatur, cum sæpe ex pusillanimitate, tristitia, aut dolore corporali lachrimas copiosas fundant. Aliquid tamen tribuit

Dominus

Dominus Weizenegger *n.* 116. si tormentis excruciati lachrymas non emittant. Putat † quidem Dn. Besoldus *loc. cit. n.* 34.
3. indicium magiæ esse, si diffamata nata sit ex parentibus veneficis & sagis, juxta illud: der Apffel falt nit weit vom Baum / & istud Catulli: *Nam magus ex matre & gnato gignatur oportet.* Ego tamen huic non multum tribuo. Quamuis † enim parentes 35.
suos filios plerumque in arte diabolica instituant, & peruertant, imò prolem nec dum natam, vel statim atque lucem hausit, dæmoni in obsequium offerant, *vide Matth. Stephani h.* tamen hoc non est perpetuum, sed sicuti ex bonis parentibus nonnunquam oriuntur filij mali: ita ex malis quandoq; etiam boni nascuntur, sicut è spinis rosæ producuntur, quemadmodū Binsfeldius exemplis declarat, & ibidem addit, quando filia alijs indicijs grauatur, augeri saltem præsumptionem, si parens alter fuerit magus, aut maleficus, cum quo concordat Berlichius, *concluſ. 4. n. 22.*

Ex quo etiam colligitur, nullum sufficiens indiciū facere viciniam, vel patriā hoc crimine infamem, *VVeizeneg. n. 115.* qui nullius etiam momenti judicat illud indicium, si personæ maleficiatæ, sanæ tamen mentis, atque nullo phantasiæ vel imaginationis vitio laboranti, sæpius ac clarè species malefici minantis, & improbè vexantis obuersetur. per Rationem: quod falsæ speciei præsentatio facile fieri possit. Nec illud sine alijs adminiculis sufficere putat, si vestes & ornamenta alicuius in loco conuentibus diabolicis destinato inueniātur, per Rationem: quia facile huiusmodi res, vel à familia sagaria ad conuentum asportari, vel ab extranea persona, quę in familia non est, in vsum certi conuentus surripi possit. Et hęc sunt fere indicia peculiaria magiæ. Præter ista sunt quoque alia pluribus delictis communia, quę in hoc delicto non minorem, quam in alijs, vim habent. Nam pro regula traditur: omnia, quæ in alijs criminibus ad torturam sufficiunt, multò magis recipi debere in hoc, quod difficillimæ probationis est, & grauissimum periculosissimumque, *VVeizenegger. n.* 105.

Primò quidem † confessio extraiudicialis duobus testibus 36.
probata, tam expressa, (vt si fateantur in familiari colloquio, vel ex jactatione, vel ex alia causa, se scire artem euolandi, sie können das kleine Fuhrwerck / se fuisse in monte veneris, &c.) *Vide*

 Berli-

37. *Berlichium conclus.4. n.61.* quàm † implicita, vt si saga dum comprehenditur, dicat, actum est de me, aut, ne me morte afficiatis, id quod res est enunciabo, aut rei veritatem libenter fatebor: vel si extra judicium veniam delicti commissi postulauerit, idemq; postea in judicio negauerit: vel quando abducitur ab habitatione, valedicit domesticis & propinquis, petendo veniam, & de similibus simile est judicium, Binsfeld. *indic. 9.* Berlich. *n. 150. &*
38. *152.* Idem † etiam esse, & pro tacita confessione silentium haberi posse putat Binsfeld. *indic. 10.* quando scit, & intelligit se haberi pro malefico, aut mago, & tamen non contradicit. Per Rationem: quia quisquis innocens est, ægerrimè fert infamiam sibi imponi de tanto scelere. Verum hoc mihi non videtur sufficiens, præsertim in hominibus integerrimis: quia *Conscia mens recti famæ mendacia ridet.* Vide etiam D. Weizenegger *n. 115.* vbi pro leui & adeo remoto reputat, vt ne quidem ad inquisitionem sufficiat.

39. Secundò † non paruum indicium facit fuga, quando videlicet locum mutant, dum socios comprehensos esse audiunt, & metuunt, se denunciandos, vel suspicionem habent, quod contra se formanda sit inquisitio. Plerumque enim, quando sibi timent, currunt huc atque illuc, & mirabiliter in animo discruciantur. *Berlich. conc. 4. n. 26.* Ratio: quia pœnam semper ante oculos versari putant, qui peccauerunt, & frequenter præoccupant redarguente pessima conscientiâ, Binsfeld. *indic. 18.* Zanger. *n. 204.* Hoc tamen loco distinctio eadem adhibenda est, quam supra tradidimus, *art. 25. n. 52. & seqq.*

40. Tertiò † facit etiam indicium indicatio, inculpatio, & denunciatio socij, quando videlicet veneficæ plures jam captæ, & incarceratæ alias nominant, & denunciant in tortura, & vsque ad mortem in sua confessione perseuerant. Ratio cur torturam requirant, est ista: quia cum sint infames & viles factæ ex confessione proprij criminis, ideo purgandus est talis defectus per tor-
41. turam, vide Harp. *loc. mox. citand. n. 376.* Quando autem † hæc confessio sufficiat vel ad capturam, vel ad torturam, vel ad condemnationem, colligi potest partim ex traditis supra *artic. 31. n. 8. & seqq.* partim ex ijs, quæ Zangerus *n. 194. c. 2.* Berlichius *loc. cit.*

cit. n. 103. cum multis seqq. (vide eundem *conclus. 4. n. 18. & seqq.*) Harprecht. §. *5. n. 374. inst. de publ. judic* Fichard. *consil 108. vol. 2.* Binsfeldius *secund. memb. quæst. princip. f. 220. cum plurimis seqq.* per 7. integras conclusiones fusissimè tradit, item Farinac. *q. 42. per tot. q. 43. n. 58. 67. & seqq.* Videatur etiam Dn. Weizenegger *dissertat. 6. c. 4. & 5. & 6. per tot.* & quando vsus fert, diligenter & probè ad omnes circumstantias attendatur, quia rarò denunciationes ita sunt comparatæ, vt non patiantur aliquem defectum, *id. c. 7. n. 104.* & scio multos processus, super istis denunciationibus fundatos, fuisse vel cassatos, vel in controuersiam vocatos.

Communiter † etiam Doctores concludunt, quod istæ denunciationes, nisi alijs indicijs concurrentibus ad torturã non sufficiant, Cothman. *resp. 12. n. 267. & seqq.* Fichard. *consil. 108. tom. 2.* vbi Rationem ab experientia & collusione, siue conspiratione sagarum desumit. Nos Pauli IC. Rationem amplectemur, quod nullius de se confessus in aliorũ caput torqueri, vel ei credi debeat, ne alienam salutem in dubium deducat, qui de suo desperat, *Besold. in thesaur. lit. H. v.* Hexen/ §. jedoch. *vbi* § *seq.* addit, indicium † hoc non esse ad torturam idoneum, euinci quoque ex eo, quod nulla eius fiat mentio hoc *artic. 44.* quod Fichard. *dict. cons. 108. v.* daß auch das bloß / etiam notauit. Addit Dominus Besold. §. *seq.* rationem adhuc aliam: licet socijs criminis in tali delicto credatur; attamen illud non esse trahendum ad ea, quæ certò & verè non videntur, sed per illusionem dæmonum fieri possunt: sæpe autem spectra tantum fœminarum in ludis & choreis huiusmodi spectari. Quænam porro sint necessaria, vt denunciatio faciat indicium ad torturam, vide *sup. artic.* 31. vbi singula separatim examinauimus. 42. 43. 44.

Referuntur † & alia indicia, quibus tamen magis post carcerationem locus esse potest, veluti mendacium, variatio, titubatio, pallor, sudor, à timoris angustia promanans, Weizenegger *loc. cit. num.* 116. quæ tamen ipsa per se sola ad torturam non sufficiunt. Itaq; judex † hisce in casibus propter fallaciam indiciorum valde prudens & cautus esse debet, secundũ Paridem de Puteo *in tract. de Synd. v. tortura n. 3. v. & ansi.* vbi historiam notatu dignam eam in rem affert, *Besold. in suo thesaur. v.* Hexen/ *n. 2.* 45. 46.

47. *n. 1.* Quamuis † autem ex prædictis indicijs multa non sint idonea ad torturam: tamen quædam ex illis judicantur sufficientia ad inquisitionem. Qualia ex mente Berlichij *conclus. 4. n. 16. & seqq.* sunt diffamatio cum debitis requisitis: denunciatio complicum; ortus ex parentibus magis cum aliquo alio leui indicio, aliàs ad inquisitionẽ non idoneo: inconstantia, titubatio, & trepidatio: inimicitia quam maleficiatus contra veneficam suspectam gessit: migratio de loco, vbi contra magos & sagas inquiritur: testes qui propter ætatem aliàs interrogari non possunt: assertio fascinati in articulo mortis constituti: fuga: denunciatio
48. officialis præpositi ad deferendum crimina. Singulariter † autem notandum, neminem ex indicijs (etiam indubitatis, vide Weizenegger *diss: 6. cap. 3. n. 35. in fine*) ad mortem condemnari posse, nisi sagæ accesserit confessio, *per L. qui sententiam 16. C. de pœnis*, & *artic. 22. Carol. pœn.* Besold. *n. 9.* §. *notandum*, confer *art. 22.* & Summam *c. 8. n. 1. & seqq.* vbi disputauimus, an non saltem extraordinaria pœna imponi possit.

De ipsa Tortura.

ARTICVLVS XLV.

SVMMARIA.

1. *Torturam quæ præcedere debeant? cum seqq.*
3. *Tortura adhiberi non potest, nisi in subsidium deficientibus alijs probationibus.*
7. *Decretum torturæ torturam præcedere debet? 8. vt reus appellare possit.*
8. *Decretum torturæ an sit sententia definitiua, 9. an verò interlocutoria appellabilis.*
10. *Decretum torturæ an omitti possit? 11. ratio dubitandi. Prima 12. Secunda. 13. Tertia.*
14. *Quarta.*
15. *Responsio negatiua. 16. ratio & confirmatio ex jure Bauarico.*
17. *Formula decreti torturæ remissiuè.*
18. *Responsio ad primam. 19. secundam, 20. tertiam. 21. quartam dubitandi rationem.*
21. *Appellare non licet in criminalibus à sententia definitiua (& quare?) 22. sed bene ab interlocutoria, & à decreto torturæ.*

23. *Appel-*

23. *Appellatio lege vel statuto prohibita intelligitur tantum à definitiua.*
24. *Appellatione interposita an à tortura abstinendum?*
25. *Decreto torturæ dies inferendæ torturæ inserenda.*
26. *Torturæ an accusator præsens esse debeat? 34. 35.*
27 *Responsio affirmatiua.*
28. *Accusator an prius requirendus, antequã judex ad torturã procedat? & quare. n. 29. 33. 34.*
30. *Aduocati an torturæ adesse possint? 32. vel saltem decreto torturæ?*
34. *Accusatori petenti dies torturæ designandus.*
36. *Assignatio diei quando omitti possit?*

HActenus † Imperator aliquot necessaria requisita declarauit, quæ præcedere debent, antequam ad torturam perueniatur, videlicet primò: vt constet de corpore delicti, *sup. artic. 6.* Secundò: † vt sit tale delictum, quod post se trahat pœnam corporis afflictiuã *ibid.* Tertiò: † vt aliæ probationes manifestę deficiant *sup. art. 8.* siue, vt veritas aliter haberi non possit, neq; per euidentiam facti, neq; per testes, neq; per spontaneã confessionem, *Berlichius p. 4. conclus. 4. n. 104. VVeizenegger. diss. 6. c. 9. n. 137.* vbi Rationem reddit: quia tortura in subsidium adhibetur, ad exprimendam veritatem, certitudinemque patrati sceleris comparandam, Ergo frustranea est, vbi vel legitimis ac luce meridiana clarioribus probationibus, vel propria judiciali, eaque legitima confessione reus conuincitur. Vide tamen, quæ de euidentia facti dicta fuerunt supra *artic. 16. per tot.* Quartò: vt † reus argumentis quibusdam sit suspectus, & indicia extent ad torturam sufficientia, *sup. artic. 6. & 20.* Quintò: vt † indicia illa non tantum allegentur, sed etiam probentur, *artic. 6. & 23.* regulariter quidem per duos testes, *artic. 30.* Sextò: vt † reus illa indicia non possit elidere, vel aliqua exceptione defendere, *sup. art. 13. 16. 28. 24. 33. 37. & 41. inf. art. 47.* vbi dicemus, in eum finem copiam judiciorum reo dandam esse. His omnibus concurrentibus & præcedentibus.

1. 2. 3. 4. 5. 6.

QVÆSTIO † est: quid vlterius sit agendum? ad hoc Respondet Imp. adhuc non aliter ad torturam deueniri posse, quam si pronuncietur per judicem, indicia esse legitima & probata, minimeque purgata, ac proinde ad torturam deueniendum esse: vno 7.

verbo: debet adhuc præcedere decretum, siue sententia interlocutoria de reo torquendo, *text. h.* ibi: für bewisen angenommen/ oder bewisen erkant wurde/ textus alius in *L. 2. ff. de appellat. recip.* ibi: si quæstionem habendam judex interlocutus sit, Iul: Clar. §. *f quæst. 64. in pr. idem ibid. n. 26. Hippolyt. de Marsil. prax. crim.* §. *nunc videndum n. 2. Zanger de quæst. seu tort. reor. c. 4. n. 1.* Farinac. *lib.* 1. *tit.* 5. *q.* 38. *n.* 7. *& seqq.* Gomez. *var. resol. tom.* 3. *c.* 13. *n.* 23. Ratio desumi potest ex *d. L. 2.* vt si judex contra leges torturam inferre velit, reus appellare possit, *Gomez. l. c.*

8. Ratio † rationis: quia licet decretum siue sententia de torquendo, non sit definitiua (nam per eam quæstio principalis, an reus condemnandus sit, vel absoluendus, nondum definitur & determinatur, sed incidens tantum punctus inter principium ac finem causæ) verum interlocutoria duntaxat, & licet ab interlocutoria

9. de jure ciuili appellare non liceat, *d. L. ante sententiam. 2.* quia † tamen hoc fallit in illa interlocutoria, cuius grauamen per appellationem à definitiua resarciri nequit, *VVesenb n. 8. ff de appellat. Venat. in analys. jur. Pontif. rub. de appellat. in mat. Ioan. Emeric. a Rosbach prax. criminal. t 5 c.* 18. & hæc interlocutio judicis, per quam carceres, compedes, vel quæstiones sunt indictæ, grauamen irreparabile continet, *Venat. loc. cit.* ideo non dubitatur, quin ab ea appellari & prouocari possit, *Zanger. loc. cit. n. 3. Hippolyt. loc. cit. n. 2 Farinac. loc. cit. n.* 10. *cum mult. seqq.* Sed cum hæc interlocutio hodie passim omittatur.

10. 11. QVÆSTIO † est, vtrum bene fiat, nec ne? Videri † posset, quod sic, idque primò ideo: quia verba narratiua nihil disponunt, §. *f. inst. de adopt. auth. si quis. C. de edend.* & dispositionem juris non inducunt, *text. in c. si Papa.* 10 *in pr. de priuil. in 6.* atqui CAROLVS Imp. in præsenti articulo interlocutoriã eam obiter tantũ, & verbis narratiuis solummodo attingit, dicendo: So der Argwohn vnd Verdacht einer beklagten / oder vernaindten Mißhandlung/ als verstehet/ erfundẽ/ vñ für bewisen angenommen/ oder bewisen erkandt wurde/ so soll dem Anklåger auff sein Begehren alßdann ein Tag zu peynlicher Frag benandt werden / hoc est, si suspicio & indicium alicuius delicti delati sed negati, eo, quo supra dictum est, modo comperiatur, & pro probato acceptetur,

tetur, vel declaretur, tunc accuſatori petenti dies, ad quæſtionem inſtituendam, erit denominanda, vbi Imp. poſteriora jubet, priora tantum ſupponit.

Ex quibus † verbis prodit Ratio dubitandi ſecunda: in alternatiuis ſufficit alterutrum adimpleri, *c. in alternatiuis de R. I. in 6.* atqui Imp. alternatiuè requirit, vt indicia acceptentur, vel declarentur pro ſufficientibus & probatis. Ergò non eſt neceſſe ſemper per interlocutoriam pro talibus declarari, ſed ſufficit pro talibus acceptari. Ratio † dubitandi tertia: quia Imp. declarationem iſtam ad hoc requirit, vt *accuſator* diem torturæ ſciat: atqui hodie rarò per viam accuſationis, ſed plerumque per viam inquiſitionis proceditur. Ergo hodie ſententia interlocutoria non videtur neceſſaria. Ratio † dubitandi quarta: interlocutio ea de cauſa fit, vt reus grauatus appellare poſſit: atqui hodie in criminalibus appellare non licet, jus Bauaric: in der Maleſitz proceſſ Ordnung *tit. 3. artic. 9.* Ergo, &c. 12. 13. 14.

Verùm † his omnibus non attentis, ego ſimpliciter illius opinionis ſum, quod in caſibus, quibus reus non torquendus eſt, niſi formato proceſſu (ſicuti regulariter loquendo proceſſu non formato ad tormenta deueniri non debet, *vide Emeric. à Rosbach. prax. crim. tit. 5. c. 14.* & in criminalibus ordinariè, non ſummariè tantum proceditur, *Damhaud. prax crim. c. 11. n. 16. & ſeqq. Berlich. p. 4. concluſ. 4. n. 4.*) hæc interlocutio omitti non poſſit, *vid. eund. c. 18. n. 4.* vbi valde errare dicit eos judices, qui non ſeruata forma iſta procedunt ad torturam, & putat omnem confeſſionem eſſe nullam. Ratio: quia † etiam eſt pars proceſſus. Quemadmodum id apertiſſimè declarauit Sereniſſimus Elector noſter in der Maleſitz Proceſs Ordnung/ *tit. 3. artic. 8.* his verbis: Hat nun der Richter gründtlichen Bericht/daß ein Vbelthat warhafftig beſchehen/ (hoc eſt, ſi judici de crimine commiſſo, ſiue corpore delicti manifeſtè & liquidò conſtat) vnd wider den Gefangnen gnugſambe Anzaigungen zu peynlicher Frag verhanden/ (hoc eſt, ſi contra reum incarceratum adſint indicia ad torturam ſufficientia) vnd der Beſchuldigte auff erſtes gütliches anfragen nichts bekennet (hoc eſt, ſine tortura interrogatus, nihil fateatur, de quo pluribus agemus ſeq. artic.) noch auch einige Außführung 15. 16.

seiner Vnschuld thun möchte/ (hoc est, innocentiam suam ostendere non posset, de quo paulò post artic. 47.) soll richter durch bey Vrthel zuuor erkennen/ daß der Behafft/ wo er sein Mißhandlung gütlich noch nit bekennen wurde / peynlich soll gefragt werden/vnd zu solcher peynlichen Frag einen gewisen Tag fürnemmen. hoc est, tunc debet judex per interlocutionem declarare, quod reum, si delictum nondum sponte confessurus sit, sub tormentis interrogare, & ad torturam certo die deuenire velit. Ex quibus
17. † verbis Serenissimi nostri (quæ etiam extra Bauariam valere possunt, quia declaratoria tantum Carolinæ sunt) inprimis ea omnia fere, quæ torturam antecedere debent, & à nobis supra enarrata fuerunt, & paulò post ex parte attingentur, deduci possunt, idque apertè colligi, quod declaratio prius per interlocutionem fieri debeat, *vide Chil. Goldstein in processu, rub. appellatio à quæstionibus & torturis.* Formulas autem huius interlocutionis videre licet apud Zanger. *c. 4. n. 16. & 17.* Emeric à Rosbach. *prax. crim. tit. 7. c. 1. n. 6.*

18. Ad rationem † dubitandi primam Responderi potest primò: verba CAROLI V. Imp. non esse tantum narratiua, vel enunciatiua, quia sensum habent hypotheticum, vt videlicet non prius dies accusatori designetur, quàm indicia pro probatis declarentur. Secundò etiam verba enunciatiua disponunt, quando sunt prolata à personis, quæ habent auctoritatem liberam disponendi, Nicol. Genua *de enunc. verb. lib. 1. q. 3. n. 42.* qui *lib. 2. q. 38.* ostendit, excommunicationis sententiam latam verbis enunciatiuis à summo Pontifice valere, & tenere.

19. Ad secundam † Respond: coniuncta sæpe pro disiunctis, & è contra disiuncta pro coniunctis accipiuntur, *L. sæpe 53. ff. de VS.* quæ igitur alternatiua sint, ex re, non verbis colligendum, *Canis. ad reg. 20. in 6.*
20. Ad tertiam † negatur declarationem propter accusatorem tantum fieri, sed hoc solum dicitur: quod factâ prius interlocutoriâ accusatori (si petat) dies torturæ decernenda sit. Quemadmodum id clarius ex constitutione Bauarica colligitur, ibi: soll Richter durch Beyvrthel zuuor erkennen/ꝛc. vnd zu solcher peinlichen Frag einen gewissen Tag fürnemmen vbi nulla mentio fit accusatoris, & apparet: assignationem diei non esse necessariò sententiæ inserendam.

Ad

Ad quartam † Respondetur: licet ex generali totius Germaniæ consuetudine in criminalibus non admittatur appellatio, à sententia definitiua, & condemnatoria, *Gail. 1. de P. P. c. 36. v. tamen. Mynſ cent. 4. obſ. 41. in pr.* (idque potissimum propterea: quia nemo condemnatur nisi confessus, aut conuictus, confessis autem & conuictis de crimine appellare non licet, *L. 2. C. quorum appellat. non recip. vbi vid. Gothof.* Ratio alia: quia inferiores magistratus non habent jurisdictionem criminalem, vel si habent, ita restrictam habent, vt teneantur plerumq; acta remittere pro singulis interlocutorijs ad aulam, vel saltem pro sententia definitiua ante executionem, *juſ. Bau. tit. 3. art. fin. in f.*) tamen † Doctores communiter dicunt, si judex torquendum, vel non torquendum pronunciauerit, quod licita sit appellatio, Marant. *rub. de appellat. n. 318.* Anton. Gomez. *var. reſol. cap. 13. num. 23.* Zieriz. *artic. ſeq.* Emericus à Rosbach. *prax. crim. tit. 5. c. 18. n. 4.* Zanger. *c. 4. n. 3.* qui tres tanquã Neoterici, consuetudinis Germaniæ & Carolinæ, quàm semper allegant, vtiq; sufficientem notitiam habuerunt. Similiter Nicol. Vigel. *meth. jur controu. l. 2. cap. 17.* vbi cum *reg. 1. except. 14.* posuisset, ex generali consuetudine Germaniæ in causa criminali appellari non posse, neque etiam ante sententiam definitiuam ab interlocutoria, *id. ibid. exc. 24.* tamen *in replicat. 7.* mox ita limitauit: nisi reum torquendum, vel non torquendum pronunciauerit. Similiter etiam Gomez *loc. cit. n. 31. verſ. Secundò limita*, decidit, in crimine hæresis condemnatum non posse appellare, *c. vt inquiſitionis. de hæretic. in. 6.* nihilominus idem ibidem Limitat, vt procedat in definitiua, non verò in interlocutoria, & addit generale † dogma: quodsi caueatur lege vel statuto, quod in aliquo casu non habeat locum appellatio, hoc debeat intelligi quoad decisionem totius litis, & causæ principalis, non tamen in interlocutoria, vel actu, qui totam litem non dirimit. Confer Summam *c. 5. n. 28.* An autem † interposita huiusmodi appellatione judex debeat abstinere à tortura, vide apud Iul. Clar. *q. 64. n. 27.* Anton. Gomez. *n. 23.* Zanger. *n. 4. & ſeqq.* Farinac. *q. 38. n. 11. & ſeqq.*

21. 22. 23. 24.

Ad Versic: So soll dem Anklåger.

25. POstquam † judex per sententiam interlocutoriam declara-
uit, contra reum ad torturam procedendum esse, postea ac-
cusatori ad instantiam eius diem pro tortura inferenda no-
minare, & designare debet. *per text. articuli nostri in fine.* Ex quo
26. tres QVÆSTIONES † exurgunt. Prima: vtrum ergo accusator
præsens esse debeat torturæ. Secunda: an prius sit requiren-
dus, antequam reus tormentis subijciatur. Tertia: vtrum dies
tantùm præfigendus ipso petente, an verò etiam tacente?
27. Ad PRIMAM † Respondetur, accusatorem omninò torturæ
adesse debere, *per text. in L. 1. in pr. v. quodsi accusator C. de custod.
reor.* vbi dicitur: quæstionem differendam esse propter accusato-
ris absentiã. Similiter in *L. custodias 12. ff de public. judic.* vbi ju-
bentur patroni causarum torturæ adhiberi. Ergo tam aduocati
accusatoris, quã rei. *L. si postulauerit §. quæstioni ff. ad L. Iul. de adult.*
28. Ad † SECVNDAM Respondet Iul: Clar. *q. 84. n. 26.* quod ju-
dex omninò, secundum aliquos, prius requirere debeat accusato-
rem, ad cuius instantiam habenda est quæstio, aliàs enim eum
non posse tormentis subijci. Paulò aliter Ioa. Emeric. à Rosbach.
prax. crim. tit. 5 cap. 23. n. 1. reus non debet à judice torqueri, nisi
29. ad instantiam accusatoris. Ratio † vtriusque meo judicio est
ista: quia agitur de præjudicio accusatoris. Nam si indicia præ-
gnantia subessent, & reus non legitimè tortus in inficiatione per-
sisteret, atque sic indicia purgaret, absoluendus esset, saltem ab
obseruatione judicij, *Zanger. c 5. n. 10.* vt ergo videat, quid aga-
tur, expedit vtique eum requiri, & præsentem esse. Ratio alia:
30. quia forte accusator habet alios modos probandi, quibus non
potest per torturam præjudicium fieri. Sed quidquid † sit de
jure, vsus & stylus curiarum non admittit ad torturam patronos
causarum, Iul: Clar. *§. f. q 45. n. 12.* Gothof. *ad d. L. custodias*
31. *12. ff. de pub. judic.* Sic testatur † idem Clarus *q 64. n. 26.* quod
per totam Italiam non expectatâ requisitione ipsius accusatoris,
reus torqueatur. Ratio secundum Emericum *loc. cit.* quia judex
ex officio potest prosequi, & facere ea, quæ accusator facere pos-
set, *Bart. in L. 1. ff. de pub. judic.* v. g. desistente aut impedito ac-
cusatore

cusatore ex officio accusationem pertexere inchoatam, *VVesenb. in parat. n.12 ff de accusat.* vide Summam *c. 2. n. 19.* Quamuis † aliqui (& recte) putent aduocatos in illa examinatione, an reus 32.
sit torquendus, nec ne? requirendos & audiendos esse, non in ipso actu torturæ: testatur tamen idem Clarus *n. 35.* in Ducatu Mediolanensi decretum torturæ secretò fieri, & quamprimùm executioni mitti, ideo ne possint aduocati reos instruere ad veritatē negandā. Ad rationem † allatam Respondetur, etiamsi reus in- 33.
dicia per torturam purgauerit: tamen accusatorem ex constitutione Carolina nullam pœnam incurrere; prout *inf. art. 61.* videbimus, & probationes alias, si quas habet, posset adhuc post torturam facere, *jus Bau. tit. 3. artic. 8.*

Ad TERTIAM quæstionem Respondetur: si accusator petat 34.
sibi diem designari, iuxta præsentem articulum, vtique dies assignandus, & meo judicio, ne assignatio sit sine effectu, accusator ad torturam admittendus. Ratio: quia † licet non periclitetur 35.
ob pœnam calumniæ, tamen si reus postea dimittatur, accusator solus suas expensas ferre *dict. artic. 61.* & quamuis reus de non vindicando carcere cautionem præstiterit: tamen verisimiliter ipsius insidias, & persecutiones timere debet: quia fragilis est cautio, quæ in parua papyro continetur. *L. qui ita 66. §. 1. ibi: propter fragilitatem cautionis ff. ad SC. Trebell.* Si autem † accusa- 36.
tor nullam assignationem petat, vel judex per viam inquisitionis procedat, non est necesse, certum diem in decreto, vel sententia interlocutoria exprimere (vide formulam Emerici *dict. tit. 7. n. 6. inf.*) sed sufficit judici torturam certo postea die suscipere, ita intelligo constitutionem nostram Bauaricam *tit. 3.* der Malefitz Ordnung *artic. 8.*

Interpellatio de cruciatu euitando.

ARTICVLVS XLVI.

SVMMARIA.

1. *Torturam præcedere debet admonitio & comminatio, & quare? n. 3 4 5*
2. *& omnia prius experiunda.*
6. *Interpellatio quomodo facienda. 7 quare verbis tam mitioribus quam asperis.*
8. *An dolosis persuasionibus?*

In-

1. IN hoc articulo † prærequirit Imp. adhuc aliquid aliud, antequam reus captiuus siue ex officio, siue ad instantiam accusatoris torturæ subijciatur, vt videlicet in præsentia judicis, duorumque assessorum, & actuarij, diligenter interpelletur, ijs verbis & rationibus, quæ iuxta conditionem personæ, & rei ad vlteriorem inuestigationem & cognitionem delicti, vel suspicionis optimè seruire possunt, & sub comminatione torturæ adhuc semel interrogetur, vtrum delicti insimulati se reum fateatur, nec ne? & quid de illo sibi conscius sit. Id autem, quod affirmauerit vel negauerit, postea annotetur.

2. Vno verbo: † reus prius interrogari debet de crimine commisso, cum comminatione, eum nisi vltrò confessus fuerit, tortum iri; & admoneri de cruciatu torturæ vitando, Nicol. Vigel. *in meth. Carol. c. 4. q. 2. reg. 2.* & *post ipsum Matth. Steph. h. in rub.* Ratio † secundum Bernhard. Zieriz: quia omnia prius ex-
3. periri, quam armis vti sapientem decet, & non est deueniendum ad tormenta, si alia leuiori via potest haberi veritas, *Emericus tit. 5. c. 18. v. 2.* per Rationem: quia tortura grauior est pœna, quam
4. vtriusq; manus abscissio. Ratio † alia secundum eundem: quia sicuti in causa ciuili fit prius aliqua pugna, & litis contestatio, antequam ad sententiam descendatur: sic in hoc criminali processu, & cum misero captiuo quasi congressu, admonitiones præcedere debent, antequam ad seuerum hoc tribunal pedem moueamus.
5. Ratio † tertia: quia tortura gradatim est inferenda: atqui primus gradus torturæ secundum aliquos sunt minæ de torquendo, *Vigel. c. 4. q. 4. reg. 1. Farinac. q. 38. n. 34. Clar. q. 64. n. 31.* Ergo prius à minis est incipiendum.

6. Dicit † autem Imp. reum interpellandum esse ijs verbis, & rationibus, quibus ad aperiendum delictum inducatur. Ex quo Inferunt, quod non tantum precibus & verbis mitioribus, sed pro conditione personæ, & duritie atque obstinacia eius, verbis etiam duris & asperis compellari possit, cum aliqua singulari
7. acrimonia. Ratio: quia † omnia tentanda, vt veritas suauiori modo extorqueatur, & quoties nihil sine captione inuestigari potest, eligendum est, quod minimum habet iniquitatis, *L. quoties ff. de RI. Zieriz. h.* Vnde quidam dicunt, judicem antequam reum

reum torqueat, declarare debere, quod veritas aliter haberi non possit, *Emeric. d. c. 18. n. 4.* Quamuis † autem judex probationes, quantum fieri potest, conquirere debeat, & inprimis illud curare, vt spontaneam reo confessionem persuadeat potius, quam tormenta, rem fragilem & periculosam adhibeat: non tamen dolosis persuasionibus, falsisque promissionibus rei ad fatendum inducendi sunt, Weizenegger *diss. 6. c. 9. n. 138.* per Rationem: quia dolus malus cum mendacio coniunctus nec supremo judici licitus est, & periculosa æquiuocatio judicem dedecet. Vnde confessio sic elicita legitima censeri non potest, cum ipsa interrogatio, & modus examinandi licitus non est, sed naturali juri contrarius. 8.

De assertione innocentiæ ante torturam, & vlteriori processu.

ARTICVLVS XLVII.

SVMMARIA.

1. *Defensio reo permittenda est ante torturam.*
2. *Iudex ex officio defensiones rei inquærere potest, & quare? n. 3.*
4. *Reum interrogare, vbi tempore delicti fuerit? & quare. n. 6.*
5. *Nemo potest simul esse in duobus locis.*
7. *Innocentia varijs modis ostendi potest, 8. per testes etiam non omni exceptione maiores. 9. per præsumptiones. 10. quare 11. per juramentum purgationis, & quare n. 12. 13. an per causas non verisimiles redditas. & 14. 15. per elisionem indiciorum.*
16. *Copia indiciorum reo danda. 17. quare. n. 20. etiam non petenti, n. 22.*
18. *Praxis contraria an toleranda? 19.*
23. *Quando negari possit, distinctio Bauarica, & quomodo nomina testium, eorumq́ depositiones edenda?*
24. *Dilatio reo an & quando copijs concessis indulgenda?*
25. *Aduocati an reis permittendi, & quare? n. 27.*
26. *Quid de consuetudine?*
28. *Aduocatorum fraudibus quomodo occurrendum.*
29. *Aduocati an sine arbitris cum reo agere & loqui possint?*
30. *Aduocati notorijs malefactoribus. 31. & famosis furibus non concedendi.*

 32. Si

32. Si reus vel eius propinqui defensiones attulerint, de veritate eorum quam ocyßimè inquirendum. 33. 34. 35. 36.

37. Sumptu ipsorum.

38. Defensio & innocentiæ assertio reo vel propinquis eius sine magna causa non est deneganda. 39. etiam in atrocißimis. n. 44.

40: Nisi appareat manifestè calumniosa. 41.

42. Sumptus quis præstet, si reus vel eius propinqui præstare non poßint. 43. cur magistratus.

45. Quo tempore reus ad defensionem admittendus.

46. Cur omni tempore, vsque ad executionem.

47. Cur expediat ante torturam fieri.

48. Si de innocentia rei non apparuerit, & tamen delictum fateri nolit, tunc actualiter torquendus. De jure Bauarico remißio actorum ad superiorem præcedere debet.

49. Tortura quibus præsentibus inferenda, & ad quid attendendum?

50. Cur in præsentia judicis? 51. & actuarij.

52. An accusator præsens esse poßit torturæ? 53.

54. Cur copia confeßionis ei concedenda? 55.

1. SI reus † indicijs sufficientibus & legitimis grauatus, & sub comminatione torturæ ad extremum interrogatus, delictum sibi obiectum constanter neget, tunc interrogari debet, vtrũ
2. ergo probare possit innocentiam suam, & quomodo? Ratio: † quia judex potest ex officio inquirere defensiones rei à nemine defensi, *L. 19. ff. de pœn.* vbi dicitur: si non defenduntur (serui rei) non vtique statim ad supplicium deducuntur, sed permittetur eis defensio ab alio, & qui cognoscit, debebit de innocentia eorum quærere. Vide Wesenb. *n. 12. ff. de accusat.* vbi dicit: etiamsi reus defensionem prætermittat, posse tamen iudicem sumere personam rei, & eius defensionem prosequi, Hippol. *de Mars. §. nunc videndum n. 7.* Ratio † rationis: quia fieri potest,
3. vt reus periculi cogitatione perturbatus, vel propter tædium vitæ, nolit suam innocentiam deducere. *Zanger. cap. 3. n. 15.* cum itaque satius sit impunitum relinqui facinus, quam innocentem damnare, *L. 5. ff. eod. Zanger. c. 3. n. 11.* judex ad torturam festinare non debet, sed reum prius interrogare, an argumenta suæ innocentiæ habeat, & qua ratione de innocentia sua, per se vel

alios

alios docere possit. *Vigel. c. 4. q. 3. reg. 3. Zieriz. & Matth. Steph. h: Zanger. loc. cit. n. 2.* vide Summam *c. 5. n. 30.*

Ad Versic: Vnd man soll.

IN specie † autem reus interrogandus est, nunquid ostendere 4.
possit, se illo tempore, quo crimen perpetratum fuit, alibi fuisse, fortassis in loco non suspecto, cum alijs honestis personis, vnde apparere possit, quod ipse nihil mali fecerit. Rationem † 5.
deducunt Dd. ex Plauto, apud quem Amphitruo nemo, inquit, antehac vidit, nec potest fieri, tempore vno, homo idem duobus locis vt simul sit, *Remus, Gilhaus. Zieriz. & Steph.* siue, vt Philosophi loquuntur, replicatio naturaliter non datur, Ergo idem non potest esse in duobus locis. Quare si delictum fuit noctu commissum, inculpatus autem illa nocte visus fuit in cubili quiescere, & in vtramque aurem dormire, magna coniectura est innocentiae, *Menoch. l. 5. praes. 48. n. 13.* Ratio necessitatis, † & quare 6.
haec interrogatio sit facienda, affertur ab Imp. in textu: quia multi ex simplicitate, vel ex consternatione, etiamsi innocentes sint, nesciunt tamen modum sese defendendi, & defensiones siue innocentiam suam deducendi (praesertim adolescentes & muliercula *Gilhaus. h.*) Ergo pietatis ratio suadet, vt eiusmodi personis à judicibus succurratur, *argt. L. nec quicquam §. circa aduocatos ff. de officic. proconsl. Remus & ex ipso Matth. Steph. h.*

Ad Versic: Vnd so der Gefangen.

IN hoc Versic: † dicit Imp: quod reus incarceratus modo prae- 7.
dicto, nec non alijs ad rem pertinentibus argumentis & rationibus, & modis sese purgare, & innocentiam suam ostendere possit. Ratio: quia defensio est valde fauorabilis, Ergo non restringenda, sed potius amplianda.

QVAERI autem † hoc loco potest, qui nam sint alij modi as- 8.
serendi, & ostendendi innocentiam? ad hoc Respondetur: quod innocentia probetur PRIMO per testes, Menoch: *de praesumpt. l. 5. praesumpt. 48. n. 7.* Zanger. *c. 3. n. 42.* Mascard. *de probat. conclus. 905 n. 1. & seqq.* vbi dicunt, testes etiam familiares, domesticos, sanguine coniunctos, foeminas, pauperes, & aliâs inhabiles hoc

in casu admitti, & dictum vnius testis ad probandum sufficere, illosq́, fidem facere, etiamsi tantum de credulitate, & iudicio suo deponerent. Ratio: † quia Innocentia adeo fauorabilis, & vis eius adeo magna est, vt multa illius causâ contra ius commune sancita fuerint, Menoch. *n. 1. n. 4.* Zanger. *n. 43.* Limitationes & declarationes vide apud Mascard. *loc. cit. n. 11. & seqq.*

9. SECVNDO † probatur etiam innocentia per præsumptiones, v.g. si reus aufugere potuisset, & non fugisset; si sua sponte se iudici præsentaret, aut carcerẽ ingrederetur; si accusator in causa procedere nollet, vel nimis tardè procederet; vel si socius criminis moriturus socium exculparet, Menoch *loc. cit. n. 10. cum seqq. vsq; ad finem, Mascard. n. 16 & 22. Zanger. n. 4*). si quis accusaretur de delicto nocturno tempore commisso, & is eo tempore repertus fuisset dormire, Mezger *consil. crim. 15. n. 102. §. præsumptio-*

10 *nes.* Ratio: est: quia † contra reum supponuntur tantùm stare indicia & præsumptiones, præsumptio autem non valet, vel nihil operatur, si coniectura legitima refragetur, Dd: *ad L. continuus 137. § cum ita. in f ff de V O* & præsumptio vna tollit aliam, *Gail. 2. obs. 144. n. 6. VVes. n. f ff de probat. Rosbach: prax. crim tit. de præsumpt. n. 26 & 27. Matth: Steph. b.* vide Bursatum *consil. 218. vbi n 229.* multa signa innocentiæ adducit.

11. TERTIO † probatur innocentia per iuramentum purgationis, *Mascard n. 18. Zanger. n. 46.* si nimirum indicia non sint multum vrgentia, neque ad torturam sufficientia, vel persona sit talis, quæ torturæ subijci non possit, vel delictum nullam pœnam corporis afflictiuam post se trahat, & reus non sit aliàs malæ vitæ, aut semel peierauerit, *Masc n. 18. & seqq. Zanger. loc.*

12. *cit.* per Rationem: quia † innocentia in animo consistit: quæ autem consistunt in animo & conscientia nostra, probantur per assertionem cum iuramento, *Schneid. §. sed ista n. 53. inst. de action: VVesenb inf. & med. n. 3. ff. de jur. & fact. ignor* dicit tamen *Mezger. loc. cit.* iuramento non stari, vel reum ad iurandum non admitti, quando præsumptio iuris militat contra allegantem innocentiam, vel si iurans aliàs fuisset homo malæ vitæ, vel semel factus periurus. *Gail. l. 2 obs. 48. n. 31. cum seqq.*

13. QVARTO ostenditur † per indirectum, & eruitur innocentia exin-

exinde, si reus super causis delicti interrogatus reddat causas non verisimiles, *Mascard. n. 21.* Ratio: quia quod verisimile non est, attendi non debet, *L. non est verisimile f. ff. quod met. caus. c. quia verisimile non est. 10. ext. de præsump.* Sed ego † hoc tunc intelligo verum, quando indicia desumuntur ex confessione rei extra vel iudiciali & vix aliàs. Ratio: quia sicuti testibus verisimilia non deponentibus non est adhibenda fides in causa aliena, *argt. L. ob carmen 21. §. f. ff. de testib.* ita neque reo in causa propria, vide *art. 54. & 60. n. 19.* & Summam *c. 6. n. 20.* 14.

QVINTO † ostenditur innocentia hoc ipso, si elidantur indicia contra reum militantia, de qua elisione Imp. hic & supra sæpius, videl: *artic. 13. 16. 28. 29. 33. 37. & 41.* occasionaliter egit, vide *Summam c. 5. n. 19.* Sed quia indicia elidi nequeunt, nisi prius à reo cognoscantur, & cognosci non possunt, nisi ipsi à iudice communicentur, ideo. 15.

SEXTO † ad defensionem rei, eiusque innocentiam asserendam necessarium est, vt reo copia indiciorum & articulorũ, nominaq; testium contra eum productorũ, nec non & dicta ipsorũ testium detur, *VVesenb. in parat n. 11. ff de quæstion Zanger. c. 3. n. 1. & seqq. Iul: Clar. §. f q. 45. n 8. Emeric: a Rosbach. prax. crim. tit. 5. cap. 15. Farinac q. 39 per tot. Matth: Stephani h Dominus VVeizenegger differt 6 c. 9 n. 142. Iul Clar q. 49 n. 2.* Ratio † secundum Zanger. *n. 2.* vt reus se defendere, suas exceptiones contra eorum personas & dicta proponere, & si ita ei visum fuerit, interrogatoria exhibere, vel alio modo indicia elidere, suamque innocentiam deducere, vel per se, vel per alios possit, *vide Berlich. p. 4. conclus. 4 n 8* vbi hoc etiam in crimine veneficij requirit, vsque adeo, vt processus, si reo indiciorum & articulorum copia denegetur, prorsus nullus sit, *id ibid. n. 9. Bernhardus Zieritzius inf. art. 52.* Heig. *p. 2 q 35. per tot.* 16. 17.

Et quamuis † de consuetudine in quibusdam locis hoc parũ obseruetur, & reus interrogetur ante datas defensiones, & copiam indiciorum *Iul. Clar. d. n. 8.* imò etiam in Germania judices reis captis non exhibeant indiciorum exemplum, sed statim procedant ad torturam. *Emeric c. 15. n. 3.* vel reorum defensiones in continenti audiant, cum ipsis judex indicia vel oretenus 18.

 proponit,

proponit, vel ex ſcripto recitat, & ſi quid allegatione dignum allegetur, à tormentis abſtinet, vel in veriſimiles defenſiones ex officio inquirat, *VVeizenegger diſſ. 6. cap.9. n.* 145. (fortaſſis ideo
19. quia † in Carolina in terminis nihil hoc loco de copia indiciorum reis danda definitur, Ergo omiſſum pro omiſſo habendū videtur, *argt. L. quicquid. 99. ff. de VO. Mynſ cent 5. obſ. 75. n.6.*) nihilominus quia omiſſum non poteſt dici, quod eſt connexum, vel ex priori conſecutiuum, Gail. 1 *obſ. 35. n.* 10. & caſus omiſſus ſub diſpoſitione juris communis remanet, *argt. L. ſi extraneus 6. vbi Iaſ. ff. de condict. cauſ. dat. cauſ. non ſecut. Gail.* 1. *obſ. 35 n* 10. in-
20. ſuper † de jure communi non obſcurè prouiſum eſt, vt copia indiciorum reo detur, quemadmodum Farinac. *q. 39. n.* 1. & Zanger. *c. 3. n. 6.* ad longum oſtendit, ideo dicit Practicus Papienſis, quod judices moderni malè faciant, apud *Clar. d. n. 8.* & tradit Emericus *dict. n. 3.* ſe ſenio confectum nunquam inueniſſe aliquā legem, ſiue rationem pro tali obſeruantia.

21. An autem † reo non petenti copia indiciorum danda ſit, vide apud Emeric. *loc. cit. n.* 10. Zanger. *c. 3. n. 4.* Matth. Stephani. *h.* Hippolytum de Marſilijs §. *nunc videndum n. 8. & ſeqq.* vbi affirmant, & rationes tales adducunt: quia intereſt iudicis ratione humanitatis, & intuitu religionis, indefenſum non occidere, & quia reus propriæ defenſioni non poteſt renunciare, *Clar. q.*
22. *49. n.* 16. Item † ſi publicè intereſt, abſentes defendi: quantò magis defendendus eſt reus præſens, eiuſué innocentia quærenda, quando de quæſtione, quæ fragilis & periculoſa eſt, inferenda agitur, cum ad officium iudicis ſpectet, ita de delictis inquirere, ne innocentibus periculum fiat, *arg. L. ſi non defendantur* 19. *v.*
23. *debebit ff. de pœnis.* In quibus † autem caſibus negari poſſit copia indiciorū, & publicatio proceſſus, vide apud Farinac. *dict. q. 39. per*
„ *tot.* Iul: clar. *q. 49. per tot.* Ius noſtrum Bauaricum *tit. 3. art. 2.*
„ diſtinguit inter eos, qui in ſtatu honeſto vixerunt, & firmum do-
„ micilium habuerunt, atque inter cæteros vagabundos His po-
„ ſterioribus famoſis hominibus (vti ſunt latrones, fures vagabun-
„ di, crumenæ ſectores, prædones, ſuccenſores ædium) copiæ indi-
„ ciorum non dantur, neque dilatio ad reſpondendum, ſed indicia
„ per certa interrogatoria proponuntur, & ſi ſufficientia ſunt, at-

que

que ita manifesta, vel confessata, vt tortura decerni possit, ipsi si in negatione persistunt torquentur (vide Farinac. *q.* 39. *n.* 107. *& seqq.* vbi dicit, id operari notorietatem delicti, non famam, vel atrocitatem) Circa priores autem & honestiores distinguitur: vel enim delictum, de quo suspecti sunt, vel inculpati, ita comparatum est, vt non statim apprehendantur, sed indicia certis punctis distincta, & nomina testium ipsis prius ad respondendum tradantur. Quo in casu si eiusmodi personæ se extra carcerem defendere non potuerunt, sed apprehensi sunt, non opus est amplius copias indiciorum communicare, sed oportet illa certis interrogatorijs comprehendere, ipsis proponere, eos si negauerint, torturæ actualiter subijcere (dummodo indicia sint sufficientia & verificata, & delictum tam graue, vt quæstioni locus sit) ita tamen, vt reus iuxta hunc articulum nostrum ex abundanti interrogetur, vtrum nullum argumentum suæ innocentiæ habeat. Quodsi autem pro qualitate negotij non potuissent indicia ante capturam reo communicari, sed is statim captus & apprehensus fuisset, tunc copias indiciorum, & nomina testium adhuc ei dare, & dilationem ad defensiones proponendas indulgere, & aduocatum permittere oportet. Nisi delictum tam manifestum & notorium esset, atque ita malè qualificatum, vt nulla ratione reus se defendere posset, tunc enim talis iuxta exploratas circumstantias & verificationes, propositis certis interrogatorijs, examinandus, & si negauerit, torturæ subijciendus est. Hæc autem de processu inquisitionis, non accusationis intelligenda sunt. Quamuis autem ijs, qui antea in statu honesto vixerunt, nomina testium & depositiones eorum edi, & communicari debeant (quia subinde explorationes apud eos fieri debent, qui contra reum, vel suspectum de crimine, occultas inimicitias gerunt, contra quos si excipere non liceret, sæpe alicui iniuria fieret) id tamen in iure Bauarico *tit.* 3. *art.* 3. declaratur ita fieri debere, vt depositiones non aliter, quam per distincta puncta, & articulos proponantur, nomina autem testium separatim aperiantur, qua de re infra *art.* 73. *n.* 16. *& seqq.* vide aliter distinguentem Farinacium *q.* 39. *n.* 56.

SEPTIMO † indulgeri debet reo, si in statu honesto vixit, congrua dilatio ad defensiones suas proponendas, vel ad respon- 24

dendum indicijs sibi communicatis, ius Bauaric. *loc.cit.* Rosbach *prax. crim* : *tit.5. c.32.* Dominus Weizzenegger *diss. 6.c.9. n.* 142. vbi Rationem reddit: ne si statim, vt capti sunt, ad torturam rapiantur, in summa consternatione animi & terrore, ex tam repentina pristini status deiectione incusso, memoriam refricare nequeant, ac defensionem sibi iure competentem omittant, quod nonnemini accidere satis experientia quotidiana testis est. Hoc autem Limitat dicta constitutio Bauarica *loc. cit. art. 2.* vt famosis istis & vagabundis homuncionibus nulla dilatio concedatur; (per ea, quæ paulò ante fuerunt enarrata) neque honestioribus, si delictum (notoriũ & manifestum) ita recens esset, vt memoriæ excidere non potuerit, tunc enim si respondere nollent, sed dilationem peterent, statim torqueri possent, vt cathegoricum responsum darent. Si autem delictum ipsum non negarent, sed dicerent, tales circumstantias interueniße, quæ ipsis exciderint, tunc iudex pro suo arbitrio dilationem indulgere posset. Quodsi verò is, cui copiæ indiciorum, & nomina testium tradita, atque dilatio pro se reflectendo concessa fuit, nihilominus respondere nolit, ad prædictum finem torqueri debebit. Hæc autem distinctio inter homines honestos, & eos, qui sunt malæ conditionis & famæ, de iure communi non obtinet, Farinac: *q.39. n. 47.*

25. OCTAVO † ad defensionem reorum facit, vt ipsis petentibus aduocati dentur, *ius Bauar. d. art. 2. Dominus VVeizzenegg. loc. cit. n. 143. Emeric. à Rosb. tit. 5. cap. 32. n. 12. prax. criminal.* Ratio: ne hi, qui defendendi sunt, subitis accusatorum criminibus opprimantur, *L. vnius 18. §. cogniturum 9. ff. de quæstion.* Ratio alia: si æquum est quemuis verba pro absentibus facientem, & innocentiam excusantem audiri. *L. seruum 33. ff. de procurat.* quantò magis pro reo præsente, quando de hoc tractatur, an de eo quæstio haberi possit, vel debeat, *Zang. n. 5. & ex ipso Matth: Steph: h.* Vide † Dominum Weizenegg. *loc. cit. n. 143.* vbi aduocatos adiungendos esse putat, nec aditum ad carcerem ijs præcludendum: imò nihil cogitantibus defensores ex officio constituendos esse, per Rationem: ne indefensi condemnentur, cum notissimum sit, alios ex simplicitate, alios ex terrore suas defensiones allegare non posse, *text. h. & Zieriz in notis.*

Et

Et quamuis † idem ibidem *n. 145.* teſtetur, de conſuetudine 26.
iſtum defendendi modum non admitti, idque fortè per Rationem, quam *num. 144.* allegat, ne hoc modo proceſſus indebitè proteletur: ego tamen vidi practicari contrarium, & reis non modò petentibus Aduocatos fuiſſe permiſſos, ſed quibuſdam etiam ex officio adiunctos, & ſuper hoc inter procuratorem fiſci, & patronum rei arduè diſputatum, an ſtantibus illis tunc occurrentibus indicijs reus torqueri poſſit, nec ne? (vide Parid. de Puteo *in tract. de Syndicat. q. an ſtetur n. 50. f. 326. Tr. Tract.* vbi dicit, quod aduocati debeant intereſſe diſputationi, an indicia ſint ſufficientia, & an debeant rei torqueri, non autem quando reus examinatur, vel deponit, ne inſtruatur ab ijs) Puto
† etiam reo inſtanti & petenti aduocatum non facile eſſe negan- 27.
dum. Ratio: quia hoc ſpectat ad defenſionem, quæ juris naturalis eſt, nulla autem protelatio vel mora intelligi poteſt, vbi
naturali juri ſatisfit, *VVeizenegger loc. cit.* Nihilominus, † quia 28.
aduocati plerumque omnia mala nôrunt, & aliqui modicæ ſunt conſcientiæ, vt dicit *gl. in L. ab Anaſtaſio v. morantur C. mandati, Schneid. n. 20. inſt. de liter. oblig.* ideoque ſi fraudibus & fallacijs vti volunt, facile etiam homines peſſimos & nequiſsimos ſaluare, & tueri poſſunt, ideo puto adhibendam eſſe cautelam, quam tradit Dominus Weizenegger *loc. cit. n. 144.* vt videlicet jureiurando adſtringantur, quod neque reum ad crimen negandum inſtigare, neque ſubornationem quamcumque procurare, neque minutias, ſed rem ipſam perſequi, nullis niſi juſtis defenſionibus vti, neque reum, ſi crimen in progreſſu apparuerit, amplius de-
fendere velint, *vide Bernhard. Zieriz. infra artic. 88.*, Vel vt † 29.
aduocatis non aliter, quam præſentibus arbitris cum reis agendi & loquendi licentia detur, quod tamen vtcunque durum eſt, per
tradita inf. *artic. 73. §. 2.* Hoc tamen † Limitatur: niſi notorij 30.
ſint malefactores, *id. n. 143.* Ratio: quia in notorijs ordo juris
non ſeruatur. *Gail. obſ. 77. n. 8.* Limitat † ſecundò Hippolytus 31.
de Marſil. *in pract. crim. §. diligenter n. 164.* in inſignibus furibus, quorum leuitas ſæpe facit recedere à regulis juris communis, vt paſſim in jure Bauarico videre eſt, ad quod me remitto. Vide plura *inf. artic. 73. §. 2.*

Ad Versic: Solcher Anzaig.

32. QVidsi † ergo reus captiuus modis prædictis, vel alijs argumentis se purgârit, & vel ipse, vel eius propinqui testes ad probandam eius innocentiam producere, & sistere ve-
33. lint, quid tunc judici incumbit? ad hoc Respondet Imp. † quod debeat de veritate purgationis & excusationis quã ocyssimè inquirere, & testes ad eorum instantiam eo modo, quo decet, &
34. infra *artic. 62.* præscriptum habetur, † sumptu ipsius rei, vel pro-
35. pinquorum eius examinare. Ratio † huius indagationis est ista: quia sicuti delationibus accusatoris non est statim credendum: ita neque excusationibus rei, sed omnia diligenti studio perquirenda, ne in absoluendo nocente resp. vel condemnando inno-
36. cente patiatur innocentia. Ratio † cur ocyssimè & celeriter examinatio sit facienda, redditur à Wesenb. *in parat. n.12. de ac-*
37. *cusat.* ne reus diuturnâ custodiâ affligatur. Ratio † quoad sumptus est ista: quia regulariter sumptus præstare debet, cuius gratiâ actus celebratur, *L. sed & si 11. §. 1. ff. ad exhib.* & productio testium sumptibus producentis est facienda, *Gail. 1. obs. 99. VVesenb. in parat. n.5. ff. de testib.* Ratio cur etiam propinqui ad defensionem admittantur, est ista: quia si interest hominis hominem beneficio afficere, *L. seruus 7. in fin. ff. de seru. export.* & si quemuis innocentiam excusantem audiri æquum est, *L seruum 33. §. publicè 2. ff. de procurat.* vtique id etiam amicis & propinquis permittendum est, quia sanguinis coniunctio deuincit charitate homines, *L. pietatis 6. C. de suspect. tut.*

Ad Versic: Solche obgemelte.

38. QVÆRITVR † in hoc Versic: vtrum assertio innocentiæ, & productio testium, reo vel propinquis eius possit denegari? Ad hoc Respondet Imperator, quod sine magna, graui & legitima causa non sit deneganda. Ratio † secundum Re-
39. mum, quia hæc innocentiæ asserendæ, & probandæ ratio fauorabilis, & legibus valde amica est. Ratio alia: quod alicui prodest & nemini nocet, iniquum est denegari, *text. in L. 9. ff. de impens. in res dot. fact. arg. L. 2. §. item Varus 5. ff. de aqua. pluu. arc.*

Atqui

Atqui defensionis ratio nunquam detrimento est, sæpius autem commodo, *argt. L. 1. §. f ff. quod quisq; jur. vbi VVesenb. num. 5.* Ergo defensio nemini deneganda, *Dd. ad L. vt vim 3. ff. de I. & I.* Limita: nisi † magna subsit causa, vtpote si appareat excusationem manifestè iniustam esse. Licet enim Wesenb. *n. 12. ff. de accusat.* defensionem in criminalibus permittendam esse putet, etiamsi appareat iustam non esse, tamen Bernardus Zierizius hic rectè sentit, quod calumniosa defensio reo non sit permittenda, post Farinac. *quæst. 39.* potest enim judex denegare defensiones, quando videt, illas peti cauillandi causa, post Roland. *cons. 12. n. 42. l. 3.* & Dec. *cons. 99. n. 22. vol. 2.* Gilhaus. *h.* Ratio: † quia calumnijs aditus patere non debet in judicio, *argt. c. nonnulli 28. ext. de rescript:* Ratio alia: sicuti ex parte actoris ad probandum nihil admittitur, quod probatum non reuelet, *L. 21. C. de probat:* ita nihil ex parte rei, quod ei non aliquam releuationem & defensionem adferat. In dubio autem potius admitti, quam reijci debet, quia melius est superflua admittere, quam necessaria omittere.

40.

41.

Ad Versic: Wo aber der Verklagt.

QVÆRITVR † in hoc Versic: quid si reus incarceratus, vel eius propinqui nequeant eiusmodi sumptus, qui ad testiũ productionem, & innocentiæ indagationem necessarij sunt, præ paupertate sustinere, quid tunc judex debeat facere? ad hoc Respondet Imp. quod magistratus debeat sumptus ex publico subministrare. Rationem † ipse reddit in textu: ne vel delicta maneant impunita, aut insons inauditus opprimatur, quorum vtrumque contra bonum reip. tendit. Nam reip. interest, ne delicta maneant impunita, *L. ita vulneratus. 51. §. æstimatio. v. quodsi quis ff. ad L. Aquil.* & reip. interest, neminem indefensum relinqui, *L. seruum 33. §. 2. ff. de procurat.* cum itaque in hac inuestigatione publicum versetur interesse, non est mirum, si de publico sumptus sint præstandi, vel ex officio de eiusmodi defensionibus inquirendum, *Nicol. Vigel. meth. Carol. c. 5. reg. 11. exc. 2.* confer *art. 145.* Ratio: quia reus indefensus esse non debet *L. fin. in fin. C. de his qui latron. Gilhaus. in not. h.* Si reus sumptus non habet,

42.

43.

vt aduocatum possit constituere, tunc si aliquo accusante fuerit custodiæ traditus, & sibiipsi suppeditare in parandis aduocatis nequit, æquum est, eos ab aduersario, cuius rogatu incarceratus est, præberi, quoniam & ad hunc alimentandi reum, qui sibiipsi sufficere nequit, onus redit, Rosbach. *prax. ciuil. tit. de aduocat. 18. n. 13.* Wesenb. *n. 3. ff. de postulando* vbi addit, quod magistratus non debeat causam eius relinquere desertam, sed potius sumptum de publico, aut saltem ex ærario eleëmosynarum communi suppeditare. Nam etiam species eleëmosynæ est, pauperibus præbere patronos.

44. Habemus † ergo ex isto articulo REGVLAM: quod reo defensio non sit deneganda, quam per multas ampliationes & limitationes tractat Farinac: *q. 39.* per totum. Ratio est: quia defensio est juris naturalis, Ergo rei etiam atrocissimorum criminum non debent opprimi, sed defensionem allegantes patienter audiri, Weizenegg. *loc. cit. n. 141. & 177.*

45. Vna † autem adhuc QVÆSTIO circa defensionem rei superest: quando nam & quo tempore reus ad defendendum sit admittendus? Ad hoc communiter Respondent, id fieri posse non modo in termino probationis, sed etiam post conclusionem in causa, atque adeo post ipsam sententiam, Wesenb. *in parat. n. 12. ff. de accusat.* Hippolytus § *nunc videndum n. 7.* Farinac. *q. 39. num. 80.* vbi dicit, id fieri posse omni tempore, & in qualibet iudicij parte, vsque ad realem sententiæ executionem. Ratio † nulla est alia,
46. nisi fauor defensionis, & innocentiæ, ne quisquam innocens &
47. indefensus condemnetur. Expedit † tamen nihilominus, vt ante torturam fiat, quemadmodum sancit hic Imp. Rationem reddit Zierizius: ne imitemur illos, qui furem strangulari curant, & deinde disquisitionem instituunt, jurené an iniuria factum sit, vide Summam *c. 5. n. 32.* & notata *inf. art. 74.*

Ad §. Item so der.

48. QVÆRITVR † in hoc paragrapho: quid si in iam dicta inuestigatione Rei innocentia non apparuerit, & tamen adhuc confiteri nolit, quid judex porro agere, & quomodo vlterius procedere debeat? Ad hoc Respondet Imp. quod tunc

ad indi-

ad indicia modo supra dicto legitimè probata reus actualiter sit torquendus. Ratio: quia cum judex fecerit, quicquid potuit, nihil amplius reliquum erit, ad veritatem exprimendam, quam actualis tortura. vide Summam *c. 5. n. 33.* De jure tamen Bauarico vnum adhuc ante torturam necessarium est, videlicet, vt in nomarchijs in den Landtgerichten interrogatoria & responsiones rei, vnà cum explorationibus siue verificationibus, den Erfahrungen ad consilium aulicum, vel ad regimina mittantur, & absque speciali mandato nemo torqueatur, nisi delictum sit ita notorium, vt negari non possit, vel reus in flagranti deprehensus, ita vt nulla ei fieri possit iniuria, sed periculum sit, vt ex prolongatione alicui noceretur, vel aliquid negligeretur, quo in casu præfecti ducales, vel iudices quæstionem iuxta qualitatē delicti (quod reus inficiatur) maturare, & postea sine mora ad consilium aulicum vel regimina remittere possunt, *text. in art. 2. in fin. & art. 5. tit. 3.* confer notata *sup. art. 28. in fin.*

Quibus † autem præsentibus ea inferri debet? ad hoc Re- 49.
spondet Imp. judice & assessoribus duobus cum actuario præsentibus, ad quod est etiam *text. in L. custodias 12. ff. de pub. judic.* & in jure Bauarico *tit. 3. art. 10. in fine,* vbi jubetur judex durante tortura præsens esse, & diligenter attendere, quando & quomodo reus faciem & speciem mutet, quam facile vel difficulter torturam sustineat, & prohibetur interim alia negotia tractare, vel
à tormentato discedere. Ratio: quia † præsentia judicis exclu- 50.
dit omnem sinistram suspicionem, & quia ea res carnificibus atque lictoribus tutò non potest committi, qui facilè pro sua crudelitate, & nocendi cupiditate modum excederent, reos dolorum acerbitate cum vitæ periculo excruciarent, quemadmodum experientia docet, sæpe etiam præsentibus illis reos ita excruciari, vt quandoque membrorum campago dissoluatur, vel ossa confringantur, vel vt rei hac ratione prorsus enecentur. quid igitur non fieret, si hi, qui modum præscribere possunt, & ad il-
lum attendere debent, omninò abessent. Ratio † quoad actuariū 51.
est in textu, vt videlicet id, quod ex rei confessione, omniquè inquisitione constiterit, diligenter annotetur. Non tamen id, quod

in ipſo cruciatu torturæ confeſſus eſt, ſed quod remiſſa tortura fatetur, notandum eſt, *vide art 59. inf. in fin.*

52. Sed quid † de accuſatore, an & is præſens eſſe debet? Videri poſſit, quod non. Ratio: quia Imp. h. dicit, quod copia confeſſionis accuſatori ſit danda, quæ ſuperuacanea futura eſſet,
53. ſi præſens ipſe torturæ fuiſſet. Sed † hoc non attento iam ſup. *art. 55. n. 26. & ſeqq.* dictum fuit, ipſum, ſi velit adeſſe, excludi
54. non poſſe. Quia, autem † non magna voluptas eſt huic ſpectaculo adeſſe, & aliqui longius abeſſe malunt, aliqui verò confeſſiones rei memoriâ comprehendere non poſſunt; ideo rectè prouiſum eſt hoc loco, vt accuſatori, quantum ad ipſum pertinet, aperiatur, petenti copia confeſſionis detur, neque ſtudio & dolo-
55. sè quicquam celetur. Ratio: quia † acta omnibus, quorum intereſt, ſunt communicanda, *VVeſenb. n. 12. ff de edendo*, atqui confeſſio rei non minima pars actorum eſt, & accuſatori eius notitia non parum neceſſaria eſt. Ergo, &c.

56. Hoc † loco congruum eſſet, aliquid de modo torquendi, & de gradibus torturæ dicere, ſed quia Imp. infra *artic. 58.* peculiariter aliquid egit, & hic articulus iam ante ſatis excreuit, ideo eò vſque tractationem iſtam differemus, vbi ad longum modum torquendi deſcribemus.

Quomodo rei, qui in tormentis delictum fuerunt confeßi, poſtea extra torturam vlterius ſint interrogandi.

ARTICVLVS XLVIII.

SVMMARIA.

1. Reus confeſſus quomodo extra torturam interrogandus? & quare? n. 2. 3. 4. 5.
6. Confeſſus homicidium quomodo interrogandus? & quare. n. 7.
8. Cur ſuper cauſis? 9. loco & tempore? 10. auxilio? 11. cadauere? 12. armis & vulneribus? 13. emolumento.
14. Confeſſus furtum vel latrocinium quomodo interrogandus.

De

De cæde vel homicidio confessato.

SI reus † tortus crimen sibi imputatum fuerit confessus, eius 1.
que confessio fuerit annotata, tunc examinatores eum super circumstantijs distinctè & diligenter interrogare debent, eo modo & ordine, quo sequitur, & quo ad veritatis inuestigationem commodissimè perueniri poterit. Ratio † habetur in *in L.* 2.
1. §. 17. ff. de quæst. quia D. Seuerus rescripsit, confessiones reorum pro exploratis facinoribus non esse habendas, si nulla probatio religionem cognoscentis instruat. *L. 1. §. item illud 24. ff. ad SC. Syllan:* Ergo non statim confessionibus acquiescendum, vel ad pœnam procedendum est, sed rei super singulis circumstantijs, videlicet persona, causa, loco, tempore, qualitate, quantitate, & euentu, distinctè & diligenter sunt interrogandi, & præcipuè super talibus circumstantijs examinandi, quæ delicti pœnam augere, vel minuere, iudicem in cognitionem criminis facilius inducere, *vide inf. art. 49. n. 3. art. 50. n. 4.* & ad veritatem plenius inuestigandam inseruire possunt, *art. 51. n. 1.* Quod præcipuè in confessionibus per cruciatum expressis verum est: eæ enim per se fidem non merentur, neque ad condemnationem sufficiunt (etiamsi legitimè extortæ, & ratificatæ fuerint) sed tunc demum, quando per certa signa declaratæ & verificatæ fuerunt, ita vt judex credere possit, reum vera confessum esse. vide *inf. art. 50. n. 3.* & Summam *c. 7. n. 6. & 7.*

Ratio † rationis: quia licet in ciuilibus causis confessus ha- 3.
beatur pro judicato, *L. 1. ff. de confess.* in criminalibus tamen confessio non libera, *(de qua vide Dn. VVeizenegger dissert 6. c. vlt. n. 163. Zanger. c. 5. n. 23.)* sed per cruciatum extorta non sufficit ad condemnationem: quia tortura res est fragilis & periculosa, quæ veritatem facile fallit, quia aliqui tanta sunt impatientia, vt in quouis mentiri, quam pati tormenta velint, *L. 1. §. quæstioni 23. ff. de quæst.* proinde confessio, quæ tormentis expressa est, non statim fidem meretur, sed tunc demum, quando per certa signa verificabitur. Iudicis † proinde est inquirere in singulas circum- 4.
stantias, vt ipsi plenè constet, an reus sit verè confessus, an verò tormentorum cruciatu mentitus, *vide Zanger, c. 5. n. 21. & seqq.*

&

& n. 59. Ioannem Emericum à Rosbach prax. crim. tit. 5. c. 31. n. 1.

5. Ratio alia: quia † qui de se confitetur, est quodammodo testis in propria causa: atqui quando testis examinatur, de singulis circumstantijs prudenter interrogari, & de causis, personis, loco tempore, visu, auditu, scientia, credulitate, fama, & certitudine plene examinari debet, *c. cum causam 37. ext. de testib.* Ergo idipsum faciendum est, cum reus examinatur. Singulariter autem hic NOTANDVM: Imperatorem iudicem non adstringere ad illas ipsas interrogationes, quas in hoc & seqq articulis exempli tantum causâ pro aliqua informatione enarrauit, nam prætérquam quod exempla non restringant, sed declarent, *L. 9. §. 3. vers. & licet municipium ff. de jur. & fact.* Imp. ipse *in hoc artic. 48.* tales interrogationes formare iussit, quales *ex parte* sequentur, *& similes,* id est, alias, quæ ad explorandã veritatẽ necessariæ videbuntur. Ratio est: quia circumstantiæ istæ in facto consistunt, quæ autem facti sunt, certò definiri, & vnâ aliquâ regula comprehendi non possunt, *L. 32. in pr. ff. de vsur. L. 3. §. 2. ff. de testib.* confer Summam *c. 7. n. 15.*

Ad Versic: Vnd nemblich.

6. SI reus † in specie confessus fuerit homicidium, tunc interrogandus est primò, qua de causa fecerit. 2. quo die & hora, 3. quo in loco. 4. an & quis ipsi opem tulerit. 5. quò posuerit vel sepelierit cadauer. 6. quibus armis cædem commiserit. 7. quæ & qualia vulnera inflixerit, quomodo aliàs ipsum læserit, vel occiderit. 8. quid pecuniæ vel bonorum occisus habuerit, quid ipsi eripuerit, cui vendiderit, vel quo alio modo alienauerit,

7. vbi occultauerit, &c. Ratio † communis horum omnium est, quia ex his & similibus veritas elucescit. Ratio alia: quia tales circumstantiæ delicti pœnam augere possunt & minuere, vnde Claudius Saturninus *in L. 16. ff. de pœnis* dicit: quod delicta consideranda sint septem modis: causâ, personâ, loco, tempore, qualitate, quantitate & euentu, & vt Gothof. *ibid.* notat: atrocitas crescit ex his, quid factum sit, à quo, in quem, quo animo, quo loco, quo tempore, quo modo, *Bernhard. Zieriz. h.*

8. Ratio † specialis quoad causam est ista: quia per causas quan-

quandoque cognoſcitur innocentia, quandoque peruerſitas rei: etenim ſi cauſæ non ſunt veriſimiles, rei non damnantur, *Roſb. loc. cit. n. 3.* inprimis ergo peti à reo debet, cur fecerit, & cur occiderit, (potuit enim factum fuiſſe cauſâ defenſionis, vel ex juſſu ſuperioris, cui parere neceſſe habebat,) dignum eſt enim odio ſcelus, quod non habuit cauſam, *Gothof. loc. cit.*

Ratio † temporis & loci eſt: quia varia ſtatuuntur ex loco 9.
& tempore, *argt. L. 1. §. meritò 2. ff. depoſiti.* & maius aut minus fit (quamuis aliàs idem ſit) tempore, loco & cauſa, *Zieriz. h.*
Ratio † quarti, nimirum auxilij eſt, tum vt in auxiliatores inqui- 10.
ri, tum verò, vt cognoſci poſſit, an veriſimiliter reus (forte debilis) occiſum (forte robuſtum) occidere potuerit. Ratio † quin- 11.
ti: vt ex inſpectione cadaueris qualitas vulnerum, & ipſum corpus delicti deprehendi poſſit, *per text. in L. inde Neratius 23. §. vlt. ibi: cæterum hominem occiſum eſſe oportet ff. ad L. Aquil. L. 1. §. item illud 24. ibi: liquere igitur debet ſcelere interemptum ff. ad SC. Syllanian:* Ratio † ſexti & ſeptimi, vt cognoſcatur, an vul- 12.
nera fuerint lethalia, an arma peculiariter ad cædem parata.
Ratio † octaui: quia nemo conatur ad maleficium accedere, ſine 13.
ſpe atque emolumento, *Cic. pro Roſcio. & Remus art. ſeq.* & inde cognoſci poteſt, an animo lucrandi, tanquam latro, an verò nocendi tantum, & ſeſe vindicandi, ad delictum hoc patrandum acceſſerit, vt poſtea debitâ & condignâ pœnâ affici poſſit.

Hæ ipſæ † quæſtiones non modò de homicidis, verum eti- 14.
am magna ex parte de furibus & latronibus haberi poſſunt.

De proditione confeſſata.

ARTICVLVS XLIX.

SVMMARIA.

1. Confeſſus proditionem quomodo interrogandus? & quare? 2. 3. 4. 6.

5. Inter ſpontaneam & neceſſariam proditionem diſcrimen.

SI proditionem † quis in tortura confeſſus fuerit, v. g. quod 1.
remp. vel Principem prodiderit, quod ſecreta domini ſui

aperuerit, quod alium in manus inimicorum tradiderit, vel alijs similibus modis proditoriè egerit, de quibus vide Baiard. *in addit ad Iul. Clar. q. 68. n. 106.* & Farinac. *q. 18. n. 73. cum mult. seqq.* non statim ad pœnam capitis (quæ huic delicto aliquando imponi consueuit, *L. fallaciter vbi gl. v. proditm C. de abolit. Iul. Clar. §. f. q. 68. n. 33.*) procedendum, sed reus vlterius interrogandus est, quis ipsum conduxerit, quid & quantum eius rei nomine acceperit, vbi, quomodo & quando hoc factum fuerit, & qua de

2. causa facinus hoc ausus fuerit. Ratio † generalis est ista: quia confessio indistincta, implicita, generalis, & minus expedita ad condemnationem minimè sufficit, licet reus fateatur maria & montes, vt post Hippolytum loquitur Zieriz. *praced. art. 47.* Ergo supra confessionem etiam de alijs credendi argumentis bonus judex sollicitus esse debet, vt de explorato sibi constet facinore.

3. Ratio † specialis, & cur de his circumstantijs interrogandus sit, est ista: quia possunt delictum eiusque pœnam augere, vel minuere, & judicem in cognitionem veritatis facilius deducere.

4. Plerumque † enim proditiones pro mercede, & lucri participandi causâ fiunt, juxta illud Iudæ Iscariotis: quid vultis mihi dare? & ego eum vobis tradam. de quo si constat, & de libera voluntate, vtique grauiore animaduersione opus, quam si ex necessita-

5. te factum fuisset. Quemadmodum † superioribus annis, & miseris hisce belli temporibus sæpissime factum, vt homines quidam perniciosissimi hostibus vel bona abscondita suorum conciuium, vel personas ipsorum in latebris degentium, imò subinde integras ciuitates, castella, & prouincias, & occultos ad eas aditus proderent. Quod si sponte fecerunt, vtique aliter puniendi erunt, quam si coacti & necessitati fecissent, quod etiam non rarò contigit, vt videlicet nolentes volentes prodere quandoque debuerint, nisi iacturam vitæ propriæ, & omnium bonorum facere voluerint: quemadmodum scio vnum æditum squalido carcere diutissimè fuisse detentum, vt thesauros à prælato abscondi-

6. tos proderet. Vt itaque † de corpore delicti, & de conditionibus aggrauantibus, vel releuantibus constet, reus proditionem confessus interogari debet, qua de causa scelus hoc commiserit, quis illum

illum instigârit, vel mercede conduxerit, vbi & quando conuenticula cum inimicis habuerit, quomodo prodiderit, quid eo nomine, & quibus præsentibus aliquid acceperit, vt judex postea maiorem inquisitionem, & veritatis indagationem facere, & pro re comperta debitam pœnam reo imponere, vel innocentem absoluere possit.

De confessato veneficio, vel intoxicatione.

ARTICVLVS L.

SVMMARIA.

1. Confessus intoxicationem quomodo interrogandus? n. 2.
3. Quare? 4. 5. quomodo circumstantiæ in veritatis cognitionem ducant? 6. quomodo ad rei condemnationem vel absolutionem faciant? 7. 8.

SI reus † per torturam interrogatus fateatur intoxicationem, 1. quod videlicet aliquem veneno necauerit, aut necare voluerit, etiam tunc interrogari debet de omnibus circumstantijs, eo modo, quo dictum est (mutatis tamen mutandis,) insuper † 2. de hoc in specie: quid ipsum mouerit, quomodo veneno vsus fuerit, vel vti voluerit, vbi emerit, à quo, quando, quanti, per quem dederit, quis ei opem & consilium dederit. *text. h. & Rosbach. tit. 5. c. 31. n. 4.* Ratio † generalis semper eadem redit; 3. quia licet de delicto constet, & licet confessio sit legitimè habita per torturam, esto etiam, quod sit ratificata: non erit tamen sufficiens ad condemnandum, nisi fuerit declarata à reo per signa, per quæ verificetur judex, reum vera esse confessum, *idem c. 32. n. 17.* Ratio † specialis est ista: quia circumstantiæ istæ variant 4. pœnam, & ducunt judicem in cognitionem veritatis. Si enim † edicit, à quo, quando, & quanti emerit, judex venditorem 5. desuper audire, & deprehendere poterit, vtrum verum dixerit, nec ne, deinde vtrum venenenum mortiferum fuerit, & is ipse, qui talia venena obuio cuiuis vendidit, postea debito modo puniri potest, per tradita sup. *inf. artic. 37.* Si † aperit, quomodo 6. vsus fuerit, inde constabit, an ita temperauerit, vt impunè loco medicinæ adhiberi potuerit. Si † causam intoxicationis mani- 7.

festauerit, inde patebit, an medendi, an verò necandi animum
8. habuerit. Et quia † modus præparandi sine damno non omnibus notus est, ideo, si indicat, à quo edoctus, vel instructus fuerit, vlterius inquiri potest, & an non illi ipsi doctores fata alterius præparauerint, vel saltem scientiam habuerint.

De confessato incendio.

ARTICVLVS LI.

SVMMARIA.

1. Confessus incendium quomodo interrogandus? 2. & quare?

1. SI reus † in tortura fateatur incendium, huic confessioni nondum acquiescere, sed ad veritatem plenius deinde inuestigandam vlterius judex interrogare debet, quâ de causa, quo tempore, quibus socijs & auxiliatoribus (sicut in præcedentibus etiam notatum est) idipsum fecerit, quâ materiâ ignem iniecerit vel subiecerit, à quo acceperit, vel vnde sibi eam comparauerit.
2. Ratio: vt † cognosci possit, an materia sit talis, quæ ignem occultum foueat, aut facile concipiat, an sit de fomitibus, quibus incendia excitari, aut commodè in alienas ædes immitti possunt, item vt is, à quo se accepisse dicit, audiri, & si nonnihil suspectus sit, pariter examinari possit, an conscius criminis fuerit, an non forte reum instruxerit, subornauerit, vel corruperit, & si quæ sunt alia similia, pro re nata quærenda & indaganda. Confer sup. *artic. 41. & inf. art. 125.*

De magia, siue maleficio, aut sortilegio confessato.

ARTICVLVS LII.

SVMMARIA.

1. Confessus magiã quomodo interrogandus? 3. 4. & quare. n. 2.
5. Defossa aut abscondita defodi & promi debent, & quare? n. 6.
7. Nocumentum datum inuestigari. 9. & quare n. 8. 10.
11. Si fateatur tale quid, quod nulla vestigia reliquit?

12. Tunc

12. Tunc pro explorato crimine habendum?
13. Dummodo confeßio sit libera, certa, clara, verisimilis legitimè facta.
14. Quid si non sit libera, sed tormentis expressa?
15. Cur adhuc alia cautela adhibenda?
16. De magistris cur interrogandi sint magi? 17.
18. Plura interrogatoria remißiuè.

IN hoc articulo † declarat Imperator, quomodo magi, sagæ, & veneficæ, si magiam, incantationes, aut magica maleficia in tortura fateantur, vlterius super causis & circumstantijs debeant examinari. 1.
Ratio † secundum Zierizium: quia non obiter aut superficialiter, sed exactè de hoc enormi & abominando crimine debet constare. Neque enim delicti huius atrocitas, quæ per se maxima est, id operatur, vt quolibet summario processu causa hæc rectè ventiletur, quemadmodum aliqui existimant, sed ordinariè proceditur, vt pluribus allegationibus probat. Berlich. *tom. 4. conclus. 4. n. 4.* 2.

Peculiariter † autem interrogari debent: quomodo, quibus medijs, quando, quibus verbis, aut factis, incantationi operam dederint. 3.
Ratio: † quia ex signis, characteribus, herbis, morticinis, sacrificijs, venenis, liquoribus, pulueribus, suffitibus, alijsque similibus rebus adhibitis, nec non ex dictis, verborumque conceptis formulis, diris deuotionibus, cacadæmonis inuocationibus, susurris, chiasmis, & alijs gesticulationibus discretus iudex cognoscere, & dictis factisque bene expensis deprehendere potest, vtrum cum magia cognationem, & vires nocendi habeant, nec ne? *vide Remum & Matth: Steph. h. Gilhaus. h.* adde Summam *c. 7. n. 13.* 4.

Ad Versic: So dann.

SI fateatur † se aliquid defodisse, aut alicubi asseruasse, quod ad magiam & incantationē seruiat, id statim refodi & inuestigari debet. 5.
Ratio: quia † in ijs, in quibus relinquuntur aliqua vestigia, confessioni reorum per torturā expressæ non statur, nisi postea constet de corpore delicti, *Dn: VVeizeng. dissert. 6. c. vlt. n. 164.* vbi Infert: † idem etiam esse tunc, si reus fateatur se necem pecoribus, infantibus, vel alijs hominibus intulisse, pau- 6. 7.

 periemq;

8. periemque agris fecisse. Rationem † reddit eandem, quam nos sup. *art. 48.* in genere adduximus, quia D. Seuerus rescripsit, confessiones reorum pro exploratis facinoribus haberi non debent, si nulla probatio religionem cognoscentis instruxerit, *L. 1.*
9. *§. D. Seuerus ff. de quæst.* Si proinde † indicauerint, quod certis personis nocuerint, & quale damnum intulerint, tunc iudex in indaganda confessionis veritate non somnolentus & facilis esse debet, sed diligentissimus & curiosus, Weizenegg. *loc. cit. n. 165.*
10. vbi geminam Rationem † reddit: tum quia veritate compertâ reliqua maleficorum confessio inprimis confirmatur: tum quod iustitia processûs ea ratione manifesta redditur. Adde Farinac. *q. 2. n.26.* vbi dicit: si fateatur infantes vnum vel plures suis maleficijs, vel aliàs occidisse, tunc eis non esse credendum, nisi verè & realiter illos fuisse occisos aliter constet, quam ex eorum confessione.

11. Quid si † autem saga confiteatur aliquid tale, quod nullum post se relinquit vestigium, v. g. quod DEVM ac fidem Christianam abnegauerit, quod se dæmoni deuouerit, cum eodem rem venercam habuerit, SS. Eucharistiâ, & Sacramentis alijs abusa fuerit, quod sagarum conuentibus interfuerit? quod ad ludos
12. & choreas processerit? ad hoc Respondet *id. ibid n. 26.* quia † aliter de corpore delicti constare nequit, & aliter indagari non possunt, neque extrinsecus verificari, ideo pro exploratis criminibus haberi, & absque alio condemnari potest, iuxta illud: ex
13. ore tuo te iudico. Sed hoc † Dominus Weizenegg. *n.163.* tunc intelligit verum esse, si confessio sit libera, eaque certa, clara, verisimilis, legitima, coram iudice competente facta, contrarijs innocentiæ indicijs ac aliorum maleficorum exculpatione non elisa.
14. vide Summam *c. 7. n. 23.* Si autem confessio † non sit libera, sed tormentis expressa, putarem ego iudicem adhuc alias cautelas, de quibus postea, adhibere debere, vide tamen etiam Zanger. *c. 5.*
15. *n. 47. & seq & n. 68.* Ratio: quia † sæpe numero compertum est, reos ex torturæ intolerabili cruciatu, & ex desperatione audacter confessos esse, quæ ne cogitâssent quidem vnquam, nedum opere complêssent, vtique vel quodlibet mortis genus alacriores subituri, quam tam inhumanum cruciatum diutius perpessuri, *vide Damhaud. in pract. crim: c. 38. n. 4. seqq.* Ad

Ad Versic: Sie soll auch.

INter † cætera jubet Imp. magiam confessum etiam de hoc interrogari, à quo didicerit, quo magistro vsus fuerit, quâ ratione ad id flagitium, & ad consortium magorum illectus illectavé fuerit. 16.
Ratio: vt † deinde in vitam illorum perversorum tacitè inquiri, vel si iam ante delati, capti, & iustificati fuissent, tantò magis reo, verisimilia deponenti, credi, & quia magistratus ex confessionibus aliorum probè norunt, quibus illecebris homines ad hoc scelus perducantur, ex illa occasione tutius & securius, præsertim si ad opus extrinsecum reus processisset, & nullum materiale vestigium appareret, procedi posset. 17.
Plura † interrogatoria format Dominus Besoldus *in thesaur pract.* v. Hexen *rubrica* Fragstuck so den Hexen für zuhalten/ *& constit: Bau: de anno 1611. f. 39. artic: 14.* 18.

Quomodo in alijs nondum nominatis delictis reus in tortura confessus vlterius sit interrogandus?

ARTICVLVS LIII.

SVMMARIA.

1. In delictis nondum nominatis quomodo confessus interrogandus? 2. non potest certa regula tradi? 3. sed debet de similibus ad similia procedi. 4. pro arbitrio discreti iudicis. 5. ea tamen solummodo interroganda, quæ si innocens quis esset, nec scire, nec eloqui posset.

6. Confeßio rei ijsdem formalibus verbis annotanda.

7. Et quæ alia ab actuario obseruanda.

AD hanc † quæstionem Respondet Imperator, quod prudens & discretus iudex ex breui hac instructione bene colligere possit, quid pro qualitate rei, post delictum à reo torto confessatum, amplius & vlterius sit interrogandum, quod ad veritatis cognitionem seruiat. 1.
Ratio cur † in specie non explicet, habetur in textu, quia nimis longum foret omnia recensere, 2.

ſere, & quiuis rerum forenſium peritus facile ex prædictis intelligit, quomodo ſimiles interrogationes in cæteris caſibus formare debeat. Nam quià non omnes articuli ſigillatim legibus, Senatuſconſultis (aut conſtitutionibus) comprehendi & includi poſſunt: ideo is, qui juriſdictioni præeſt, de ſimilibus ad ſimilia procedere debet, *L. non poſſunt ff. de LL. Remus & Matth: Steph. hic* vide inf. *art. 143. v.* aber ſolche Vrſachen alle. Quemadmo-
3. dum † ergo in alijs diſciplinis certæ regulæ, & canones fundamenti loco collocantur, ex quibus tanquam principijs progreſſus deinde fit ad alia: ita in hac ſua ſanctione Imperator varios modos interrogationum iuxta ſeriem delictorum, velut in tabella ob oculos poſuit, non vt in illis iudex præcisè acquieſceret, ſed potius pro varietate perſonarum, locorum, temporum ſapienter attemperaret, *Bern Zieriz. h.*

4. Ex dictis † ergo deprehenditur, quod modus interrogandi prudentiæ, diſcretioni, & arbitrio boni judicis ſit relinquendus. Ratio: quia quoties quid legibus aut jure definitum non eſt, toties ad boni viri arbitrium recurrendum eſt, *id ibid.* Nihilomi-
5. minus † tamen ad informandum iudicis arbitrium Imp. generalem regulam tradit, & ea ſolummodo quærere jubet, quæ ad indagationem veritatis faciunt, & quæ ſi innocens quis eſſet, nec ſcire nec eloqui facilè poſſet. Confer Summam *c. 7. n. 15.*

Ad Verſic: Vnd wie der gefragt.

6. IN hoc † Verſic: monet Imperator actuarium, vt confeſſionem rei diligenter annotet, & quidem eo ordine, ijſdemque formalibus verbis, quibus ipſe crimen cum ſuis circumſtantijs enarrauit, ſiue pulchra ſint, ſiue ſordida & turpia. confer Summam
7. *c. 1. n. 8* Ratio: quia † ſæpe ſæpius accidit, vt ob Notarij, vel ſcribarum imperitiam, vel dum elegantiam affectant, vel alia ex cauſa, actis verba à reo nunquam prolata inſerantur, quorum vel vnum iudices, vel Iuriſperitos ad iniuſtam condemnationem, vel abſolutionem mouere poſſit, Weizzenegger *ſæpe dict. diſſert.*
8. *6. c. pen. inf. n. 160*, vbi proinde † monet, vt judex confeſſionem & defenſiones rei, quem examinat, optima fide in acta recipi, nec alia verba, quam quæ à reo prolata ſunt, (per extenſum tamen,

men, vt loquuntur, der länge nach) conscribi curet. Sed nec adjectionem vllam, quæ rem vel augere, vel minuere queat, admittat, præterea sibi & reo confessionem factam disertè prælegi jubeat. confer Summam *c. 6. n. 23.*

De inquisitione indicatarum à reo circumstantiarum habenda.

ARTICVLVS LIV.

SVMMARIA.

1. Veritas circumstantiarum delicti confessati quomodo inquirenda? & quare? n. 2. 3.

4. Si circumstantiæ verificentur, tunc colligitur delictum commissum fuisse, & n. 5.

6. Curiosa & minutissima quæque non sunt interroganda. 7.

POstquam † reus delictum vel in tortura, vel extra torturam confessus, & super circumstantijs modo prædicto interrogatus fuerit, tunc judex nondum acquiescere, vel ad sententiam condemnatoriam statim descendere, sed prius veritatem circumstantiarum, (quantum quidem certitudo & necessitas causæ postulauerit) summo studio explorare debet, vtrum videlicet circumstantiæ confessatæ veræ sint, nec ne, Soll zuuor genugsame Erfahrung einziehen. Ratio est: † quia judicem cuncta rimari oportet, & ordinem rerum plena inquisitione discutere, neque ad ferendas sententias properare, *c. judicantem 11. cans. 30. q. 5. L. judices 9. cum auth. seq. C. de judicijs. Gail. 1. obs. 108. n. 5.* ne innocentem opprimat, vel nocentem dimittat, *Georg. Remus, Zieriz. Gilhaus. & Matth. Steph. hic.* Rationem † aliam assignant ijdem ibidem: quia interdum vnica circumstantia reum vel vitâ priuat, aut mortis pœnâ liberat. Rationem † tertiam superaddit, prætereaq; vim & effectum explorationis declarat Imp. in Versie. Dann so einer/ vbi ait: si reus indicauerit modum delicti commissi, cum suis circumstantijs, & illæ conueniant cum testium desuper examinatorum depositionibus, & ita in rei veritate se habere ex inquisitione habita deprehendantur, tunc bene colligere licet, quod reus delictum confessatum admiserit: præ-

sertim si tales circumstantias, in delicto admisso concurrentes
5. recensuerit, quas nemo innocens scire potest. Ratio † rationis : quia sicuti ex dissonantia confessionis cum testium depositionibus colligitur mendacium : ita ex consonantia veritas.

6. Ratio autem, cur † in parenthesi dictum, *quantum quidem necessitas postulat*, est ista : quia non est nodus in scirpo quærendus, & nimia curiositas causis experiundis nonnunquam magis
7. obest, quam prodest, *Zieriz. loc. cit.* Itaque † minutissima quæque, & ea quæ delicti pœnam neque augent, neque minuunt, nec etiam pro maiori certitudine delicti commissi faciunt, attendenda & inuestiganda non sunt. Prætor enim, vt vulgò dici solet, de minimis non curat, *L. scio 4. ff. de in integ. restit. L. si oleum in f. cum L. seq. ff. de dolo.*

Si circumstantiæ confessati delicti in indagatione falsæ deprehendantur.

ARTICVLVS LV.

SVMMARIA.

1. Quod si circumstantiæ delicti confessati falsæ deprehendantur.
2. Dennò reus torquendus, 3. & quare 4. 5.
6. Mendacium cum alijs adminiculis facit indicium ad torturam.

1. IN superiori † articulo Imp. declarauit, quid iuris sit, si circumstantiæ delicti confessati, factâ exploratione & inquisitione, reperiantur veræ : nunc vlterius pergit & tradit, quid agendũ sit, si reus in circumstantijs crimini adjectis deprehenda-
2. tur falsus. Et † statuit, vt in eo casu falsitas ista reo exprobretur, isq; seueris verbis obiurgetur, & secunda vice tormentis subijcia-
3. tur. Ratio est † in textu: vt prædictas circumstantias rectè & cum veritate indicet. Sæpe enim fit, vt rei circumstantias delicti falsò allegando putent se ea ratione euasuros, si in inquisitione non inueniãtur veræ, quod frequens est apud fures, sectores Zonarios, crumenisecas, manticularios, & id genus homines, qui teste Ziezio *hic* vera reticendo, falsaq; confitendo pœnas eludere conantur.

tur. Rationem † aliam adducit Remus hic, vbi ait: non solum ex 4.
mendacio suo nullum commodum percipere, sed ne hoc quidem, dum falsa pro veris narrant, impunè ferant, quæstionibus acerbioribus percelli debere, vt citra omnem fucum liquidò veritatem edisserant. Additque: quod † tales, qui commentitiarum 5.
circumstantiarum colore judices decipere conantur, sibi non tantùm non prosint, sed magis obsint. Ratio: quia mentiendo irritant animos judicum, se magis & magis reos produnt, & è mala causa efficiunt peiorem.

Ratio alia: quia † mendacium, cum alijs adminiculis jun- 6.
ctum, facit indicium ad torturam, *Farinac. q.52. n. 8. Hippolyt. de Marsil. in pract. crim. §. diligenter n. 74.* atqui hoc in casu mendacium est iunctum cum indicijs torturam antecedentibus, & cum confessione postea subsecuta, Ergo si reus deprehenditur in circumstantijs substantialibus mentitus, denuò tormentis est subijciendus: quia mendaces oderunt jura, *L. 7. C. de diuers. rescript. L. 5. C. si contra jus vel vtil. Remus, Zierizius & Matth. Stephani h.* Ratio † tertia: quando reus reuocat confessionem 7.
suam, tunc iterum tortura potest repeti, vt inf. *artic. 57.* dicetur: atqui quando circumstantias falsas edisserit, mendacium hoc aliquam reuocationem in se continet, *Zierizius & Stephani h. Ergo &c. vide Zanger. c. 5. n. 75. & seqq.* vide etiam Menoch. *lib. 1. de præsumpt. q. 88. n. 67. & seqq.* Iul. Clar. §. *fin. q. 45. n. 10. in fin.*

Vt reis circumstantiæ delicti non suggerantur, sed sponte eas edicere permittantur.

ARTICVLVS LVI.

SVMMARIA.

1. Suggestiua interrogatoria damnantur. n. 2. 8.

3. Reus in genere, non in specie interrogandus. 4. exemplum.

5. Confessio per suggestionem extorta nulla est. 6. & quare.

7. Interrogatoria ex inquisitione extrahi. 9. & prius in senatu recitari debent.

10. Confessio debet esse verificata.

11. Ratificata & repetita, & quomodo ratificatio fieri debeat.

12. Rationes ob quas ratificatio requiritur. 13. 14.
15. Confeßio spontanea, an etiam ratificanda? opinio negatiua. 16. Ratio. 17. opinio affirmatiua. 18. Ratio.
19. 20. pro maiori cautela ratificatio exigenda.
21. Ratificatio ad bancum quando facienda.
22. Non statim, vel paulò post torturam.
23. Sed post interuallum. 24. duorum vel plurium dierum 25. Ratio 26. pro discretione judicis.. 27. & qualitate torturæ, vel tormentati.
28. Ratificatio vbi fieri debeat? 29. 30. in loco tuto. vbi reus instrumenta torturæ videre non poßit.
31. Quibus præsentibus ratificatio fieri debeat. 32. 33.
34. Ratificatio an sit necessaria, si reus delictum extraiudicialiter sit confessus. 35. 36. 37.

1. IN præcedentibus † articulis clarè positum & explicatum est, quomodo reus, qui delictum aliquod (de quo nondum manifestè & liquidò constat) vel in tortura, vel propter commінationem torturæ, confessus fuit, super omnibus illius delicti circumstantijs interrogandus, ac desuper inquisitio facienda sit, idque ob eam Rationem: vt facti veritas & fides in apertam lu-
2. cem proferatur, & clarius elucescat. Sed quia † veritati explorandæ non parum officit, & claritas facti maximè offuscatur, si reo vel in captura, vel in tortura circumstantiæ delicti suggerantur, isque super ijs interrogetur: ideo mandat Imperator hoc loco, vt judices istas suggestiones omni modo præcaueant, & non alio modo interrogationes reo vel ante torturam, vel in ipsa tortura proponant, quam qui in superioribus articulis præscri-
3. ptus est. Cum hoc † concordat rescriptum Traiani *in L. 1. §. 21. ff. de quæst.* vbi voluit, vt is, qui quæstionem habiturus esset, non specialiter, sed generaliter tantum interrogaret. Per Rationem:
4. quia illud magis suggerentis, quam interrogantis videtur. In † exemplo: de homicidio suspectus nō debet interrogari de circūstantijs & qualitatibus specialibus, an scilicet interfecerit Titium in tali loco, tali die, vulnerando in pectore, cum ense, & sic de cæteris: sed generaliter hoc modo; an non à tanto tempore habuerit aliquam rixam, cum quo, in quo loco, qualiter, quo tempore? An illata fuerint aliqua vulnera? quæ? quot? in qua

parte

parte corporis, & his similia, Farinac. *de reo confesso & conuict.* *q.84.n.88.* vbi *n. 84.* regulam tradit, quod † suggestio tam in tor- 5.
tura, quam ante & extra eam jure judicibus prohibita sit, & ideo confessio per suggestionem extorta ad condemnandum non sufficiat, & omnia inde consecuta sint ipso jure nulla. Ratio
† ad nostrum propositum magis accomoda, est hæc: quia si judex 6.
ex suo capite, opinione, aut scientia circumstantias aliquas proponat, reus fortassis ijs statim annuet, vt eò citius se expediat, & cruciatum, vel terrorem euadat. confer Summam *c. 6, n. 12. &*
c. 7. n. 16. Rectè proinde † constitutum est in jure Bauarico *tit. 3.* 7.
art. 4. vt interrogatoria ex prius facta exploratione, siue inquisi-
tione extrahantur, clarè & intelligenter proponantur, & reo † 8.
nihil in specie, quid dicere debeat, significetur: sed permittatur sponte ad interrogatoria, prout ex inuestigatione prodierunt,
& extracta sunt, respondere: item † vt interrogatoria prius in se- 9.
natu, vel judicio, à judice vel actuario recitentur.

Ad §. Item der Gefangene.

De Ratificatione confeßionis.

IN superioribus percepimus † duas qualitates & conditiones, 10.
ad confessionem rei necessarias: scilicet vt confessio fuerit verificata, deinde vt proprijs rei verbis enarrata, & non per interrogatoria suggestiua extorta. In hoc articulo superaddit Imperator conditionem tertiam, vt videlicet confessio fuerit ra-
tificata. Nam quando † reus delictum aliquod, vel in tortura, 11.
vel in loco torturæ, vel metu tormentorum fuit confessus, non statim huic confessioni standum, aut sententia ferenda est, sed postea reus in locum liberum educi, inibique confessio eius ipsi prælegi, atque iterum audiri, & interrogari debet, vtrum in ea perseueret, ob er sich noch darzu bekenne / ob er noch darauff verharze / oder nit / *text. hic & in jure Bauarico tit. 3.* der Malefitz process Ordnung *artic. vlt. Iul. Clarus §. final. quæst. 64. num. 40. Mascard. de probat. conclus. 355. Farinac. de reo confesso & conuicto quæst. 83. c. 3. n. 67. & seqq. Ioan. Emericus à Rosbach. prax. crim.*

tit. 5. c. 32. per tot. Zanger. de tortur. & quaest. reor. cap. vlt. n. 36. VVesenb. in parat. n. f ff. de quaestion. VVeizenegg. in dissertat. 6. c. vlt. num. 175. *Hippolyt. de Marsil. § quoniam n.* 1. *Soarez lit. C. n. 238. Gomez. var. resol. tom 3. c.* 13. *n. 24. in pr.*

12. Rationem † reddit Farinac. *n. 68.* & post eum Weizenegg. talem: quia tortura res fragilis est, & periculosa, & aliqui tanta sunt impatientia, vt in quouis mentiri potius, quam pati tormenta velint.
13. Ratio † alia: quia si id, quod calore iracundiae, & iusto animi dolore fit, vel dicitur, non prius ratum est, quam si perseuerantia apparuerit, *L. quicquid 48. ff. de R. I.* quomodo ratum erit, si dolore torturae & cruciatu corporis fit.
14. Ratio † tertia: quia confessio in tormentis facta censetur metu extorta, *VVesenb. loc. cit.* sicut autem metus purgatur per subsequentes actus voluntarios, *L. 2. C. de his, quae vi. L. 4. C. eod. vbi VVesenb. n. 7.* ita quoque hoc loco vis purgatur, quando reus extra locum torturae eiusmodi confessionem liberè renouat, Wesenb. *de quaest. n. f.* vbi in fine † Rationem quartam superaddit, vt ita geminata & scripto comprehensa confessio amplius reuocari non possit. Quibus omnibus superaddit Gilhaus. vt si forte quaedam reuocare, aut ante minus rectè dicta emendare, atque explicare voluerit, illud facere posit.

15. Et in † hoc est differentia inter confesionem coactam, tormentis scilicet, vel metu tormentorum expressam, & inter confesionem spontaneam, quod videlicet illa per se ad condemnandum non sufficiat, sed ratificanda sit, ob Rationes paulò ante allegatas: spontanea verò, sine tormentis & minis facta ratificatione non indigeat, sed reus sponte confessus sine alia perseuerantia vel confirmatione condemnari posit, *Rosbach. dict. tit 5. c. 29. n. 4. idem c. 30. n. 10. VVeizzenegg. loc. cit. Farinac: q. 81. n. 8. Iul: Clar. §. f. q. 65. n. 1. Baiard. in addit. ad ipsum n. 9.*
16. Ratio † est: quia reus hoc ipso satis perseuerare censetur, si eam non reuocet, *Farin. loc. cit. n 10.*
17. Nihilominus † tamen quia Hippolyt. de Marsil. *in practic. crimin. §. postquam. n. 22.* qui auriga criminalistarũ dicitur, contrarium tenet, quod videlicet in criminalibus, si quis vltrò confiteatur, sine tormentis, sed sponte, ex tali confesione condemnari non posit, nisi in sua confesione perseuerauerit,

arg.

arg. L. 2. C. de custod. reor. Per † Rationem: (non ita quidem firmam) quia talis, qui non apprehendit periculum vitæ suæ, non videtur in plenitudine vel rectitudine intellectus; *vide eund.* §. *quoniam 17. n. 18.* & quia in *L. 1.* §. *si quis vltrò 27. ff. de quæstion.* expresse dispositum reperitur, quod si quis vltrò de maleficio fateatur, non semper ei fides habenda sit, propterea quod nonnunquam metu, aut qua alia de causa in se confiteantur: & Dd. aliàs volunt, quod non sit audiendus perire festinans *L. 1.* §. *diuus. 5. ibi: si vltrò aliquid dixerint. & d.* §. *27. ff. de quæstion.* ideo † alij dubitant, an confessio spontanea ratificari debeat, *vide Rosbach: dict. c. 30. n. 10. Farinac: quæst. 81. n. 9. Guid. Pap. decis. 339. n. 1.* Ego † cum Farinac: *n. 10.* & Weizzeneg. *dict. n. 175.* existimo hanc ratificationem pro maiori cautela esse exigendam: quia securius est superfluum admittere, quam necessariũ omittere, vide *Gail. 1. obs.* 81. *n. 9.* & Weizenegger *n.* 175. vbi securius putat exigi ratihabitionẽ, etiam si confessio adminiculis sit suffulta. confer Summam *c. 6. n.* 16. Vide etiam Thomam Mezger. *consil. crim. 15.* vbi tertiam opinionem adducit eorum, qui volunt, reum sponte confessum non debere statim condemnari, sed esse ei per iudicem assignandum terminum, ad opponendas suas exceptiones, de quo vide *art. 60. n. 20.* & si intra constitutum terminum nihil probauerit, quod possit propter vnicam confessionem in iudicio factam condemnari.

18.

19.

20.

Sed circa istam ratificationem iam † vlterius Quæritur Primo: quando illa ratificatio facienda sit? ad hoc in iure Bauarico *dict. art. final.* nihil certi respondetur. Sed Carolus Imp. in præsenti articulo expresse definiuit, quod ratificatio non debeat fieri statim, & in continenti, vel paulò post torturam. Ratio: † quia præsumitur adhuc durare metus tormentorum, vel torturæ dolor, ideoque intercedere debet aliquod intervallum, donec dolor tormentorum cesset, *Iul: Clar. n.* 41. *Farinac. n. 73.* 21. 22.

Quantum † autem temporis inter ipsam torturam & ratificationem intercedere debeat, Doctores certò non definiunt, neque etiam in iure antiquo determinatum fuit, proinde aliqui tres dies & noctes, alij ad minimum vnius diei & noctis intervallum, vel 24. horarum spatium, alij vnam noctem intermediam requisiuerunt: 23.

fiuerunt: alij in arbitrium iudicis reposuerunt, prout videre est apud Iul: Clar. *loc. cit. quæst. 64. n* 41. Anton. Gomez. *tom*: 3. *c.* 13. *n.* 24. Bernhard. Zieriz. *h.* Matth. Steph. *art. seq.* Mascard. *loc. cit. n.* 1. *&* 2. Farinac: *n.* 73. *& seqq.* Wesenb. *loc. cit. n. f.*

24. Sed † Imp. noster CAROLVS V. in præsenti articulo voluit differri ratificationem, zum wenigsten vber den andern oder mehr Tag nach der Marter / prout nimirum tortura fuerit leuis vel
25. grauis, & persona tormentata debilis vel robusta. Ratio † secundũ Emericum à Rosbach. *tit. 5. c. 32. n. 3.* quia per solam diem & noctem reus animo confusus, doloris impatiens facile non resipiscit, & adhuc dicitur esse in cruciatu, nisi aliquo bono spatio
26. conquiescat. Debet itaque † iudex, cuius discretioni & arbitrio hoc relinquitur, (ibi: nach gutbeduncken deß Richters) considerare qualitatẽ personæ tormentatæ, & qualitatem illati tormen-
27. ti. Ratio: † quia confessio rei debet esse voluntaria, & dolores torturæ fuisse sopiti: atqui ex qualitate torturæ illatæ, & personæ tormentatæ, verisimiliter deprehendi potest, quanto temporis spatio cessauerit dolor, & metus tormentorum. Ergo. *Zierizius & Iul. Clar. loc. cit.*

28. QVÆRITVR SECVNDÒ: vbi † fieri debeat illa ratificatio, & quo in loco? Ad hoc Respondent diuersimodè Doctores. Gomez putat, quod debeat reduci ad locum, in quo ante torturam
29. erat, vel saltem ad locum alium à tortura remotum. Alij † putant ducendum esse non ad carcerem, in quo forte antea permanebat, sed ad bancum juris, & ad locum judicij *Iul. Clar. n.* 42. *Farinac. n.* 71. *& seq. Dn. VVeizenegg. dict. n.* 175. *Zanger. n.* 73. Ius Bauaricum vult, daß die bekandtnuß dem Gefangenen nit am orth strenger Frag / sondern in der Schergenstuben wider vorgelesen werde. Similiter CAROLVS Imperator mandat, vt reus du-
30. catur in die Büttelstuben / oder ander Gemach. Vno † verbo: debet duci extra locum torturæ, & extra illius aspectum, ita vt reus tormenta, seu instrumenta ad torquendum, videre non possit. Ratio: quia aliàs dici posset, quod adhuc duraret metus tormentorum, *vid. Farinac. n.* 71. *& Iul: Clar. n.* 42.

31. QVÆRITVR † TERTIÒ: quibus præsentibus ratificatio fieri debeat? Gomez *d. n.* 24. putat, quod judex debeat reum ad se-

vocare,

vocare, & facere sibi per tabellionē causæ relegi confessionem in tormentis factam. Iul: Clarus † d. n. 42. & Farinac. n. 71. pu- 32.
tant, de jure communi debere testes adhiberi, testantur autem id in practica non seruari, sed stari actis factis per Notarium coram judice. Ius † Bauaricum vult confessionem illis primò, qui tor- 33.
turæ interfuerunt, postea reo prælegendam. Constitutio Carolina desiderat, vt confessio ab actuario prælegatur coram judice, & duobus assessoribus. Ratio: quia est actus magni præiudicij. *Clar: d. n. 42.* Ergo meritò in tali ratificatione adhibendi sunt testes.

Quidsi † autem reus delictum fuisset extraiudicialiter con- 34.
fessus, ac propterea accedentibus alijs adminiculis tortus, & in tortura iterum confessus, nunquid geminata illa confessio ad condemnationem sufficit, sine alia ratificatione? aliqui putant, quod sic. Sed † hæc opinio Emerico n. 6. non placet, per Ratio- 35.
nem: quia ex confessione extraiudiciali oritur indicium ad torturam, sicut ex alijs: atqui confessio facta in tormentis ex alijs indicijs debet ratificari. Ergo etiam hic ratificabitur. Ratio † 36.
alia: quia confessio extraiudicialis, ob quam reus quæstioni subjectus est, jam operata est suum effectum, Ergo alium effectum sortiri non debet, *Zanger. n. 74.* Ratio † tertia: quia confes- 37.
sio extraiudicialis præcedens potuit esse facta gloriosè, prout sæpe contingit: alia illa iudicialis in tortura metu torturæ, & sic apud judicem prudentē aliquid dubij remanet, *Farinac. num. 81.* Proinde Dn. Weizenegger *dict. n. 175.* existimat, securius & cautius fieri, si ratificatio rei expetatur, vide Gomez. *l. 3. c. 13. n. 8. vers. & in tantum* Vasq. *l. 2. illust. controu. c. 83. n. 13.*

Quidsi reus confessionem reuocet.

ARTICVLVS LVII.

SVMMARIA.

1. Reus confessionem suam reuocans, durante eadem suspicione, iterum torqueri debet. 2. 3. non ad confitendum, sed ad perseuerandum. 4. quia præter priorem confessionem reuocatio & variatio nouum faciunt indicium. 5. & facile esset cuiuis reuocare & euadere. 6. nisi in ipsa tortura, minus aperte confessus

fuerit & statim reuocauerit. 7. *tunc enim emendatio potius quã variatio est.* 8. 9. *vel nisi reus credibiles causas suæ reuocationis alleget: vel dicat se errasse, & errorem probare velle.* 10. *tunc enim ad probationem admittendus, siue sponte, siue in tormentis fassus sit.* 11. *Ratio & exemplum.*

12. *Errorem non probans torqueri potest.*

13. *Etiamsi dicat, se fassum fuisse dolore tormentorum.* 14. *ratio.*

15. *Et si negando persliterit, non est tertiò torquendus.* 16. *Ratio* 17. 18.

19. *In secunda tortura iterum fassus, & ad bancum juris iterum reuocans non est iterum torquẽdus.* 20. *quia indicia non sunt diuersi generis.* 21. *nisi prima tortura nimis fuisset leuis pro primis indicijs.* 22. *ratio.* 23. *limitationes aliæ remißiuè.*

24. *Reus ex causa reuocationis non potest vltra tertiam vicem torqueri.*

25. *Nisi superueniant noua indicia diuersi generis grauiora prioribus.*

26. *Sed debet absolui.*

1. QVÆRITVR † in hoc articulo: quid iuris sit, si reus confessionem suam (siue liberam, siue tormentis expressam, Zanger. *n.* 75.) reuocauerit, seu id, quod semel confessus est, postea rursus negauerit, & tamen eadem suspicio adhuc du-
2. ret? Ad hoc † Respondet Imp. quod debeat in carcerem reduci, & iterum torqueri, adde jus Bauaric. *tit.* 3. *art* 13. §. Item wañ einer / & Summam *c.* 5. *num.* 67. Idem respondit Iul: Clar. §. *f. q.* 21. *vers. vlterius quæro.* 36. *quæst.* 64. *n.* 43. & *n. f. inf.* Farinac.
3. *q.* 38. *n.* 91. *Berlichius p.* 4. *conclus.* 4. *n.* 85. & 86. Quamuis † enim confessio iam habeatur: tamen Emericus à Rosbach. *tit.* 5. *c.* 32. *n.* 7. bene dicit, quod tortura repetatur non ad confitendum, sed ad perseuerandũ, vt videlicet reus in ipsa confessione perseueret.
4. vide Zanger *n.* 75. vbi Rationem *n. seq.* reddit talem: Nam † & si tortura regulariter repeti nequeat, vt *art seq.* videbimus, quin tamen hoc in casu repetitioni locus sit, non dubitatur, cum ob confessionem priorem, ex qua resultat semiplena probatio: tum ob variationem, quæ nouum facit indicium, *Iul: Clar. d. n. f.* Farin. *q.* 38. *n.* 91. *VVesenb. in parat. n. f. ff. de quæstion.* & *Matth. Steph. h.*
5. vide etiam Hippolytum §. *quoniam n.* 2. 3. & 4. vbi aliam † adhuc Rationem addit, & dicit: si tortura repeti non posset, sequere-

tur

tur, quod rarò aut nunquam punirentur rei, & vt plurimum furca & minister perderet tempus suum, quia quilibet reuocaret confessionem suam, sciens se non amplius torqueri posse. *Farin. dict. n. 91.* Rationem non multum absimilem reddit Gomez *tom. 2. var. resol. c. 13. n. 20.* & post ipsum D. Weizenegger *n. 154.* quia neque confessio in tormentis facta per se sola ad condemnandum satis est, neque reuocatio extra tormenta ad liberationem valet, ne si aliter sentiamus, in arbitrio reorum sit, confessiones prius factas reuocando sibi salutem quærere, igitur ad quæstionis repetitionem recurrendum est.

Hoc tamen Limitatvr † primò: tunc procedere, si post 6.
interuallum reuocet confessionem, antea candidè & ingenuè factam. Nam si in ipsa tortura, & quæstione mox subsecuta, minus apertè confessus fuerit, & statim post confessionem dixerit, eam extortam esse vi tormentorum, talis reuocatio ad nouam torturam non sufficit. Ratio: quia † quæ in continenti fiunt, 7.
inesse censentur, vnde quæ in continenti fit, dicenda est potius emendatio, quam variatio, *Iul: Clar. §. f. q. 21. n. 39.* Ratio alia: quia † cum non præcedit aperta confessio, subsequens ne- 8.
gatio non habetur pro variatione, *Matth. Stephani artic. seq.* cum itaque cesset illa semiplena probatio, & nouum indicium, cessare etiam debet noua tortura.

Secvndo Limitat † Imperator: nisi reus eiusmodi causas 9.
suæ negationis siue reuocationis alleget, quibus moueri posset judex ad credendum, illam confessionem ex errore factam fuisse, vel nisi dicat reus, in reuocatione sua se errasse in confessione, & errorem probare velle, vel confessionem erroneam docere, tunc enim audiri, & ad probationem admitti debet. Nam † si pro- 10.
babilem errorem suæ confessiionis allegauerit, ad probandum illum admittendus erit. *Ius Bauaric. tit. 3. art. 13. §.* Sagte. *Hippolyt. §. quoniam n 4. & seqq. & §. opportunè. n. 6. 9. 10. 17. 27. Berlichius p. 4. conclus. 4. n. 85. Farinac. q. 38. n. 100.* siue sponte, siue in tormentis fassus fuerit, *idem n. 101. vid. Iul: Clarum §. f. q. 55. n. f. & Baiard. in addit. ad ipsum n. 49. & seqq.*

Ratio: quia † Confessio erronea in criminalibus, vbi de pe- 11.
riculo vitæ agitur, etiam sponte facta, potest infringi probato

contrario, *Hippolytus loc. cit. n.6.* Si ergo reus admittitur ad probandum errorem confeſſionis ſpontaneæ; multò magis debet admitti ad probandum errorem confeſsionis factæ in tormentis, *Farinac. dict. q. 38. n.* 101. *Bernhard. Zieriz. h.* v. g. ſi interrogatus, an negotium cum aliena vxore habuerit, putauerit ſermonem eſſe de commercio licito; vel quęſitus, an cognouerit eam, intellexerit notitiam, & reſponderit affirmatiuè, error talis probabilis eſt.

12. Quid ſi † autem in probatione deficiat? Ad hoc Reſpondetur in jure Bauarico *tit. 3. art. 13. §. pen.* & à Farinacio *q. 38. n.* 100. ſi errorem non probabit, poterit torqueri. Ratio: quia tunc ceſſat cauſa, ob quam tortura ſuperſederi debuit, Ergo ceſſare debet prohibitio. Quid ſi † autem dicat, ſe faſſum

13. fuiſſe dolore tormentorum? Zierizius putat hunc non eſſe probabilem errorem, ſed excuſationem inanem, quando tortura fuit præcedentibus legitimis indicijs illata, idem dicit Farinac. *q. 38. n.* 91. *& n.* 100. Ergo non debet propterea à tortura abſtineri.

14. Ratio: † quia quilibet hoc aſſeuerare, & tam torturam, quam pœnam effugere poſſet. Limita: niſi in continenti dicat, per tradita paulò ante Limit. 1. confer Summam. *c. 6. n. 24. & ſeqq.*

15. Quod ſi † reus in hac ſecunda tortura, ſiue in iterato cruciatu nihil confeſſus fuerit, & negando perſtiterit, non eſt tertiò torquendus, *jus Bauar. tit. 3. artic.* 13. §. Item. Damhaud. *cap. 38.*

16. *n.* 12. Rationem † annectit talem: quia indicia prioris confeſſionis & reuocationis per ſupplicium & pœnam ſecundæ torturæ ſatis expiata ſunt. Eiuſdem opinionis eſt Farinac. *q.* 38. *n.* 92.

17. Similem † Rationem reddit Iul: Clar. §. *f. q.* 21. *num.* 36. vbi ait: torturam ſecundam non ideo locum habere, vt per eam præcisè cogatur reus in ſua confeſsione perſeuerare, ſed ideo, quia reuocatio & variatio facit nouum indicium: atqui iſtud nouum indicium eſt purgatum per nouam torturam. Ergo vlterius torqueri non debet, *Damhaud. prax. crim. c.* 38. *n.* 12. Hoc autem Limitat jus Bauaricum. *dict. art.* 13. §. Item: niſi prima vice leuiter tantùm tortus fuiſſet, & indicia valde fortia. Rationem vide in Summa *c. 5. n. 62. & inf. n.* 21.

18. DICES † hoc bene verum eſt tunc, quando reus in ſecunda

tortura

tortura delictum negat, & confessionem ante factam reuocat, nam in prima tortura indicia præcedentia, & in secunda indicium nouum ex confessione & variatione ortum purgauit.

Quid si † autem in secunda tortura iterũ fateatur, & ad bancum juris positus ratificare nolit, sed iterum reuocet, & sic deinceps sæpius, anne de nouo semper torquendus, propter nouam variationem & nouum indicium? Ad hoc † Respondetur: quod regulariter loquendo torqueri non possit. Ratio: quia vt aliquis propter indicia superuenientia denuò torqueri possit, ea non solum debent esse euidentiora & clariora primis, sed etiam diuersi generis, *ius Bauaric. tit. 3. art. 13. Hippol. §. quoniam n. 9. Damhaud. c. 38. n. 5. Farinac. q. 38. n. 77.* atqui reuocatio secundæ confessionis, non est diuersi generis à prima, *idem n. 94. & n. 99.* Ergo non potest denuò, & sic tertia vice torqueri. 19. 20.

Dixi † *regulariter* loquendo. Ratio: quia reperiuntur aliqui casus excepti, quorum præcipuus est iste, si indicia prima contra reum existentia fuerunt multum vrgentia, vel multum manifesta, vel si prima tortura, in qua reus confessus est, non fuit pro primis indicijs sufficiens, sed nimis leuis, quibus casibus vt *seq. art.* videbimus *n. 59.* (etiam non secutâ confessione rei) poterat secunda vice tortura repeti. Tunc enim, si ipse reus in secunda tortura, propter ratificationem inflicta, persisteret in negatione, poterit alia vice, & sic tertiò torqueri, & non dicetur plus debito tortus, *Ius Bauaric. art. 13. tit. 3.* Farinac: *loc. cit. n. 94.* vbi Rationem † reddit: quia duabus vicibus torquebitur propter prima indicia, & semel propter nouum indicium variationis siue reuocationis. Ex quo consequens est, quod saltem propter reuocationem confessionis factę non nisi semel torqueri possit. Alium † casum ponit Ioan: Emeric: à Rosbach. *sæpe dict. tit. 5. n. 8. & seqq.* alios Matth. Steph. hic. 21. 22. 23.

In † hoc certè omnes conueniunt, quod reus talis nec debeat, nec possit ex hac causa vltra tertiam vicem torqueri, *Ius Bauar. art. 13. tit. 3. §. Item.* propter infinitatem & perplexitatem, maximè in actu tam odioso & pœnali euitandam, & propter Rationes alias, quas allegat Gomez. *tom: 3. c. 13. n. 27. vide* Faricium *q. 38. n. 97.* Weizzenegg. *dissert. 6. n. 176.* Iul: Clar: *d. q. 21. n.* 24.

36. inf. Rosbach. *loc. cit. n. 8.* Matth: Stephan. *ad text. nost. h. & art. seq. f. 128.* Flach. *disput. 5. n. 68.* Hippolyt. §. *quoniam n. 8.* vbi dicit, quod iudex torquens vltra tres vices, diuersis temporibus, dicitur immoderatè procedere, additq; Farinacius, hoc non à iudicibus, sed carnificibus fieri. Rationem reddit Stephani *art. seq.* quia alioquin procederetur in infinitum, quod absurdum &
25. iniquum esset. Dixi † autem *ex hac causa.* Ratio: quia si superueniant noua indicia diuersi generis, grauiora prioribus, tunc super illis de nouo torqueri potest, ius Bauaric. *tit. 3. artic. 13.*

26. Quid ergo † cum tali reo confessionem sæpius reuocante fiet? ad hoc Respondet Hippol. *n 5.* quod sit absoluendus, idem tenet Dn. Weizenegg. *loc. cit.* Farinac. *n. 94. & 96.* Iul: Clar. *n. 36.* Wesenb. *n. f ff. de quæst.* per Rationem: quia satius est absolui nocentem, quam innocentem damnari, & sanè torturæ sæpius repetitæ non minor cruciatus est reipsa, quam cuiuslibet pœnæ capitalis, *vide Zieriz inf. art. 61.* Vide tamen Zanger. *c. vlt. n. 79. & seqq.* & Zieriz *h. inf.* vbi nonnihil dissentiunt. Confer notata inf. *art. 61.* An autem definitiuè, vel ab obseruatione tantùm iudicij absoluendus sit, vide Flach. *disput. 5. colleg. crim: n. 68. in fin.*

De Modo torturæ.

ARTICVLVS LVIII.

SVMMARIA.

1. *Tortura adhiberi debet secundum qualitatem indiciorum & conditionem personæ. 2. pro arbitrio iudicis. 3. 4. 6. qui attendere debet ad conditionẽ & qualitatẽ personæ torquendæ, ad eius ætatem, sexum. Minores. 14. an: non nisi virgis cum discretione, similiter & senes decrepiti. 60. vel 70. annorum castigandi.*
7. *Ad vires attendere oportet, 9. quam debiles vel delicati, fortes & robusti, timidi vel imperterriti.*
8. *Torqueri quinam poßint, vel non poßint.*
10. *Nobiles & in dignitate constituti minus quam plebei torquendi.*
11. *In torquendi modo attendendum ad qualitatẽ indiciorum, an leuia vel vrgentia, an vnum vel plura.*
12. *Item ad qualitatem delicti*

quam

quam graue vel atrox.

13. *Tortura ita temperari debet, vt reus saluus sit vel innocentiæ, vel supplicio. 14. ratio. 15. reprehenduntur qui immodicè torquent. 16. quam pœnam incurrant?*

17. *Cur Imperator modum torquendi non præscribat.*

18. *Modus torquendi in quibus consistat?*

19. *Tormentis solitis, non inusitatis vtendum est.*

20. *Apud Romanos quænam vsitata fuerint? & quæ apud alias gentes? 21. tyrannica atque ideo improbata.*

22. *Apud nos minimum est* der Daumenstock.

23. *Alterum funiculi subtiliores, duriter contorti.*

24. *Tertium eleuatio. 25. additis aliquando ponderibus, vel squassatione iunctâ.*

26 *Tormentum virgarum, vigiliarum, & sitis.*

27. *Quid cum insensibilibus, qui tormenta non sentiunt, agendum?*

28. *In iure tormentum fidicularũ magis probatum, & receptum est.*

29. *Leuitas & grauitas torturæ ex quibus circumstantiis desumatur.*

30. *Torturæ gradus quot sint? 31. 32. tortura quotuplex.*

33. *primus gradus consistit in reali territione.*

34. *Territio an propriè sit species torturæ?*

35. *Cur torturæ æquiparetur?*

36. *Quando locus sit huic gradui.*

37. *Quare sufficiat?*

38. *Secundus gradus eleuatio. 39. quando ei locus sit?*

40. *Tertius gradus est squassatio, & quando vsurpetur?*

41. *Pondera quando adiiciantur? 42. Tansitio.*

43. *Tortura diebus festis (nisi in atrocibus) non est inferenda.*

44. *Neque post cibum sumptum.*

45. *Reus debet esse ieiunus per sex ad minimum horas.*

46 *Plures distinctæ torturæ non debent vno die inferri.*

47. *Quamdiu reus torquendus, & eleuatio continuanda.*

48. *Quamdiu vigilia.*

49. *Quis modus seruandus in numero?*

50. *In vna tortura reus regulariter non nisi semel eleuandus, & quando sæpius n. 51.*

52. *Squassandus. 53. non nisi bis vel ter.*

54. *Reus ictibus non est tormentandus.*

55. *Reus semel vel plenè tortus non est iterũ torquendus. 57. quare?*

56. *Plenè tortus quis dicatur? 60.*

58. *Con-*

58. *Confeßio facta ob tormenta illegitimè repetita non valet.*
59. *Tortura repeti poteſt, ſi reus non ſufficienter tortus eſt.*
61. *Iudex intendens repetere torturā quomodo interloqui debeat.*
62. *Repeti tortura poteſt, ſi indicia fuerunt grauißima, & euidentißima, & indubitata.*
63. *Et clariora, quam vt iudex ambigere poßit,* 64. *& reus perſona robuſta,*
65. *Similiter ſi reus in tormenta animum corpusq; ita indurauerit, vt quaſi vilifecerit.* 66. *ſi confeßionem factam reuocauerit.* 67. *ſi noua indicia per ſe ſufficientia ſuperuenerint.* 68. *fortiora, & à prioribus ſpecie diſtincta.* 69. *exemplum.*
70. *Reus de ſe confeſſus ſuper ſocijs interrogari, & aliqualiter torqueri poteſt.*
71. *Hoc indicato, quod tantum propter ſocios queratur.*
72. *Reiteratio torturæ an ſit in arbitrio iudicis?* 73.
74. *Diuerſæ torturæ non poſſunt vno & eodem die inferri.*
75. *Tormenta vltra tertiā vicem non debent repeti* 76.
77. *niſi noua vrgentißima indicia ſe prodant.*
78. *Aut apud reum charta magica reperiantur. Ter tortus, ſi nihil fateatur, quid faciendū?*
79. *Tortura à quo ex pluribus reis incipienda.*
80. *Quid faciendum, ſi reus ſufficienter tortus nihil fuerit faſſus? & n.* 86.
81. *Taciturnitatis & inſenſibilitatis maleficio quomodo occurrentum.* 82. 83. 84. 85.
87. *Confeſſio in medijs cruciatibus non eſt attendenda, ſed ea, quæ remiſſa tortura facta eſt.*

1. QVÆRITVR † in hoc articulo: quomodo tortura actualiter inferri debeat? ad quod Reſpondet Imperator, quod tortura debeat ſecundum qualitatem indiciorum & ſuſpicionum, item ſecundum conditionē perſonæ, plus aut minus, frequenter aut rarò, durius ac leuius, ex arbitrio boni & diſcreti judicis inferri, *confer text. in L. quæſtionis 7. L. de minore 10. §. 3. ff. de quæſtion: jus Bauaric. tit. 3. art. 10.*
2. Ex quibus † verbis colligitur, quod torquendi ratio tota conſiſtat in judicis arbitrio prudentia & pietate, vt eam ſcilicet pro ſuo arbitratu & judicio adhibeat, aut durius, intenſius aut remiſſius, Damhauder. *in pract. crim. c. 137. n. 1. Gilhauſ. h.* Flach. *diſp. 5. num. 68.* Ratio:
3. quia † quod in jure non reperitur certò definitum, id arbitrio judicis

horas. Et ex hac causa quando reus videt, quod hora consueta non datur sibi cibus, tunc contristatur valde, cognoscens, quod breui debet torqueri. vide etiam Iul:Clar. *n.* 30. vbi putat, quod per 10 horas, antequam torqueatur, nihil debeat edisse, vel bibisse. Tertio † plures torturæ distinctæ non debent vno die in- 46.
ferri, jus Bauaric. *artic.* 13. §. *f.* Ratio: ne reus tortus nimium affligatur vel debilitetur. Verum hoc loco, vbi de modo torturæ agitur, non tam illud quæritur, quando reus torqueri possit, quam hoc: & quidem

QVARTO: quamdiu † torqueri, & per quod tempus tortura 47.
continuari debeat? Ad hoc Respondetur: quod etiam hic certus & determinatus modus non possit dari, nec in jure reperiatur expressus, ac proinde etiam tempus arbitrio judicis videatur esse relictum, *Anton. Gomez. dict. c.* 13. *n.* 5. *Farinac. n.* 52. & quia hic potissimum agitur de eleuatione, quamdiu scilicet reus in tortura suspensus & eleuatus manere debeat, ideo Dd. Respondent, & praxis ita seruat, quod aliquando modico tempore, videlicet per vnum Aue MARIA, per vnum Pater noster, vel per vnum Miserere; aliquando per spatium duorum Miserere, vel paulò plus: aliquando per vnum, vel duos, vel tres quadrantes horæ, aliquando per integram horam, iuxta qualitatem personæ, delicti, & indiciorum. Sed vltra horam non debent suspensi detineri, *vide Farinac: n.* 44. 46. *&* 47. 54. *Dn: VVeizenegg. num.* 148.
Excipitur † tormentum vigiliæ, quod vtique longiori tempore, 48.
quam per horam potest inferri & continuari, *Farinac: dict. n.* 54. *inf. item n.* 70. *&* 71. *vide Dn. VVeizenegger. n.* 149.

QVÆRITVR † QVINTÒ: quis modus seruandus in numero? 49.
hæc quæstio patitur triplicem sensum, videlicet primò quoties reus possit eleuari. Secundò: quoties possit squassari, ita tamen, vt dicatur vna tantum tortura. Tertiò: quoties tortura absoluta, & plenè illata possit repeti.

Ad PRIMVM † Respondetur: quod in vna tortura reus re- 50.
gulariter loquendo non nisi semel possit eleuari. Si tamen delictũ est graue & atrox, indicia vrgentia, reus ipse robustus, & in prima eleuatione nihil confessus, tunc judex potest torturam diuidere, atq; ipsum super ijsdem primis indicijs bis vel ter eleuare,

Et hoc tantum pro vna tortura habetur, *Ius Bauaric. art. 13. in pr.*
51. vbi monentur judices, vt debita discretione vtantur. Similiter † si quis leuiter tantum fuisset tortus, sub illa spe, quod veritatem fassurus esset, ipse autem fassus non fuisset, iterum torqueri potest. Atque etiam hoc non pro separata & noua tortura habetur, sed pro continuatione tantum prioris, *Ius Bauaric. loc. cit.*

52. Ad † SECVNDVM Respondet Hippolytus de Marsilijs *in pract. crim. §. nunc videndum n. 52. & §. occurrit num. 1. f. 145.* quod pro quolibet sufficienti indicio possit reus ter squassari, & quod de consuetudine totius Italiæ pro quolibet indicio dentur tres ictus torturæ, seu vt vulgò loquuntur, quassi cordæ. Verum † Iulius Clarus *n. 33.* etiam Italus, testatur in prouincia Mediolanensi hoc non seruari, & pro vno indicio, etiam proximo
53. actui, non dari tres ictus funis, sed duos tantum ad summum, & non vltra, & si plura sint indicia, non dari pro quolibet indicio tres ictus, sed omnibus computatis duos, vel tres, & non vltra. Additque, quod nunquam viderit ex quibuslibet indicijs judicem
54. excedere tres ictus torturæ. Idem † quoque tradit Farinacius *q. 38. n. 54.* & addit, quod vt plurimum judex mandet squassari potius funem, quam reum ictibus tormentari, tales enim squassationes sunt minus periculosæ, quam ictus, & tamen inferunt magnum dolorem.

55. Ad † TERTIVM RESPONDETVR: quod si reus semel delicti vnius gratia plenè & sufficienter tortus sit, & tamen nihil confessus, tunc reg: loquendo non est ob idem delictum denuò torquendus, vel tortura repetenda, jus Bauaric: *tit. 3. artic. 13. in pr.* Iul: Clar. *§. f. q. 64. n. f.* Damhaud. *in pract. crim. c. 38. per tot.* Farinac: *q. 38. n. 72.* Ioan: Emeric. à Rosbach. *prax. crim. tit. 5. c. 25. n. 1.* Flach. *disp. 5. n. 68.* Dn. Weizenegg. *dissert. 6. c.*
56. *9. n. 153.* vbi declarat, † quando reus dicatur plenè ac sufficienter tortus, videlicet si sustinuit genus tormenti personæ suæ,
57. ac certitudini indiciorum correspondens. Ratio huius † regulæ est: quia priora indicia abundè satis per tormenta fuerunt purgata, *Damhaud n. 3.* Ergo crudelis esset judex, qui consumpta acerbitate in vno genere tormentorum sine causa reum vlterius affligeret, *VVeizenegger loc. cit.*

AMPLIA

AMPLIA † in tantum verum esse, vt confessio facta ob tormenta repetita, quæ repeti non debuerunt, non valeat, *Rosbach. c. 25. n. 11. Farinac: n. 78. Gomez c. 13. num. 25. v. tertio infero.* Ratio: quia ex illegitimo principio non potest legitima nasci consequentia. 58.

LIMITATVR † PRIMÒ: vt si reus in principio leuiter tantum, & non sufficienter tortus fuisset, tunc repeti tortura possit, *Iul: Clar: n. 46. Farinac: n 83. Zanger: c. vlt. n. 76. Flach: n. 68. Matth. Steph. h. VVeizenegger num. 154.* Ratio: quia remissio judicis non debet nocere reip. v. g. si reus pro qualitate delicti & indiciorum fuisset torquendus per mediam horam, possunt judices (& solent quandoque) ipsos ab initio leuiter, v. g. vix per spatium vnius AueMARIA torquere, & si confessionem extorserint, cessare, sin minus, ad vlteriora procedere, & sufficienter vsque ad finem mediæ horæ repetere, *ijdem ibid. confer notata supra art. 57. n. 21.* Ratio: quia consultò nonnunquam latrunculatores à leuioribus tormentis inchoant, deinde grauiora adhibent, vel etiam à complenda quæstione desistunt, & alio die eandem repetunt, eò quod tormenta leuiora quandoque confessionem exprimant, quæ acerbioribus exprimi non potuissent. An autem † & quando dicatur aliquis plenè, sufficienter, & ad extremum vsque satis tortus, vide *apud Farinac: n. 86. Dambaud. n. 4. Matth. Steph. h.* vbi arbitrio iudicis relinquunt, qui qualitatem rei, & tormentorum, nec non ipsius delicti, & indiciorum, respicere, & iuxta illam arbitrium suum formare debet. Solent autem † prudentes judices, quoties intendunt repetere torturam, in actis inter loqui, quod supersedeant à tortura incepta, & non perfectè data, *Rosbach. n. 7.* & quod illum deponi iusserint animo repetendi, *Iul: Clar. n. 46.* 59. 60. 61.

LIMITATVR † SECVNDÒ: nisi indicia fuissent multum vrgentia, indubitata, grauissima, euidentia & manifesta, *per text. in L. repeti 16. ff. de quæst. Iul: Clar. loc. cit. v. hac autem Dambaud. c. 38. n. 3. Farinac: num. 79. Flach. d. n. 68. Matth. Steph. h.* Ratio: quia per vnicam torturam non censentur purgata. Et quamuis † Gomez *loc. cit. n. 26.* contrarium teneat, (& non sine causa, quia sufficienter torquere, est torquere 62. 63.

conuenienter personæ & indicijs) monet tamen Farin: *num. 81.* à priori magis communi opinione, quæ vsu recepta sit, minimè
64. discedendum esse. Ego † cum Damhauder. *num. 3.* existimo verum esse in ijs, quæ sunt clariora, quam vt vllo modo judex ambigere possit, ita vt plenè instructus sentiat inficiationem rei potius duram esse pertinaciam, quam synceram innocentiam, & vt Farinac: ait, *num. 82.* tunc tantum procedere repetitionem, si reus fuerit persona robusta, quæ animo & corpore duratura primæ torturæ resistentiam fecerit. hinc

65. LIMITATVR † TERTIÒ: nisi reus in tormenta animum corpusque suum ita durauerit, *L. vnius* 18. §. 1. *ff. de quæst.* vt etiam grauiorum tormentorum acerbitatem non persenserit, sed dormientis instar vili fecerit, *VVeizenegger loc. cit.* per Rationem: quia tortus censeri non debet, qui tormentorum dolores non sensit.

66. LIMITATVR † QVARTÒ: nisi semel in tortura confessus, & sequenti die ad ratificandum ductus, ratificare noluerit, sed confessionem factam reuocauerit, *Farinac: n.* 91. *Damhaud. n.* 12. sed de hoc in sup. art. jam ad longum fuit actum. *vide etiam Iul: Clar.* §. *f. q.* 21. *v. vlterius & q.* 64. *v. vlt. in f. Gomez. d. n.* 26. Rationes supra ad longum examinauimus.

67. LIMITATVR † QVINTÒ: nisi noua indicia superueniant, per se ad torturam sufficientia, *d. L. vnius* 18. §. 1. *ff. de quæst. Ius Bauaric. tit. 3. art.* 13. *Damhaud. n.* 2. *Gomez. d. n.* 26. *Farinac: n.* 72. *&* 90. *Iul: Clar. loc. cit. n. f. VVeizenegg. n.* 154. *Flach. n.* 68. Ratio: quia quæ de nouo emergunt, nouum consilium postulant.
68. Ad hoc † tamen, vt ex nouis indicijs tortura repeti possint, requirunt Dd: præfati, vt illa sint fortiora, vrgentiora, Weizenegg. *n.* 154. & euidentiora, & à prioribus specie distincta; *text. in*
69. *d. L.* 18. §. 1. *Farinac: q.* 38. *n.* 76. *&* 77. v. g. † si reus de homicidio propterea suspectus, quia est homo malæ vitæ & famæ, solitus alios offendere & cædere, inimicus interfecti, & illi sæpe minatus, tortus quidem, nihil autem in tortura confessus fuerit: tunc si de nouo accedat testis fide dignus, qui deponat, se vidisse ipsum reum interempto infligere ictum, vel plagam: aut si dicat, se audiuisse reum id factum apertè fatentem; tunc minimè dubitat

dubitat Damhaud. *n. 5.* quin tortura repeti possit, *vid. Farinac: d. num. 77.*

LIMITATVR † SEXTÒ: vt licet reus super proprio delicto aliter & sæpius torqueri non debeat: nihilominus si confessus fuerit crimen, quod solus patrare nequiuit, & tamen socios prodere noluit, tunc iterum tanquam testis torturæ subijci possit, ad socios, auxiliatores, mandatores & consultores prodendos, & illa tortura cæteris non sit accensenda, *jus Bauaric. artic. 14. Damhaud. n. 14.* Debet † tamen judex reo expresse indicare, quod ista tortura tantum propter socios inferatur, præterea modum talem seruare, vt non nimis acriter torqueat, *dict. art. 14.* Ratio: ne postea confessionem factam fortè reuocet. 70. 71.

LIMITANT † aliqui SEPTIMÒ: vt hæc repetitio sit arbitraria judici, cui si aliter videatur, pro suo arbitrio reiterare tormenta possit, *vide Menoch: de arbit. jud. quæst. cas. 272. Farin. n. 74. 87. & 88. Iul: Clar. n. 46. in pr. Matth. Stephani h.* vbi hanc Limitationem reijciunt, & dicunt, † in hoc quidem consistere arbitrium judicis, an indicia sint multum vrgentia, an reus sufficienter tortus, nec ne; non verò in eo, quoties reum torquere velit, nec enim prætextu sui arbitrij toties repetere posse, quoties voluerit, & in dubio pro non repetitione, & sic in mitiorem partem arbitrari debere. 72. 73.

Verùm hæc omnia, quæ de tortura in quibusdam casibus repetenda diximus.

SVBLIMITANTVR † PRIMÒ: vt tamen diuersæ torturæ non possint vno & eodem die inferri, *Ius Bauaric: artic. 13. tit. 3. in f.* sed vt in separatis & interpolatis diebus fiant, *Farinac: num. 103.* Ratio: ne reus per cruciatum torturæ nimium debilitetur. 74.

SVBLIMITATVR † SECVNDÒ: vt vltra tertiam vicem tormenta non possint repeti, *Dn: VVeizenegger n. 155. Farinac. n. 105.* Rationes Dd: assignant varias, quas Bernhard. Zieriz. ad text. nostrum omnes explodit. Mihi Domini Weizeneggeri † placet, quod videlicet modus aliquis tormentis statuendus sit, cum neque DEVS, neque natura corpora ideo plasmârit, vt arbitrio judicum crudeliter dilanientur. Idem ibidem recitat Bossij sententiam, qui scribit, hunc numerum solos carnifices transgredi. 75. 76.

77. Putat † tamen Zierizius *loc. cit.* quod si post tertiam torturam indicia vrgentissima se prodant, eam reiterari posse, per Rationem: quia non censentur expurgata, quæ prius erant ignota:
78. Similiter † & tunc, quando post tertiam torturam (sicuti de facto contigisse testatur) chartulæ magicæ, aut sortilegæ, reperiuntur. Ratio: quia tunc est indicium, quod reus dolorem tormentorum non senserit. Posset † hoc loco circa modum torturæ eti-
79. am quæri de ordine, si videlicet plures de vno & eodem crimine sint suspecti, à quo initium sit faciendum, & quis ex pluribus reis primò sit torquendus? verùm de hac quæstione videri potest Wesenb. *in parat. n. 11. ff de quæstion:* Zangerus *n. 25. cum mult. seqq.*

80. Quid † autem fieri debet, si reus bis vel ter sufficienter tortus, nihil penitus fuerit confessus, & nulla alia indicia de nouo superuenerint? Ad hoc Respondetur cum distinctione: vel enim suspectus est de maleficio insensibilitatis & taciturnitatis, vel
81. non. In primo † casu vestes reorum diligenter excutiendæ sunt, ne quid secum ferant, possunt enim in vestibus talia abscondi, quæ maleficis ex pacto cū dęmone inito patrocinentur, Weizenegger *dissert. 6. c. 8. num. 129.* vbi dicit, non esse superstitiosum, si suis spolientur vestibus, & alijs idcircò induantur. Sæpissimè etiam vsu experimur, quod magi & venefici sortem silentij vel in cute, vel in crinibus absconditam habeant, cuius ea vis est, vt omnis doloris expertes sint, impassibiles fiant (vide rationem physicam apud eundem *n. 150.*) nihilque fateri possint, sed in ipsis
82. tormentis dormiant, proinde † solent judices curare vestes eis exui, & pilos omnes, ab imis plantis pedum, ad verticem capitis vsque deradi, *Damhaud. prax. crim. c. 37. n. 20.* Berlichius *p. 4. conclus. 4. n. 174.* vbi *num: praced. & seqq.* alia quædam supersti-
83. tiosa recensent, vide sup. *num. 27.* Subinde † etiam sub lingua vel in partibus pudendis quædam abscondita habent, quæ inde eximi possunt, *id ibid. n. 177.* ita tamen, vt in omnibus ratio honestatis & castitatis habeatur, & non nimium curiositati tribuatur. Nam quia judices nonnunquam curiositas ad experiendum ea, quæ licita non sunt, adigit, mirum non est, his talibus interdum maleficos, etiam in manibus justitiæ positos nocere, vide

Dn:

Dn: Weizenegg. *n. 130. & n. 131.* qui *num. 159.* etiam hoc addit: si manifesta † sint maleficij signa, nihil prohibere tormenti genera 84.
mutare. sæpius enim fit, vt dæmon ex pacto mancipium suum in vno vel alio genere, non etiam in alijs tueatur. Experientia quoque docuit, leuioribus tormentis, cum antea invsitata & acerbissima nihil profecissent, confessionem expressam esse, & testatur Damhaud. *d. c. 37. num. 22.* se expertum esse, quod virgis ad ipsius suasionem adhibitis sæpe plus effectum fuerit, quam omnibus alijs diris & atrocibus tormentorum generibus. Possunt † 85.
etiam contra ista taciturnitatis maleficia adhiberi remedia supernaturalia, vt res benedictæ, reliquiæ Sanctorum, preces, & alia deuota exercitia, Weizenegg. *n. 157. Berlichius num. 172.* confer notata inf. *art. 61. n. 10.*

Quod † si reus sufficienter tortus non est suspectus de sorte 86.
silentij, vel insensibilitatis, tunc quomodo vlterius procedendum, videbimus infra *artic. 61.* Nunc ad nos reuertamur, &

Ad Versic: Vnd soll die Sag.

IN hoc versiculo † monet Imperator iudicem criminalem, vt 87.
non attendat ad ea, quæ reus in ipsa tortura confitetur, & in medijs cruciatibus profert, sed ad id solum, quod remissa tortura, & cruciatibus exemptus, siue relaxatus, indicauerit, & enunciauerit, *vide Zanger c. 4. n. 15. Bernhard. Zieriz. & Matth. Stephani h. vbi* Rationem † reddunt: quia non est verisimile, 88.
reum in ipsis torturæ angustijs constitutum veritatem posse eloqui, aut perpetrata vnà cum circumstantijs rectè in memoriam reuocare. Potest itaque judex memoriæ quidem causâ ea annotare, non tamen in protocollum referre, *im Bau: art. 16. tit. 3.*

Vulneratus quemadmodam sit tor quendus?

ARTICVLVS LIX.

SVMMARIA.

1. *Ægroti, & qui vulnera, vel rupturas habent, vel omninò non, vel moderatè sunt torquendi. 2. Ratio.*
3. *Mulier prægnans terreri vel torqueri non potest.*
4. *Ne quidem per 40. dies post partum.*

In-

1. IN hoc articulo: † monet Imp. iterum judicem, vt si reus vulnera, vel rupturam, vel alium defectum in corpore suo habeat, eum cum tali moderamine torqueat, ne quid damni accipiat, & ne vel vulnus, vel ruptura augeatur. Idem est, si reus aliàs sit infirmus, vel valetudinarius, tunc enim vel omninò non torquendus, vel ita moderatè, vt sine periculo vitæ, seu corporis id fiat; qua in re medicorum & chirurgorum judicio stabit, *text. h. & ad eum Matth. Steph. Bernhard. Zieriz. & Farinac. q. 41.*
2. *n. 93.* Ratio: quia † afflicto non est addenda afflictio: & quia tortura semper debet esse talis, vt tortus saluus vel innocentiæ, vel supplicio conseruetur, *L. quæstionis modum ff. de quæst.*
3. Eadem † fere ratio est in muliere prægnante, quæ torqueri non debet, propter partus periculum, *L. prægnantis ff. de pœnis* imò ne terreri. Ratio: quia fœtus in vtero iniquitatem matris portare non debet, *Gothof. h* & quia calamitas matris non debet nocere ei, qui in ventre est, *L. & seruorum 5. §. 2. ff. de stat. hom.* quia ex terrore & comminatione facile posset sequi abortus,
4. *Farinac. n. 84.* Quod † procedit etiam post partum, ita vt per 40. dies torqueri nondum possit. Ratio: quia primùm intra hos dies vires recuperare censetur, *Farinac. n. 80. Zanger. c. 1. n. 41. & 42.* confer Summam *c. 5. n. 40.*

De euentu torturæ, & effectu confeßionis, quæ à iudice extorta est.

ARTICVLVS LX.

SVMMARIA.

1. *Continuatio.*
2. *Confeßionem verificatam sequitur condemnatio. 3. 4. Ratio.*
5. *Confeßioni non semper fides habenda, & quare? n. 6.*
7. *Ad hoc vt ex confeßione tormentis expressa reus condemnari poßit debent? 8. Indicia legitima pracedere. 9. probata 10. & reo copia communicata. 11. & non elisa fuisse. 12. Constare de corpore delicti. 13. decretum tortura praceßisse. 14. tortura debito modo illatam fuisse. 15. Sine suggestione & promißione*

missione impunitatis elicita. 16. specialis & certa. 17. pura non conditionalis, aut qualificata. 18. constans & ratificata 19. probabilis, possibilis, verisimilis & verificata. 20. dilatio reo pro defensione data 21. nisi delictum fuisset notorium. 22. an processus fuisse validus? & n. 23.

QVoniam † torturam vel confessio, vel negatio sequi solet, 1.
ideo de vtraque Imperator in hoc, & sequenti articulo per modum epilogi agit, & vt sic præsentem torturæ materiam concludit.

QVÆRIT autem † in hoc articulo: quodnam sit officium 2.
judicis, si reus delictum fuerit confessus? ad quod Respondet, quod si circumstantiæ fuerint juxta tenorem præcedentium articulorum inuestigatæ, verificatæ, & tam verisimiles redditæ, vt nemo qui esset innocens, eas scire & aperire posset: vno verbo, si confessio fuerit debito modo qualificata, debeat reum condemnare, & talem pœnam imponere, quæ iuxta qualitatem delicti infra *artic. 104. cum seqq.* imponi jubebitur, *Iul: Clar. §. f. q. 65. Nicol. Vigel. in instit. l. 2. c. 10. reg. 9.* Ratio: quia † in 3.
confessum nullæ aliæ sunt partes judicis, quam in condemnando, *Oldendorp. class. 1. act. 9. in affin. remed. n. 3.* & confessus pro iudicato habetur, *L. 1. ff. de confess:* ita vt confitens se sua quodammodo sententia damnet, *c. nun cautem. dist. 21. L. 1. C. de confess. L. 1. ff. eod.* quò facit *text. in L. qui sententiam* 16. *ibi: aut sua confessione C. de pœn.* Ratio alia: quia † idem effectus tribuitur 4.
confessioni, qui tribuitur probationi per testes, & documenta: atqui si reus testibus, vel apertissimis documentis, fuerit conuictus, tunc capitalis sententia in eum dici potest. Ergo etiam tunc, si fuerit confessus, quia, vt sæpe dictum, ad condemnationem sufficit, reum vel conuictum esse, vel confessum, argt. *L. 34. C. ad L. Iul: de adult. Zanger. c. vlt. n.* 19. *& seqq. Dn: VVeizenegg. dissert. 6. c. vlt. n.* 161.

Nihilominus † tamen, quia in criminalibus graue pericu- 5.
lum reo imminet, & iuxta vulgarem juris regulam: vbi maius est periculum, ibi cautius agendum, *c. vbi periculum 3. in pr. de elect. in 6.* ideo rectè D. Seuerus rescripsit, confessiones reorum pro exploratis facinoribus haberi non oportere, si nulla probatio reli-

gionem cognoſcentis inſtruat, *L.* 1. §. *Diuus.* 17. *ff. de quæſt.*
6. Quod ſi hoc verum † eſt in confeſsione ſpontanea, & ſi ei, qui vltrò confitetur, fides non ſemper habenda eſt, (quia nonnunquam metu, aut qua alia de cauſa in ſe confitetur) *L.* 1. §. *ſi quis* 27. *ff. de quæſt*: quantò magis verum erit in confeſsione non ſpontanea, ſed coacta, & tormentis expreſſa, vt fides ei non habeatur. Vnde rectè ſenſit Vlpian: quæſtioni fidem non ſemper, nec tamen nunquam habendam, quia tortura res eſt fragilis, & periculoſa, & quæ veritatem facile fallat, *L.* 1. §. *quæſtioni* 23. *ff. de quæſt.*
7. Proinde † Imperator non vult reum ex ſua confeſsione capitali ſententia condemnari, niſi ea, quæ hactenus enarrauit, & hic iterum repetit, requiſita concurrant. Ratio: quia fieri poteſt, vt vel tædio vitæ, vel metu tormentorum, vel doloris impatientia, vel alia de cauſa fateatur, *Zanger. c. vlt. n.* 25.
8. Quænam † igitur cum confeſſione tormentis expreſſa debent concurrere? ad hoc Reſpondetur: quod in genere loquendo omnia debeant concurrere, quæ ad torturam juſtificandam neceſſaria ſunt. Ratio: quia ſi tortura fuit illegitima, etiam confeſſio expreſſa illegitima erit. Nam ex illegitimo principio non poteſt legitima naſci conſequentia. Ad ſpeciem autē deſcendendo, & ea in compendio referendo. PRIMÒ debent indicia ſufficientia & legitima præcedere, quemadmodum vidimus ſupra *art.* 6. & 20. & Imp. hoc loco indicat, verb. redliche anzaigungen/ adde Zanger. *n.* 68. *c. vlt.* Vigel. *meth. jur. cont. l.* 1. *c.* 10. *reg.* 39. *exc*: 7. & *in method. Carol. c.* 4. *q.* 5. *reg.* 6. *exc.* 1. vbi † dicit, non ſufficere, quod poſt extortam confeſſionem legitima indicia ſuperueniant. vid. *eund. in inſt. exc.* 7.
9 SECVNDO † debent iſta indicia fuiſſe probata, *per tradita artic.* 6. *art.* 23. & 30. & 45. *in pr.*
10. TERTIO † debet copia indiciorum reo fuiſſe communicata, per tradita *artic.* 47. §. *Sexto.*
11. QVARTÒ: non debent à reo fuiſſe aliqua exceptione eliſa, *per tradita artic*: 13. & 18. 28. 29. 33. & 47.
12. QVINTÒ † debet conſtare de corpore delicti, per tradita *artic.* 6. & *Zangeri c. vlt. n.* 43. *cum ſeqq.* Mezger. *conſ. crim.* 15. *n.* 72. *lim.* 3. vbi hoc etiam de confeſſione ſpontanea aſſerit. Quod

intellige

intellige saltem in ijs, quæ vestigia post se relinquunt, *Berlichius p. 4. conclus. 4. n. 82. vid. Vigel. M. I. R. l. 1. c. 11. exc. 13. & in instit. exc. 10.*

SEXTÒ † debet torturam præcessisse sententia interlocutoria, & ab ea non fuisse appellatum, per tradita supra, *art. 45. & notata Zangeri c. 4. n. 1. & seqq.* 13.

SEPTIMÒ † debet tortura fuisse legitimo modo illata, hoc est, reus fuisse talis, qui tormentis subijci potuit: consueta & non inusitata tormentorum genera adhibita: nullus excessus factus in gradu, tempore, & numero, per tradita supra *art. 58. Vig. exc. 9.* 14.

OCTAVÒ † debet ipsa confessio fuisse vltronea quasi, & sine suggestione, *per tradita art. 31. & 56.* & sine promissione impunitatis elicita & expiscata. Quid autem operetur eiusmodi confessio sub pollicitatione, & spe futuræ gratiæ, vel impunitatis promissæ, & an torturam? vide apud Berlichium, *p. 4. conclus. 4. n. 72. & seqq.* Adde Thomam Mezger *cons. crim. 15. n. 72. lim:* 1. vbi tradit confessionem, etiam spontaneam ex maxima judicis persuasione, & promissione veniæ vel liberationis factam, esse nullam, proinde reum eius prætextu nullo modo posse condemnari. Per Rationem: quia cum fraude & dolo fuerit extorta, non videtur libera & spontanea: paria enim sunt confessionem esse factam dolo & metu. Hoc non omninò prohibendum censetur, vt iudex commiserantium speciem induat, & sagas examinando dicat, non ipsas, sed diabolum authorem esse, & compulisse, vt necem hominibus quærerent, *Berlich. n. 166.* quia eiusmodi blanda verba libertati confessionis nihil derogant. *Zanger c. vlt n. 29. Vigel. ex c. 10. & in inst. ex c. 8.* 15.

NONÒ † debet confessio esse certa, non enim sufficit, si reus fateatur se deliquisse, nisi etiam dicat, quale delictum perpetrauerit, neque sufficit generaliter confiteri furta, aut homicidia se commisisse, sed necesse est ad speciem descendere, Vigel. *exc. 14. & in inst. exc. 11. Iul: Clar. § f. q. 55. v. quomodo autem 11. ibi: aut verò est delictum, Zanger. c. vlt. num. 40.* per Rationem: quia etiam in ciuilibus non aliter confessus pro iudicato habetur, quam si certum confessus sit, *L. 6. in pr. ff. de confess.* 16.

17. DECIMÒ † debet esse pura, non conditionalis, aut qualificata. Nam si reus confessioni suæ talem qualitatem adiecerit, quæ excusationem meretur, non semper ad sententiam capitalem deuenitur, qua de re vide Gail. *1. obs. 17. de PP. n. 2.* Farinac. *de reo confesso & conuict q.* 81. *cap. 4. per tot.* Berlich. *p. 4. q.* 15. Anton. Gabriel. *comm: conclus. l. 7. conclus.* 19. Mascard. *de probat. vol. 2. conclus. 868. per tot.* Iul: Clar. §. *f. q. 55. num. 15.* Nicol. Vigel. *exc. 6. & in instit. l. 2. c.* 10. *reg. 9. exc. 6.*

18. VNDECIMÒ † debet confessio esse constans & ratificata, hoc est, post vnum alterumq; diem in loco libero, in præsentia judicis, & duorum assessorum denuò repetita, *per tradita supra art. 56.* §. *f. & Vigel: exc:* 1. *cum seqq. & in Carol. exc. 2. id in instit. exc.* 1. *& 2. Zangeri. c. vlt n.* 71. *inf. & n. 73.*

19. DVODECIMÒ † debet esse probabilis, Mezger *consil. crim:* 15. *n. 72. lim. 3.* & possibilis, *idem Mezger ibid. lim. 4.* nam si quis confiteretur, se interfecisse hominem, quem constat adhuc esse in viuis, hæc sanè confessio, etiamsi spontanea sit, tamen non nocet, *per text in L. inde Neratius § si quis hominem viuum ff. ad L. Aquil. & L. si is ff. de interrog. act.* verisimilis, & verificata, hoc est, vt Imperator in textu nostro explicat, quod reus factum cum talibus circumstantijs enunciauerit, quas nemo alius, nisi criminis reus aperire possit, & habita inquisitione veræ deinde compertæ fuerint, *per tradita sup art. 54. & à Zangero c. vlt. n. 70. &* 71.

20. DECIMO † TERTIÒ: confessus siue sponte, siue in tortura non statim damnandus, sed dilatio duorum aut trium dierum ei danda, ad excipiendum contra suam confessionem, & defensiones opponendas. Nam etiam contra propriam confessionem, præsertim in tormentis factam, multa adduci & probari possunt, Iul: Clar. §. *f. q.* 15 *idem 64. n. 44. & q. 65.* vbi vult, vt reo etiam sponte confesso, & non petenti terminus defensionis detur, ne indefensus dicatur, *vide Gilhaus. inf. artic. 73. Vigel. meth. jur. controu: loc. cit. reg. 40. & in instit. loc. cit. exc.* 13. Adde Dn: Weizenegg. *n.* 177. vbi ait: quod defensio sit juris naturalis, & nemini deneganda, imò etiam vltrò non petenti concedenda. Vide eundem *c. 8. n.* 135. vbi ait: judicis officium esse, reos si non defendantur, non statim ad supplicium rapere, sed de innocentia

eorum

eorum quærere, *L. si non 19. ff. de pœn.* quantumuis confessi essent, neque mori recusarent. Ratio: quia audiendus non est perire festinans, *L. non tantum 6. ff. de pœnis*, præsertim quando confessiones acerbitate tormentorum extorquentur, & ob metum repetendæ quæstionis, vt fieri solet, non reuocantur. eiusdem opinionis est Thomas Mezger, *consil. crim: 15. n. 72.* Confer quæ scripsimus supra *artic. 47. & in pr. artic. 45. & artic. 56. num. 20.* Quæ autem exceptiones contra propriam confessionem adduci possint, vide apud Iul: Clar. §. *f. quæst. 55.* 21.
Hoc tamen † quod de dilatione concedenda dictum est, Limitat Mezger *consil. crim. 15. n. 72. v declaratur,* nisi delictum fuerit notorium, aut nisi delinquens fuerit captus in flagranti crimine, & confessus, tunc enim non requiritur perseuerantia in confessione, nec tenetur judex reo dare terminum, sed potest statim pœnam promeritam infligere, de quo ego dubito.

DECIMÒ QVARTÒ: † ad hoc, vt quis ex sua confessione condemnari possit, debet processus fuisse legitimus & validus, 22.
Berlich. *p. 4. conclus. 4. n. 44. v. vbi autem* vbi exemplum ponit in processu invalido ratione accusatoris. Sed † contrarium, 23.
quod ex vnica confessione reus possit condemnari, etiamsi huiusmodi confessio facta fuisset in processu nullo, & de jure inualido, puta, quia accusator fuit persona inhabilis ad accusandum, vel libellus fuit ineptus, vel ordo judiciarius non obseruatus, tenet Thomas Mezger *consil. crim: 15. n. 72. ampl. 3.* per Rationem: nam quando judici constiterit de delicto, tenetur ipse tunc ratione officij sui ad promeritam pœnam infligendam procedere, ne scilicet in reip. detrimentum delicta maneant impunita. Verùm ille loqui videtur de confessione tormentis expressa, hic de spontanea.

De effectu negationis in tortura factæ, & si reus legitimè tortus innocens fuerit deprehensus.

ARTICVLVS LXI.

SVMMARIA.

1. Reus in negatione persistens est dimittendus.

2. An in sola dimißione persistendũ?

3. Aliqui putant causam indecisam relinquendam.

4. Alij sub cautione reum dimittendum. 5. ratio.

6. Alij reum ad extraordinariam pœnam condemnandum, si indicia sint valde vrgentia. 7. quod improbatur.

8. Alij reum ab obseruatione iudicij absoluendum.

9. Vel definitiuè, si reus probet suã innocentiam.

10. Alij reum definitiuè & simpliciter absoluendum. 11. 12. 13. rationes.

14. Ita tamen, vt propter noua indicia denuò capi poßit.

15. In praxi si reus verè innocens secundum allegata & probata reperiatur, definitiuè absoluitur. 16.

17. Aliàs ab obseruatione judicij tantùm.

18. In libera custodia retinendus, qui sine periculo & scandalo simpliciter dimitti non potest.

19. Vel quando reus taciturnitatis vitio munitus fuit.

20. Quod in dubio non præsumitur.

21. Judices in liberandis reis non conuictis faciles esse debent.

22. Sumptus quis debeat sustinere post relaxationem rei.

23. Accusator suos & reus suos, 24 cæteros judicij sumptus magistratus. n. 25. 26. ratio 27. & 28. 29.

30. Pœna judicis innocentem torquentis quæ? 31. distinctio.

32. Si ordinarijs medijs & modis vsus legitimè torsit, non punitur 33. si non legitimè, vtique punitur.

34. An in dubio judex præsumatur legitimè torsisse? & seqq.

38. Mors vel mutilatio rei ex multiplici tortura suspicionem induceret contra judicem. 39.

40. Cautela à judice torquente adhibenda. 41.

42. Reus absolutus quando regressum contra accusatorẽ habeat?

QVÆ-

QVÆRITVR † in hoc articulo: quid juris sit tunc, & quid faciendum, quando reus ob legitima & sufficientia indicia captus atque tortus, & tamen neque per propriam confessionem, neque per probationem de delicto conuictus fuit, sed in sua negatione perstitit? hoc in casu certum est, quod dicatur indicia contra se producta purgasse, & quod è carcere sit dimittendus. Sed quia † ipsius fama periclitatur, & sumptus magni facti sunt, ipse etiam innocens repertus, ideo vlterius QVÆRITVR: an in sola dimissione persistendum? Hæc quæstio patitur triplicem sensum, primò vt sermo sit de sententia, quomodo videlicet judex tunc debeat pronunciare. Secundò de sumptibus, quis illos debeat sustinere. Tertiò de pœna judicis & accusatoris, an propterea, quod ille, qui pro reo habitus fuit, minimè reus repertus sit, aliqua pœna, & quali afficiendi sint. 1. 2.

PRIMVM † MEMBRVM quæstionis Imperator indecisum relinquit, Doctores autem diuersimodè respondent. Aliqui putant, quod judex possit relinquere causam indecisam, atque ita pronunciare: sibi non liquere. Alij † existimant, quod reus sit dimittendus sub juramento securitatis, de non vindicando carcere, vulgò gegen einer geschwornen vrphében/ *vide Zanger. c. vlt. num. 2.* vel relaxandus sub fideiussoribus, id est, vt præstet cautionem fideiussoriam, vel si fideiussores habere non potest, saltem juratoriam, quod juri stare, & se præsentare velit toties, quoties fuerit requisitus, vide Hippolyt. *in pract. crim: §. quoniam num. 49.* Ratio vtriusque † opinionis est ista: quia cum judex versetur in dubio, videtur reus neque absoluendus, neque condemnandus, sed causa tamdiu indecisa relinquenda, donec verè & liquidò constet de culpa vel innocentia, ita vt si postea reperiantur legitimæ probationes, possit eum iterum apprehendere, & definitiuè condemnare: si verò reperiantur defensiones & probationes innocentiæ, diffinitiuè absoluere. Et hoc videtur suadere ratio innocentiæ quærendæ, vel ratio vindictæ fauore reip. ne delicta maneant impunita. 3. 4. 5.

In aliquibus † locis solent etiam post grauem torturam, & perseuerantiam in negatione, vbi indicia sunt valde vrgentia, reum condemnare, non quidem ad pœnam ordinariam, sed extraordi- 6.

traordinariam, puta triremium, &c. præsertim quando reus est valde famosus, *Iul: Clar. q. 64. n 38. Thom. Grammat. decis. 22.*
7. *n. 24. Matth Steph. artic. 58. n. 6.* Sed † hæc sententia & practica vtcunque est dura. Ratio: quia diutinæ incarcerationis & torturæ non minor est cruciatus, quam pœnæ corporalis, *Bernhard. Zieriz h.* Ratio alia: quia si indicia fuerunt valde vrgentia, potuit reus vel acriter torqueri, vel tortura sæpius repeti, *per tradita supra artic. 58.* atqui grauis tortura, vel repetitio eiusdem non est modica afflictio. Proinde melius est in misericordia excedere, quam in seueritate, *Zieriz.*

8. Alibi, vt in Italia & Belgio, † reum absoluunt, non quidem definitiuè, sed ob obseruatione tantum judicij, & carcere, Damhaud. *in pract. crim: c. 40. n. 2.* quod laudat Zanger. *c. vlt. n. 10. & 11.* Ratio: ne reip. vindicta tollatur, vt si deinde superueniant noua indicia, de nouo contra eum procedi possit, non obstan-
9. te tali sententia, vide Iul: Clar. §. *f. q. 62. n. 2.* vbi id † maximè verum esse dicit, si reus suam innocentiam non probet, & indicia non sint ad imponendam aliquam pœnam extraordinariam sufficientia. Si autem reus probet suam innocentiam, aliter quam per torturam, quod tunc sit definitiuè absoluendus.

10. Verùm † communior Dd. & iuri quidem conformior opinio est: quod si reus semel vel pluries tortus negauit delictum, illum simpliciter & definitiuè absoluendum, per *text. in L. f. ff. de calumni. c. quoties & c. f ext. de purgat. can: Ant: Gomez var. resolut. tom: 3. c. 13. n. 28. Iul: Clar. q. 62. n. 2. in f. Matth: Stephani*
11. *artic. 58. n. f. Dn. VVeizenegg. dissert. 6. c. 9. n.* 158. Ratio † prima est ista: quia per torturam omnia indicia, quæ aduersus illum erant, sunt purgata, *Iul: Clar. q. 64. n. 38. Steph: & Zieriz. loc.*
12. *cit.* Ratio † secunda: quia de qua re judex cognouerit, de ea etiam pronunciare, debebit *L. de qua re 74. in pr. ff. de iudic:* atqui cognoscere cogitur de fide quæstionis & torturæ. Ergo, *Zanger.*
13. *n. 7. & Gomez n. 28.* vbi addunt Rationem † tertiam: quia si talis causa remaneret indecisa, posset quotidie de imputato delicto inquietari, & forte à maleuolis eo nomine molestari.

14. Ad rationes † in contrarium allatas Respondent, licet reus definitiuè absoluatur, illud tamen intelligi quoad hanc causam, ita

ita vt postea propter alia indicia rursus capi, & contra ipsum debito modo procedi possit, ita vt illi non competat exceptio rei iudicatæ ex tali absolutione, *vide Mynſ. cent. 5. obſ.* 12. *n.* 4. *Matth: Stephani artic.* 58. & *artic. præſ. in f.* & *Bernhard. Zieriz. h.* Vide de hac quæstione etiam *Menoch. l.* 1. *q.* 93.

Atque hæ sunt † diuersæ Dd. sententiæ, & diuersæ locorum obseruantiæ. Si quæras: quid apud nos obseruetur? Respondet Dom: Weizenegg. *diſſert.* 6. *cap. vlt. n.* 203. distinguendo, vtrum reus verè innocens secundum allegata & probata reperiatur, an verò tantum ex eo defendatur, quod neque confessus, neque conuictus fuerit. In primo † casu putat reum definitiuè absolui debere, alioquin ipsi grauis fieret iniuria. In secundo † de iure quidem definitiuè absoluendum esse, sed fauore reip. & moribus nostris, reum hoc casu tantum ab obseruatione iudicij absolui, & vel simpliciter dimitti, vel datis fideiussoribus de iudicio sisti, quandocunque iudex vocauerit. 15. 16. 17.

Quid si † autem sine reip. periculo, ac ciuium scandalo simpliciter è carceribus liberari non posset? ad hoc Respondet idem ibid. nihil impedire, vt in custodia commoda, non pœnali, tamdiu contineatur, donec iudici certior de statu rei notitia afferatur. Idem † ait esse, si ex coniecturis non obscuris constaret, reum (præsertim de veneficio suspectum,) taciturnitatis maleficio munitum esse, de quo vide sup. *art.* 58. *n.* 81. & *ſeqq.* Rectè † tamen monet idem *cap.* 9. *n.* 158. ex eo solo, quod reus non confiteatur, taciturnitatis maleficium non esse præsumendum. Ratio: quia sunt, qui vel sola patientia & fiducia bonæ conscientiæ tormenta contemnant. Securius † igitur esse putat, sufficienter tortum absoluere, quam ad inusitata tormenta deuenire, vel contra Christianæ moderationis temperamentum in corpus hominis liberi & Christiani sæuire: adde, vel libertate sua defraudare, & vel in carcere, vel in custodia diutius detinere. vide eund. *n.* 203. *in fin*: vbi iudicem monet, vt in liberandis reis non conuictis sine magna causa non sit difficilis. 18. 19. 20. 21.

Ad ALTERVM MEMBRVM quæstionis nostræ veniendo, si QVÆRATVR: quis post absolutionē, vel dimissionem, & relaxationem rei sumptus debeat sustinere? discrimē faciendū est inter ex- 22.

pensas accusatoris, inter expensas rei, & inter expensas iudicis.
23. Accusator † sumptus forte in aduocatos, procuratores, & pro testibus adducendis & examinandis factos sibi imputabit: similiter & reus de suo alimenta exoluet, & quia suspicionibus causam dedit, carceris squalorem, quæstionumque dolores æqua mente feret. Ratio † quoad hos sumptus est ista: licet enim reus videtur victor, & victus victori teneatur de expensis, non tantum in causis ciuilibus, sed etiam in criminalibus; siue procedatur per uiam accusationis, siue denunciationis, aut inquisitionis, *Gail.* 1. *obs.* 152. *n.* 1. nihilominus quia vterque probabilem causam litigandi habuit, accusator propter indicia legitima: reus propter innocentiam, expensæ rectè sic compensantur, vt quisque suas sustinere cogatur, per tradita Gailij 1. *obs.* 152. *n.* 3. *&* 6.

24. Itaque † difficultas tantum est de expensis iudicij, quæ scilicet fiunt pro actuarijs, notarijs, pro sportulis lictorum, pro mercede tortoris, pro custode carceris, & de similibus alijs, vtrum eas reus, an verò magistratus & fiscus soluere debeat? Multi
25. † ex Doctoribus putabant, quod reus deberet sumptus illos sustinere, adeo quidē, vt secuta absolutione rei, & si per sententiam iudicis liberetur, possit commentariensis, siue custos carceris illum retinere, pro expensis in carceribus factis, donec soluerit, aut accordauerit, *Iulius Clarus* §. *f. q.* 62. *n.* 10. *inf. Guid. Papa*
26. *decis.* 448. Quamuis † Iodocus Damhauderius *in pract. crim. c.* 17. *n.* 17. iuris esse putauerit: quod reus crimine absolutus illicò relaxandus, atque suæ libertati pristinæ dimittendus sit, custos autem sumptus reposcere debeat ab illis, qui ipsum carceri mandare curauerunt: idem tamen ibidem testatur, quod vsu in Belgio recepto soleant commentarienses suos captiuos tamdiu retinere, donec per ipsos aut alios sibi de sumptibus satisfactum fuerit. Vide etiam Nicol. Boërium *decis:* 303. *item decis.* 324. vbi multa de expensis, reorum nomine factis, in diuersis materijs congerit.

27. Verùm † CAROLVS Imp. justissimè decidit contrarium, quod videlicet tunc, si reus indicia per torturam purgauerit, magistratus debeat reliquos iudicij sumptus pro carnifice & ministris iu-
28. dicij, nec non pro custode carceris factos sustinere. Ratio † est: quia

quià quandocunque quis munere ſuo fungitur, vel aliquid facere tenetur, ob compenſationem factæ ſibi conceſſionis, tunc idipſum proprio ſumptu & expenſis facere tenetur, *arg. L ſuo victu ff. de operis libert. Sichard. ad L. 1. n. 3. & ſeqq. C. de neg. geſt.* atqui magiſtratûs munus & officium eſt, malis hominibus prouinciam purgare, *L. congruit ff. de off. præſid.* & propterea altam iuriſdictionem, ſiue merum imperium accepit. Ergo tenetur ſumptu publico iudicium exercere, & gratis ea, quæ iuſtitiæ conueniunt, exhibere *Matth: Stephani inf. artic. 204.* Ratio † alia: 29.
quia magiſtratus noſtri pro magno honore & priuilegio reputant, ſi altam iuriſdictionem, & ius gladij, vulgò den Bluttban/ ab Imperatore acquirant: Ergo meritò ſumptus eo nomine impenſos ſuſtinent: quia honor eſt ſumptuoſus, *addit. ad gl. v. decreſcat. inſt. per quas perſon: nob. acquir.* Plura de hac materia expenſarum redibunt infra, interim vide *Iul. Clar. §. f. q. 62. n. f.* Farinac: *q. 16. n. 70. & ſeqq.* vbi limitationes quaſdam reperies. confer. *Summam c. 10. n. 9.* vide Menoch. *de arbit. caſ. 321. n. 9.*

Ad TERTIVM † MEMBRVM quæſtionis noſtræ, vtrum videlicet iudex, qui reum innocentem tormentis ſubiecit, puniendus 30.
ſit, & quomodo? Reſpondet † Imp. cum diſtinctione: vel iudex 31.
ordinarijs & in iure conceſſis modis ac medijs in torquendo vſus fuit, iuſteq́; & legitime torſit, vel illegitimè, iniuſtè, immoderatè, indebitè, contra legum Imperialium ſanctiones. In primo † caſu 32.
nullam prorſus pœnam meretur. Rationem reddit Imp. ipſe in textu: quia indicia legitima & ſufficientia torturæ cauſam dederunt, & quia non tantum à malo, verum etiam à ſpecie mali, quæ ſiniſtram ſuſpicionem mouere poteſt, abſtinendum eſt, *c. cum ab omni 10. ext. de uit. & honeſt. Cleric. c. audiuimus 41. ext. de Simonia* & quia boni tam ſuſpicione, quam crimine carere debent, ex mente Iulij Cæſ. *apud Suet. c. 74.* itaque damnum, quod quis ſuâ culpâ ſentit, ſibi debet imputare, *c. damnum 86. de R. I. in 6.* iuris enim executio non habet iniuriam, *L. iniuriarum 13. §. is qui iure 1. ff. de iniur.* & quod lege permittente fit, rectè fit, neque pœnam meretur, *L. Gracchus, C. ad L. Iul. de adult. Gomez lib. 3. c. 13. n. 6.*

In ſecundo caſu, † ſi reum non legitimè, ſed iniuſtè, iuris 33.

ordine non seruato, vel vltra modum torquet, vtique puniendus est. Sed quâ pœnâ? Imperator Respondet, quod cum satisfactione de damno, & doloribus, sit pro ratione excessus puniendus, & eo nomine apud superiorem suum iudicem conueniendus. Nos iam supra *artic.20.* Doctorum opiniones super hac quæstione exposuimus, quò nos breuitatis causa remittimus. Confer Summam *c.5. n.76. & seqq.*

34. Hoc autem loco illa † QVÆSTIO restat: vtrum in dubio iudex censendus sit iustè & legitimè, an verò iniustè & indebitè
35. reum torsisse? ad hoc Respondet † Wesenb. *in parat. n.9. ff. de quæst.* hoc ipso, quod non ostendatur diuersum, præsumendum esse, torturam iniuste decretam. idem tradit Matth. Steph. *h. circ f.* Ratio: quia stat pro reo iuris præsumptio contra iudicem: nisi ille sufficientia indicia præstò fuisse liquidò demonstret. Contra-
36. rium † tenet Gomez *l. 3. c. 13. n. 6. §. si verò*: vbi dicit, quod in dubio non sit præsumendus dolus, culpa, vel excessus in iudice, sed quod aduersario alleganti incumbat onus probandi, quia
37. pro officio iudicis præsumitur, *arg. L. dolum. C. de dolo.* Huic † tamen præsumptioni neutiquam locus est, vbi contrarium per euidentiam facti apparet, *Em. Soarez in annot. ad Gomez. loc. cit.*
38. Hinc dicit Iodoc. Damhaud *prax. crim: c.38. n.18.* si † reus ex multiplici torturæ reiteratione, & assiduis cruciatibus tandẽ succumbens moreretur in pœna, aut certè vllam corporis mutilationem incideret, homicidij aut mutilationis suspicione illicò notandus esset iudex, etiamsi digna apertaque satis ad torturam
39. habuisset indicia, nisi † semet expurgare posset, & re declarare, quod in torquendi mandato & actu modum à lege præscriptum non excesserit, nihil dolo, odio, aut malitia tentârit, sed omnia ex Zelo iustitiæ, ad veritatis inquisitionem, fideliter & prudenter
40. fuerit consectatus. Vt autem † judex extra periculum sit, & eò melius processum suum iustificare possit, traditur ab Antonio Gomez *d. n. 6. v. si verò iudex* & Iulio Clar. *n. 37. in f.* hoc consilium, vt adhibeat Notarium, qui diligenter scribat, & ponat in actis modum & qualitatem torturæ & omnia alia particularia,
41. quæ in ea interueniunt. Ratio: † vt possit apparere & constare, an interuenerit aliqua culpa, vel excessus ex parte iudicis, vel non.

Et

Et ita dicunt communiter fieri, & à peritis notarijs & iudicibus seruari. Aliam cautelam pro iudice vide apud Iul: Clar. *n. 39.* Quomodo † autem reus absolutus contra accusatorem procedere 42. possit, id iam supra *artic. 12.* ostensum fuit, & infra *art. 99.* iterum aliquid dicetur.

De Reo conuicto, vel conuincendo.

AVdiuimus iam aliquoties, quod nemo condemnari possit, nisi vel confessus sit, vel conuictus, & quod alterutrum per se solum ad pœnam ordinariam inferendam sufficiat, vide sup: *art. 16.* & Dn: Weizzenegg. *c. vlt. n. 161. dissert. 6.* Cum itaque hactenus ad longum actum fuerit, de reo confesso, agendum nunc sequitur, de reo conuicto, vel conuincendo.

De Probatione delicti.

ARTICVLVS LXII.

SVMMARIA.

1. *In defectu confessionis reus probationbus conuincendus.*
2. *Quæstiones huius articuli.*
3. *Accusator ad probationem criminis admittendus, & quare. n. 4. 5.*
6. *Quomodo delicta probentur?*
7. *An per literas & instrumenta? 8. 9.*
10. *An acta vnius iudicij probent delictum in alio?*
11. *Deprehensio in flagranti, quam vim probandi habeat.*
12. *Euidentia facti quid operetur?*
13. *Confessio extraiudicialis, & iactatio, probationem plenam non facit.*
14. *Fuga crimen non plenè probat.*
15. *Transactio & deprecatio non inducunt probationem capitalis delicti.*
16. *Contumacia in criminalibus non habetur pro confessione.*
17. *Confessio procuratoris, vel principalis, in causa ciuili, non facit probationem in criminali.*
18. *Præsumptiones & indicia an & quando probent in criminalibus. & n. 19.*
20. *Transitus ad sequentia.*
21. *Probatio ante & post torturam fieri potest.*

1. SI reus † delictum non fatetur, tunc legitimis probationibus conuinci potest, vel debet. *vide Summam c. 6. n. 32.* sufficit enim crimen probatum esse, quamuis reus illud confessus non sit: quemadmodum etiam contra, sufficit reum crimen esse confessum, quamuis illud non sit probatum, *vide Farinac. q. 81. n.*
2. *1. & 2. Nicol. Vigel. in meth. Carol. c. 3. q. 5. reg. 2. inf.* Itaque † hoc loco tria potissimum in quæstionem veniunt, quis probare debeat delictum? quomodo, & quando?

3. Ad Primum † Respondet Imp. quod accusator (in casu scilicet, quo per viam accusationis proceditur) ad probationē sit ad-
4. mittendus. Ratio: cur † accusatori hoc imponat Imp. est ista: quia iuxta vulgarem regulā: actori incumbit probatio, *L. actor. 23. C. de probat. text. in L. 4. C. de edendo* vbi dicitur: qui accusare volunt, probationes habere debent. Cum itaque accusator sit loco actoris in criminalibus, vtique ei onus probandi incumbit: adeo vt accusatore non probante reus absoluatur, & si is, qui conueni-
5. tur, nihil præstiterit *d. L. 4.* Ratio † cur ad probandum admittatur, est ista: tum quia reip. interest peccata nocentiū nota esse, *L. 18. in pr. ff. de iniur.* & non manere impunita, *L. ita. 15. §. æstimatio ff. ad L. Aquil.* tum quia actoris plurimum interest, si pœnam calumniæ euitare velit.

6. Ad alteram † quæstionem Imperator tantum in genere respondet, quod legitimè probare debeat, alß recht ist. Et quam-
7. uis † in causis ciuilibus pro legitimis probationibus habeantur testimonium duorum testium, item instrumenta, non tantum publica, sed etiam scriptura priuata contra scribentem, similiter euidentia facti, & præsumptiones: tamen in criminalibus nullum delictum plene & sufficienter per solas literas & instrumenta sine alio adminiculo probari potest, *Iul: Clar. §. fin. q. 54. n. 1. Gail. 1. de P. P. c. 15. n. 13. Soarez. communi: opin: lit. I. n. 152. text. in iur. Bauar. tit. 4.* der Malefitzproceß Ordnung *artic: 3.* vbi Ra-
8. tio † redditur: quia & si maximè scriptura aliqua contra reum scribentem producatur, & in ea contineatur, ipsum delictum aliquod commisisse: debet tamen ipse prius confiteri, vel si neget, de hoc conuinci, quod manus ipsius sit. Et si maximè fateatur, tamen hoc solum non nisi indicium facit delicti contra reum, ad

instar confessionis extraiudicialis ad torturam sufficiens, *VVeizeneg ger. diss. 6. n. 184.* Ratio † rationis in eadem constitutione 9.
Bauarica habetur: quia sæpe fit, vt aliquis de delicto, vel oretenus, vel in scriptis glorietur, quod tamen non admisit. Rationem aliamreddit Thom. Mezger. *consil. crim. 15. n. 105.* vbi vide cui adde, quod literis delicta non committantur, sed facto, vide Dominum Weizenegger *differt. 6. c. vlt. n. 183. & 184.* & ad longum Farinac. *q 81.* vbi rectè † LIMITANT, & tradunt: hæresin, con- 10.
iurationem, conspirationem, iniuriam, aliaq; quæ conuentione, dicto vel scripto perficiuntur, per scripturam vtique probari posse, vide etiam Mascard. *de probat. conclus. 420. n. 5.* Adde Iul: Clarum §. *f. q. 54. n. 1.* vbi tradit, crimen per instrumentum non probari, quando consistit in facto ab ipso instrumento separato, vti est homicidium, furtum, adulterium. Sed si crimen consisteret in animo, prout est hæresis, vtique per instrumentum, in quo aliquis assereret aliquid hæreticum, posset crimen ipsum probari. Similiter si quis ratificet per instrumentum delictum commissum ab alio, talis ratificatio, quæ ipsa quoque delictum est, poterit per instrumentum probari. Item si delictum consisteret in facto connexo instrumento, puta si aliquis faciat instrumentum contractus vsurarij, certè poterit delictum vsuræ per illud instrumentum probari, *id. ibid.* Vide etiam *Gail. 1. de P. P. c. 15. n. 18.* vbi tradit, delictum, quod contrahendo vel promittendo committitur, priuata scripturâ probari posse, sicut etiam instrumento publico. Sex alios casus, quibus delicta probantur per instrumenta, vide apud Thom: Mezger *consil. 15. n. 105.*

Quid si † autem producantur acta iudicialia, anne illa pro- 11.
bant delictum? ad hoc Respondet Iul: Clar. *loc. cit. n. 2.* quod acta facta in iudicio ciuili non faciant fidem in criminali, non tantum tunc, quando causa ciuilis fuitagitata super aliqua re in controuersiam deducta, sed etiam tunc, si fuerit intentata super crimine: intellige ad hoc, vt plenè probent, sed bene faciunt ad inquirendum *d. n. 2. & 3.* De hoc autem minus dubium est, quin acta alicuius iudicij criminalis, quæ de reo examinato, confesso, conuicto, vel semel punito testantur, contra eum (forte alibi denuò apprehensum, & idem postea delictum iterantem) producta

ducta probationem inducant: quia acta notorium iuris inducunt, *Thom: Mezger. consil. crim. 15. n. 78. circ. fin: Farinac: q. 21. n. 14. ad longũ* interim tamen, quia super confessione iudiciali ipsius rei, vel super testimonijs desuper auditis confecta sunt, ideo tota probatio fere confessioni, vel testibus tribuitur. Sed de hoc vide plura apud Farinac: *dict. q. 81.* & Card. Tusch. *lit. C. conclus. 641.* vbi ad longum tradit, quando confessio facta in vno iudicio probet in alio, *n. 58. & seqq.*

12. Quam † vim probandi habeat deprehensio in flagranti crimine, discussimus ad longum sup. *art. 16. n. 21. & seqq.* Eui-
13. dentia † facti, & notorietas, ex mente quorundam plenam quoq; probationem in criminalibus facit, *arg. c. euidentia. ext. de accusat.* Damhaud. *c. 49. n. 3.* Berlich. *p. 4. conclus. 4. n. 46. & 48.* vbi dicit, quod probatio, quæ ex aspectu & veritate notorij oritur, omnem aliam probationem vincat, *confer. notata sup. art. 44. n. 22. & seqq.* Sed nos *sup art: 16. n. 50. & seqq.* ostendimus, reum etiam notoriè & palam delinquentẽ non semper condemnari posse, sed iudicem super ipsa notorietate informationem sumere, & testes desuper examinare debere: quia multa ad hoc requiruntur, vt aliquid notorium dicatur, inprimis autem, vt probetur & decla- retur notorium, adeo vt licet crimen in conspectu iudicis publicè perpetratum sit (extra iudicium) nihilominus tamen adhuc opus sit notorij probatione: tum quia iudex extra iudicium personam priuati sustinet, *c. 2. ext. de off. iud. ordin:* tum quia excusatio, quæ condemnationem impediat, subesse potest, Mezger *consil. crim. 15. n. 80. & 81. & n. 76. in fin.* qui *à n. 77. vsque ad n. 82.* multa de notorio tradit, quid & quotuplex sit, quid ad illud requiratur, & quid operetur. Quandoquidem ergo nihil tam euidens est, quod non plurimis (præter iudicem) innotescat, *Harp. §. fin minus 34. n. 9. inst. de action.* & quia periculum, de quo sup. *art. 16. n. 55. & seq.* iudici imminere potest: ideo plerumque mauult ex testium depositionibus, quam ex sola notorietate iudicare.

14. Confessionem † extraiudicialem, & iactationem, indicium quidem ad torturam, & semiplenam probationem facere, dictum est sup. *art. 32.* plenè autem non probare, expresse declaratur in iure Bauario *tit. 4. art. 3.*

Sic

Sic † volunt fugam operari quandoque confessionem, *vide Capyr. decis. 121. num. 22.* sed ad condemnationem non sufficere, habetur in iure Bauarico *loc. cit.* & nos sup. *art. 25. n. 52. & seqq.* ostendimus, ne quidem semiplenam probationem, & indicium ad torturam per se efficere. 15.

Transactio † in criminalibus quandoque pro confessione habetur, *L. 18. C. de transact. L. quoniam. 5. C. de his qui not. infam. L. 4. ff. de iur. fisc. L. fin. ff. de preuaric.* in caussis tamen capitalibus plenam probationem non efficit, (quemadmodum nec deprecatio) *L. 1. ff. de bonis eor. L. transigere 18. C. de transact d. L. fin. ius. Bauaric. loc. cit.* 16.

Contumacia † non respondentis, licet in ciuilibus pro confessione habeatur, *arg. L. de atate 11. §. qui tacuit 4. ff. de interrog. act. Gail. 1. obs. 80. n. 2.* & articuli in contumaciam non respondentis pro confessis acceptari queant, *c. 2. de confess. in 6. idem Gail. 1. de PP. c. 15. n. 1.* hoc tamen non procedit in criminalibus. Ratio: quia contumacia est tantum ficta confessio, *Gail. n. 10.* Alia Ratio horum omnium: quia in criminalibus requiruntur probationes luce meridiana clariores, *id. ibid. n. 3. & seqq.* Rosb. *prax. ciuit. tit. de respons. n. 22.* vnde quod in ciuilibus plenè probat, in criminalibus vix semiplenam probationem implet, *VVes. n. 18. ff. ad L. Iul. de adult.* 17.

Hæc ipsa † caussa est, quod confessio procuratoris in caussa ciuili non præiudicet principali in alio judicio criminali, imò ne propria quidem plenam probationem facit, sed semiplenam tantum, ad instar confessionis extraiudicialis, *Iul. Clar. d. q. 54. n. 4. & seqq.* 18.

An autem † & quando præsumptiones & indicia in criminalibus ad condemnationem sufficiant, vide apud Gail *dict. c. 15. n. 18. & seqq.* Menoch. *lib. 1. præsumpt. q. 92. cum seqq.* Mezger. *consil. crim. 15. n. 106. cum seqq.* Wesenb. *n. 12. ff. de accusat.* cum quibus confer, quæ notauimus sup. *artic. 22.* Plura de † indicijs indubitatis, quam vim probandi habeant, vide apud Farinac. *q. 86.* & quæ notauimus *art. 22.* Cum itaque plena probatio in criminalibus potissimum per testes fiat, ideo Imperator in toto sequenti tractatu probationum de testibus præcipnè agit, & quia duo testes haud reprobabiles plenam probationem effi- 19. 20.

ciunt, ab initio declarat, quinam reprobari possint, vel non possint.

21. Ad tertiam † quæstionem Rospondetur in jure Bauario *tit. 3. art. 8.* quod accusator non tantum ante, sed etiam post torturam audiendus sit, si crimen probare velit: iudex autem omnem diligentiam adhibere debeat, vt ante torturam fiat: nisi probatio difficilis & prolixa esset, indicia autem fortia, ita vt reo per torturam non possit fieri iniuria, vide etiam Nicol. Vigel. *method. Carol. c. 4. q. vlt. reg. 7.*

De Testibus ignotis.

ARTICVLVS LXIII.

SVMMARIA.

1. *Testes ignoti reprobantur, & quare? n. 2.*
3. *Si tamen reus contra eos excipiat, & quare? n. 4.*
5. *Et producens non probet eos fide dignos esse. 6.*

HOc loco Quæri poterat: quænam personæ in criminalibus à testificando repellerentur? ad quod in genere respondet Thom: Mezger *consil. crim. 15. n. 89. & 90.* quod omnes ij, qui repelluntur in ciuilibus; quia causæ criminales magis arduæ
1. sunt. Ad speciem autem descendendo inter † eos, qui reprobari possunt, ab initio statim numerat Imperator testes ignotos. Ratio est: quia conditio & qualitas testium non debet esse ignota, cum iudici, tum parti, contra quam producitur, *Zierizius h.* Si ergo testis neque de visu, neque de auditu, neque alia ratione notus, sed ignotus & peregrinus sit, ad testimonium non est admittendus. *Godelman: de magis & veneficis l. 3. c. 6. n. 24. Berlich.*
2. *p. 4. concl. 4. n. 131. Remus & Matth. Steph. h.* Ratio: quia † posset esse homo improbus, & multos pati defectus, ob quas eius testi-
3. monium non esset integrum. Hoc tamen † LIMITAT Imp. in textu: dummodo reus contra eum excipiat, ibi: auffanfechtung
4. deß gegentheils. Ratio: quia † licet iudex ex officio possit inhabiles & inidoneos repellere, *per L. quæsitum 13. ff. de testibus: Zieriz. h.* quia tamen in dubio quilibet præsumitur bonus, & integer, & quia pro dictis testium regulariter præsumitur, nisi ali-

quid

quid subsit, quod iudici testimonium faciat suspectum, *argt. L. 3. in pr. ibi: nam si careat. ff. eod.* ideo quia de contrario nõ constat, si reus illum admittit, etiam iudex admittere debet, ipse enim reg: non supplet exceptiones, *VVesenb n. 9 in f. ff. de except. vid. eund. n. 8. C. eod.* Sublimita: † vt non obstante rei exceptione testis 5.
ignotus nihilominus admittatur, si producens probet, eum esse fide dignum. Ratio: quia quod † repellatur, id ea de causa contingit, quia de vita & moribus eius non constat: atqui si probetur, ipsum integrum & virum honestum esse, ratio & causa prohibitionis cessat. Ergo cessare debet ipsa prohibitio, siue reprobatio, Menoch. *de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 1. n. 39.* 6.

De Testibus redemptis & pretio corruptis.

ARTICVLVS LIV.

SVMMARIA.

1. *Testis pretio redemptus vel corruptus reprobatur, & quare? n. 2. 3.*
4. *Et criminaliter punitur.*

REprobatur † quoq; testis redemptus, & corruptus pretio, 1.
vel mercede conductus, qui videlicet ob testimonium dicendum, vel non dicendum, pecuniam accepisse conuictus fuerit, *text. h. & in L. 3. §. lege 5. ff. de testib. L. testium 18. C. de testib. c. 1. & c. sicut vobis. 9. ext. de testib. vide Damhaud. c. 50. n. 21. Godelm: loc. cit. n. 24. Berlich. n. 132. Thom: Mezger. consil. crim. 15. n. 88.* Ratio: quia † in dubio præsumitur falsum dixisse, 2.
Farinac. de testib. q. 67. n. 37. Ratio rationis: quia pecunia facile peruertit humanum iudicium: & quia in teste maximè fides & veritas requiritur: atqui merces & pretium fidei & veritati derogat, quia officia fidei gratis sunt præstanda, *L. 1. in f. ff. mandati*, amicitiæ & fidei contraria est merces, *VVesenb. n. f. ff. de prascript. verb.* & veritas † quatuor potissimũ modis opprimi dicitur: cupi- 3.
ditate pecuniæ, timore, odio & amore *c. quatuor 11. q. 3.* amor enim carnalis, & timor, atq; auaritia plerumq; sensus hebetant humanos, & peruertunt opiniones, vt quæstũ pietatem putent, & pecuniam quasi mercedem prudentiæ, *c. accusatores 12. caus. 3. q. 5.* Ampliat † autem Imp: assertionem suam, vt testis pretio corruptus non modò sit à testimonio repellendus, sed etiam 4.

criminaliter puniendus. Quâ autem pœnâ? vide apud Menoch. *de arbit. iud. l. 2. caſ. 310.* Farinac: *dict. q. 67.* vbi plenè de teſte corrupto per ampliationes & limitationes agit. Iul: Clar. §. *falſum. n. 13. in fin.*

Quomodo teſtes deponere debeant?

ARTICVLVS LXV.

SVMMARIA.

1. *Teſtes debent deponere de ſua propria ſcientia.*
2. *De veritate facti per ſenſum corporeum percepta. 3.*
4. *Teſtis dicti ſui rationem reddere debet.*
5. *Teſtis de auditu alieno deponens fidem non facit, & quare? n. 6. & ſeqq.*
9. *An vero de auditu proprio?*

1. AD hanc † quæſtionem Reſpondet Imp. in textu noſtro, quod teſtis debeat deponere de ſua propria & vera ſcientia, item ſcientiæ ſuæ exactam rationem reddere, & non tantùm de auditu alieno loqui.

2. Ratio † primi: quia ad hoc, vt teſtis probet, neceſſe eſt, vt de veritate facti deponat, aliàs nullam fidem facit, Farinac. *quæſt. 68. n. 62.* Ergo debet de ſua ſcientia, non tantùm de credulitate deponere, *VVeſenb. n. 8. ff. de teſtibus, Farinac. loc. cit. n. 62. cum*
3. *pluribus ſeqq.* vbi hoc ampliat, & limitat. quia autem † ſcientiam hanrimus per ſenſus noſtros corporeos, ideo pro regula tradunt: quod teſtis debeat deponere de rebus ſenſatis, hoc eſt, de rebus, quæ cadunt in ſenſum corporeum, *arg. L. qui teſtamento 20. §. pen. ff. de teſtam.* quo actus, ſuper quo deponunt, percipitur, Thom: Mezger *conſil. crim: 15. n. 84.*

4. Ratio † ſecundi: quia ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere, *Dd. ad L. ſcire leges 17 ff. de LL.* Ergo hoc ipſo, quia teſtis de ſua ſcientia deponere debet, etiã dicti ſui rationem reddere tenetur, per *L. ſolam. 3. & ib. gl. C. de teſtibus. c. vlt. §. ſolum 4. q. 2. Nicol. Vigel. in inſtit. l. 2. c. 6. except. 80. cum ſeqq. vbi ad longum declarat.* Rosbach. *prax. ciuil. tit. 58. n.* 18. Vide de hoc ad longum Farinacium *q. 70.* vbi pluribus ampliat & limitat, & Thom: Mezger *d. n. 84.* vbi exemplo rem declarat.

Ratio

Ratio † tertij, & quare testis de auditu alieno deponens 5.
fidem non faciat, *c. 33. ext. de testibus* quadruplex redditur à Farinacio *q. 69. n. 3. & seqq.* Prima & præcipua † est ista: quia te- 6.
stis debet deponere de eo, quod nouit, & præsens fuit, & sic per proprium sensum, non autem per sensum alterius. Ratio † alia: 7.
quia per auditum alienum non percipitur veritas sensus, sed solum relatio veritatis, cui non est credendum sine iuramento eius, à quo ista relatio causam habuit. Hinc iuxta commune prouerbium, plus creditur vni testi oculato, quã decem auritis. Ratio: 8.
quia † oculi rebus ipsis interueniunt, auribus autem non cum ipsis rebus est commercium, sed cum sermonibus, rerum interpretibus, non semper veritatem sectantibus, Alberic. Gentilis *tract. de nupt. l. 7. c. 10. f. 785.* An autem † & quando testi cre- 9.
datur, deponenti de auditu proprio? vide Farinac: *dict. q. 69. c. 4. n. 146.* cum plurimis *seqq.* vbi ad longum declarat. Confer Summam *c. 6. n. 42.*

De Testibus idoneis & inidoneis.

ARTICVLVS LXVI.

SVMMARIA.

1. *Vt reus per testes conuincatur debent esse idonei, & omni exceptione maiores.* 2. 3. 4.
5. *Idonei non sunt scelerati & criminosi* 6. 7. 8. 9. *qui non sunt probatæ vitæ, & opinionis, vel bonæ conuersationis.* 10.
11. *Infames non possunt esse testes.*
12. *Delatores, qui reum per se vel alium detulerunt, vel diffamarunt.*
13. *Inimicus à testimonio repellitur, & qui cũ inimicis habitant.*
14. *vel inimici capitales fuerunt.*
15. *Qui litem habuerunt cum reo.*
16. *Qui ipsimet de eo crimine sunt suspecti.*
17. *Subornati ab alijs, & qui conspirant de testimonio contra aliquem dicendo.*
18. *Qui se sponte obtulerunt.*
19. *Qui minis vel alia ratione coacti sunt, vt testimonium dicerent.*
20. *Qui reo sanguine, vel alia affectione sunt coniuncti.*
21. *Vt consanguinei.* 22. *coniuges.*
23. *amici magni, aduocati, procuratores, ij, quibus reus seruitium, vel beneficium præstitit,*

& qui affectionē erga reum habent.
24. *Testis domesticus reprobatur.* 25 *ratio.*
26. *Nisi vtrique parti aqualiter sint coniunctus.*
27. *Aut de domesticis & occultis delictis audiatur.*
28. *Aut ad defensionem producatur.*
29. *Testis inhabilis est pauper.*
30. *Nisi sit honesta persona.*
31. *Aut iudex ex officio procedat.*
32. *Mulier de iure canonico non potest esse testis in criminalibus,* 33. *sed de iure ciuili.* 34. *nisi in casibus exceptis.* 36. *distinctio Doctorum* 37. *in depositione mulierum ad quid attendi debeat.*
38. *Impuberes testes esse non possunt.* 39. *nec minor* 20 *annis*, 40, *& quare?*
41. *Quæstiones alia remissiuè.*

1. QVandoquidem † reus aliter conuinci nequit per testes, nisi sint idonei, & sufficientes, ideo in hoc articulo
2. QVÆRITVR: quinam † testes dicantur idonei? ad quod Respondet Imp: illos dici idoneos, quibus nulla exceptio potest obijci, qui de jure non possunt reprobari, vel repelli, qui ita sunt compositi, vt eis nihil opponi possit, nulla inhabilitas, nullus defectus. Vno verbo: testes omni exceptione maiores. Ratio †
3. est: quia probationes in criminalibus debent esse omni suspicione & exceptione immunes, *jus Bauar.* in der Gerichts Ordnung/ *tit. 7. L. 9. vide Thom: Mezger consil. crim. 15. n. 82. Farinac. q. 62. num. 1. per L. sciant cuncti. C. de prob.* Damhaud. *prax. crim: c. 50.*
4. *n. 27.* Ratio † alia: quia in ciuilibus testes fidem non faciunt, nisi sint omni exceptione maiores. Ergo multò minus in criminalibus, cautius enim agendum est, vbi agitur de salute hominis, *Matth. Stephani h.*

5. Sed jam vlterius QVÆRITVR: quinam † testes de jure reprobari possint? Ad hanc quæstionem non Respondet Imp. fortassis ideo: quia putauit id vnicuiuis facile ex jure ciuili innotescere posse, ex *c. si testes 3. caus. 4. q 3. L. testium 3. ff. de testibus.* Verum Serenissimus Elector noster hunc defectum suppleuit in der Malefitz Proceß Ordnung/ *tit. 4. art. 4.* vbi repellit

6. PRIMÒ homines † sceleratos, & criminosos, inter quos Eusebius Papa, *c. constituimus 9. caus. 3. q. 5.* numerat homicidas, maleficos, sacrilegos, fures, raptores, adulteros manifestos, veneficos,

neficos, ſortilegos, periuros, lenones, concubinarios manifeſtos, inceſtos, eos qui raptum fecerunt, vel falſum teſtimonium dixerunt, (vide Mezger *conſil. crim*: 15. *n.* 100. *& n.* 99.) & eius farinæ plures alios. Ad quod eſt etiam textus in *c. ex parte* 7. *& c. ſuper eo* 13. *ext. de teſtibus.* vbi † Alexander III. Pontifex reprobari vo- 7.
luit non tantùm conuictos, vel iam ante confeſſos, de criminibus illis, ſed etiam eos, qui adhuc conuinci poſſunt, adde *c. conſanguineorum* 4. *cauſ.* 3. *q.* 5. Rationem † reddit Euſebius *loc. cit.* 8.
quia tales infames ſunt, ideoque juſtè repellendi, quia funeſta eſt vox eorum. His addit † Damhauderius *cap.* 50. *n.* 26. etiam me- 9.
retrices, item *n.* 16. excommunicatos, & hæreticos, per Rationem: quia reprobantur omnes, qui non ſunt probatæ vitæ, opinionis, & honeſtæ ac bonæ conuerſationis, *L.* 3. *ff. de teſtib. per c. ſuper eo & c. teſtimoniū* 54. *ext. de teſtib.* Eadem † de cauſa meritò 10.
in dicta conſtitutione Bauarica repelluntur banniti, prodigi, luſores, hiſtriones, falſarij. (Ratio: quia hi omnes non ſunt integræ vitæ & famæ) vide plures apud Farinac. *q* 56. *art.* 3. *per tot. item art.* 5. *art.* 6. 7. 8. 9. 10. 11. Ex dictis ſequitur

SECVNDÒ: quod † infames non poſſint eſſe teſtes, *L.* 3. *in pr.* 11.
ff. de teſtibus, L. Caſſius 2. *ff. de ſenat.* Ratio: quia infamia eneruat omnem fidem, Weſenb. *n.* 8. *ff. de his qui not: infam:* vbi toto iſto titulo videre eſt, & ego *q* 9. ordine alphabetico ad longum declaraui, quinam dicantur infames, id quod etiam tradit Farinac. *q.* 56. *artic.* 12. *n.* 399. *cum ſeqq.* vbi in ſpecie plures enumerat. Quando autem infames ad teſtimonium admittantur, vide apud eundem *q.* 56. *n.* 1. *& ſeqq. vſque ad n.* 125. 12.

TERTIÒ † repellit Sereniſſimus Elector noſter eum, qui per ſe vel alium reum detulit, vel ita diffamauit, vt poſtea judici deferretur. vide ſup. *art.* 16. *n.* 34. *& ſeq.* Ratio: quia † nemo poteſt eſſe ſimul teſtis & accuſator, *c. accuſatores* 12. *cauſ.* 3. *quæſt.* 5. Damhaud. *c.* 50. *n.* 22. vbi grauiter inuehitur in iſtos officiarios, qui eoſdem ad teſtimonia producunt, quos prius habuerunt delatores, non alia forte de cauſa, quam vt hac ratione ex innocentium oppreſſione pecuniariam condemnationem aſſecuti ſuis conſulant marſupijs, vide Farin. *de teſtib. in indice. v. accuſat.*

QVARTÒ † repellitur à teſtimonio inimicus, per *L.* 3. *ff. de* 13.
teſtibus

testibus c. repellantur & c. cum oporteat. 19. ext. de accus. c. si testes 3. caus. 4. q. 2. & 3. Anton: Gomez. *var. resol. tom. 3. c. 12. de probat. delict. n. 14.* vbi ad longum declarat, Damhaud. *c 50. num. 3.* vbi extendit ad eos, qui cum aduersarijs, inimicis & hostibus familiaritatē aut domesticam conuersationē habent, *d. c. repellantur.* vide de hoc ad longum Farinac. *q.* 53. vbi pluribus ampliat & limitat, similiter Thomam Mezger *consil. crim. 15. n. 92. & seqq.* Ratio autem est: quia inimicus præsumitur inimico malè velle, & amici inimici mei, præsumuntur mei proprij inimi-
14. ci, *Farinac. ibid. num. 36.* Vnde † reprobatur etiam is, qui aliquando capitalis hostis, aut inimicus fuit, *Damhaud. num. 4.* per Rationem: quia is nunquam vindictæ suspicione caret. Et non † tantum inimicus notorius, sed etiam præsumptus, Farinac. *n. 24.* qua de causa Serenissimus Elector noster reijcit etiam illum, qui
15. litem ante habuit cum reo. Ratio est: quia talis præsumitur inimicus, *Dd. ad §. inimicitiæ 11. inst. de excus. tut.*

16. Qvintò † repellit sua Serenitas eum, qui ipsemet de eo crimine est suspectus. Rationem addit talem: quia talis culpam libenter in captiuum reijcere vellet, & à testimonio repellitur eodem morbo laborans, *c. personas 20. ext. de testib.* Rei enim imputando alijs crimina cogitant habere subsidium, *Rosbach. prax. crim. tit. 5. c. 28. n. 1.*

17. Sextò † repelluntur subornati ab alijs, & qui conspirant, de testimonio contra aliquem dicendo; *per text. in c. conspiratores 5. caus. 3. q. 4. c. cum oporteat 19. ext. de accusat.* Ratio: quia tales plerumque de mendacio conspirare, & præmeditatos sermones afferre possunt, & solent, *arg. L. 3. §. ideo 1. ff. de test:*

18. Septimò ij, qui † se sponte per se, vel alios, ad dicendum testimonium obtulerunt. Ratio: quia suspectus est, qui se vltrò ingerit, *L. quæ omnia 25. ff. de procurat.* & testis spontaneus concinnat linguam suam mendacio, *c. 12. prouerb. v. 19.*

19. Octavò: qui † minis vel aliâ ratione coactus est, vt contra alium testimonium dicat, *d. art. 4.* Ratio: quia si per metum gesta in causis ciuilibus, & proprijs negotijs non valent *tt. ff. quod met. caus.* cur valerent in causis criminalibus in pernitiem alienam.

Nonò

Nonò † repelluntur ij, qui reo sanguine, vel alia affectione 20.
sunt coniuncti: v.g. pater, mater, auus, auia, ascendentes & descendentes reliqui, *L. 6. & ibi gl. C. de testib. c. si testes v. item testes 4. q. 3. L. testis idoneus 9. ff. de testib.* item frater & soror, cæterique cognati, affines, *c. in literis 24. ext. de testib. L. 3. C. eod* vide Thomam Mezger *consil. crim. 15. n. 97.* vbi quoad ascendentes & descendentes extendit in infinitum, quoad consanguineos vsque ad quartum gradum inclusiuè. Ratio: quia † sanguinis con- 21.
iunctio deuincit charitate homines, *L. pietatis 6. C. de suspect. tut.* vnde non est verisimile, quod aliquid contra se dicturi sint. Eadem † de causa reprobantur vir & vxor. Ratio: quia probare 22.
pro marito vetat affectionis suspicio: contra maritum verò testari, reuerentiæ dispendium, & maritalis odij augmentum, Damhauder. *c. 50. n. 9.* vbi aliam Rationem addit: quia vxor vna caro & voluntas cum marito censetur, ideo dicitur meritò suspecta in causa mariti, & è contra, vide Thom. Mezg. *loc. cit. n. 98.* Idem dicendum † de alijs personis, quæ pro aliquo, ami- 23.
citiæ, aut necessitudinis vinculo sibi coniuncto, testari volunt, *id. ibid n. 10.* quod constitutio Bauarica exemplificat in fideli amico rei captiui; eius aduocato, procuratore, sollicitatore, *L. f. ff. de testib.* subdito; in eo, cui reus seruitium, auxilium, vel beneficium præstitit, in ipsius patrino, debitore, vasallo; in eo, pro quo reus fideiussit, & similibus alijs, qui affectionem erga reum captiuum habent, vti tutores, curatores, pupilli, alumni. Ratio: quia affectio solet peruertere humanum judicium, & opprimere veritatem, *c. quatuor modis 11. q. 3.* Idem † ergo dicendum de 24.
testibus domesticis, & familiaribus: de famulis, ancillis *argt. L. seruos & L. quoniam C. de testib. c. nullus 11. caus. 3. q. 5. L. idonei 6. ff. de testibus*, mercenarijs, conuictoribus, per *text. in L. pen. ff. de testib.* vbi Gothofred. explicat, quinam domestici dicantur. Ratio: quia † clandestinis & domesticis fraudibus quiduis pro 25.
negotii opportunitate confingi, & id quod verè gestum est, aboleri potest, *L. data 27. C. de donat.* & quia familiares facile de mendacio conspirare, præmeditatosq; sermones afferre possunt, *argt. L. 3. §. 1. ibi: meditatum sermonem ff. de testib.* Hoc tamé limitatur † non procedere in domesticis vtriusq; partis, si vtrique par- 26.

ti & accuſatori & reo pariter ſint coniuncti. *VVeſenb. n.3. ff. de teſtib.* quia par affectionis ratio & cauſa ſuſpicionem tollit, *L. non ſolum 67. §. 1. ff. de ritu nupt. Roſbach. prax. ciu. tit. 61. num. 4.*
27. Mezger *conſil. crim. 15. n. 98:* Limitatur ſecundo † in rebus occultis, & ſecretis, v. g. in adulterio, *argt. L. 8. §. 6. C. de repud. L. 1. §. 1. & ſeqq ff. de quæſt.* & alijs domeſticis delictis, in quibus poſſunt teſtes domeſtici audiri, *gl. ad L. 3. C. ad L. Iul. de adult. v. prohibet.* Ratio: quia domeſticis mancipijs nemo certius, quid in domo fiat, aperire poteſt, *L. conſenſu 8. §. ſeruis 6. C. de repud.* vt ergo veritas aut facilius eruatur, aut liquidius detegatur, tales quandoque in defectu aliorum admittuntur, quoniam non facile, quæ domi aguntur, per alienos poterunt probari *d. L. 8. §. 6. C. de repud.* Vide de his pluribus Farinac. *q. 54. & 55.* Limita-
28. tur † tertiò: vt ad defenſionem rei non difficulter aliquando admittantur, & ad innocentiam domeſticorum probandam, Felin. *in c. cum oporteat n. 11. v. quintò limita. ext. de accuſat.* idque ſingulari fauore defenſionis. Limitatur quartò: niſi famulus vel domeſticus ante tempus depoſitionis fuit dimiſſus, ex domo vel familia, *Mezger loc. cit.*

29. Decimò pro † inhabili teſte reputatur pauper, propter timorem ſubornationis, & quia facilius corrumpitur, *L. 3. ff. de teſtib. Dambaud. n.* 17. nam ſuſpectum aliquem faciunt paupertas, mali mores, & improbitas vitæ ante actæ, *Gail. 1. obſ.* 140.
30. *n. 7.* Limita: niſi † ſit honeſta perſona, & prædita bonis moribus, *c. ſi qui 8. ext. de teſtib. Gail. 2. obſ. 95 n.* 19. *& 20.* Ratio: quia boni mores ſupplent diuitias, *L. ſcire 21. §. cum reliquis 5. ff. de tut. & curat. dat.* vide Thom: Mezger *conſil. crim:* 15. *n. 95.*
31. Maximè autem † hoc procedit, ſi judex ex officio procedat, & non ad partis inſtantiam, tunc enim nullum periculum ſubornationis ſubeſt. vide de his plenius Maſcard. *de probat. concluſ. 1170* Anton. Gomez. *c. 12. de probat. delict. n.* 19. Farinac. *q. 58.* Quis autem dicatur pauper, vide Menoch. *de arbit. l. 2. caſ. 65. num. 8.* Couar. *var. reſ. l. 2. c. 6.*

32. Vndecimò † pro teſte inhabili reputatur mulier, *c. forus 10. ext. de V. S. c. mulierem 17. cauſ. 33. q. 5.* Ratio: quia varium & mutabile animal eſt mulier, & varium ſemper teſtimonium producit.

producit. *d. c. forus 10.* propter fragilitatem sexus. Hoc † haud 33.
dubiè procedit de jure canonico, vide Gail. *1. de PP. c. 15. n. 7.*
Sed de jure ciuili putant Dd. nostri mulierem regulariter ad dicendum testimonium admitti, *per text. in L. ex eo 18. ff. de testib.* tam in ciuilibus, quam criminalibus, *Gomez loc. cit n. 13. Damhaud. c. 50. n. 23. Thom Mezg. consil. crim. 15. n. 91.* nisi † in causis 34.
feudalibus *c. 1. qui testes sint necess ad nou. inuest. prob.* & in testamentis *§. testes. inst. de testam: ordin: L. 20. §. mulier. 6. ff. de testam.*
Vnde † Inferunt multi, ex quo dispositio hæc iuris canonici non 35.
concernat salutem animæ, in terris Imperij non esse attendendos canones. Alij † verò distingunt, vt in causis criminaliter motis per accusationem mulier repellatur, in ciuilibus autem, & criminalibus per inquisitionem, aut denunciationem institutis, videatur admittenda, & ita intelligenda. *c. 3. & c. tam literis 33. ext. de testib. c. de iudicijs in 6.* Alij dicunt, quod mulier nec de iure 36.
ciuili sit testis omni exceptione maior, & quod in criminalibus duæ fœminæ non plenè probent delictum, ad effectum condemnandi, *Thomas Mezger loc. cit.* Hoc † saltem iudicem facere 37.
expedit, & in depositione fœminarum diligenter considerare ipsarum qualitatem, loquendi affectus & mores, cum reliquis circumstantijs, *Damhaud. num. 25.* Vide de his plenius Farinac. *quæst. 59.*

Duodecimò † à testimonio in criminalibus repellitur impubes, 38.
L. 3. §. 5. ff. de testib. & minor 20. annis, *L. in testimonium 20. ff. eod. ius Bauaric.* in der gerichts Ordnung *tit. 7. L. 9. §. f.* Ratio † quoad impuberem est; quia impuberes ad mentiendum 39.
sunt faciles, *L. ex libero 15 ff. de quæst.* Ratio alia: quia testi non creditur, nisi jurato, *c. de testibus 29. ext. de testib. L. jusj. 9. C. de testib.* atqui impuberi juramentũ deferri non potest, *L. qui jurasse 26. ff. de jurej.* Ratio quoad † minores: quia lubricum eius 40.
ætatis adhuc consilium, Ergo ipsorum testimonia non habent tantum ponderis, vt ad condemnationem vrgeant, *Damhaud. n. 12.* vide Wesenb. *n. 3. ff. de testib.* vbi dicit: in publicis judicijs sicuti probationes euidentiores: ita testes magis idonei & integri, quam in causis pecuniarijs requiruntur. Adde Gomezium *d. n. 13. §. secundò.* & plenius distinguentem Farinac. *q. 58. per*

41. *tot.* Et hi † sunt præcipui, qui in causis criminalibus à testimonio dicendo repelluntur, de quibusdam alijs, videlicet de phreneticis & furiosis, qui nesciunt, quid agant, & pro absentibus habentur, vide Damhaud. *n.* 15. de monachis, canonicis regularibus, & religiosis *n.* 18. de clericis in causis sanguinis, *Mezger. cons.* 15. *n.* 94. de pluribus alijs Wesenb. *n.* 3. *ff. de testib.* de singularibus, Gomezium *n.* 12. D. Weizenegg. *dissert.* 6. *c. vlt. n.* 187. *cum seqq.* de socio criminis *Gomez. n.* 16. *Damhaud. n.* 14. In quibus autem casibus testes aliàs etiam inhabiles admittantur, vide apud Thom. Mezger *loc. cit. n.* 101. & quid inhabilium testimonia operentur, *ibid.* §. *aduertendum. Farinac. q.* 62. *n.* 28. *& seqq.*

De idoneo & sufficienti testimonio.

ARTICVLVS LXVII.

1. *Duo vel tres testes ad probandũ requiruntur,* 2. 3.
4. *Quando plures* 9.
5. *Testimonio vnius nulla causa decidi potest,* 6.
7. *Testes singulares non probant.*
8. *Ex pluribus concordantibus denunciationibus sagarum an quis condemnari possit.*

SVMMARIA.

1. AVdiuimus † quales testes ad conuincendum reum sint necessarij, nunc de numero QVÆRITVR, quot eorum requirantur? Ad hoc Respondet Imp. si delictum aliquod ad minimum duobus vel tribus fide dignis, & idoneis testibus, qui de vera scientia deponant, probetur, quod possit postea pro qualitate negotij sententia ferri, & executioni mandari. Ratio:
2. quia † juxta diuinum effatum in ore duorum vel trium stat omne verbum, *Matth.* 18. *v.* 16. *Deut. c.* 19. *v.* 15. *Ioan.* 8. *v.* 17. *c.*
3. *in omni* 4. *ext. de test.* Quod etiam † de jure ciuili receptum est, ita vt si duo vel tres testes omni exceptione maiores idem asseuerent, idem ipsis credatur, quantum publico instrumento, *L. in exercendis C. de fide instrum.:* & vbicunque maior numerus testiũ specialiter non requiritur, toties duo sufficiunt, *L. vbi numerus*
4. 12. *ff. de testib.* nisi † agatur de probando aliquo tali, quod contra se juris habet præsumptionem, tunc enim plenior probatio, quam per duos testes requiritur, vel si duo sufficere debent, oportet esse

præstantes

præstantes viros, *Farinac. q. 63. n. 239. & 240.* Ex quo † à contrario 5.
Sequitur: quod testimonio vnius nulla causa decidi possit, *Deut. 19. v. 15. c. licet 33. ext. de test. c. veniens 10. ext. eod. c. cum à nobis 28. eod. c. placuit 10. caus. 2. quæst. 5. L. 9. §. 1. ff. de testib.* nec enim vlla diuina humanaq; lex vnius testimonio etiam idoneo quempiam condemnat, vel iustificat, *c. admonere 8. caus. 33. q. 2. vid. VVesenb. n. 6. ff. de testib. Mynſ. cent. 3. obſ. 76. Gail. 2. obſ. 66. num. 10.* vide notata *art. 30. n. 2.* Ratio: quia † vox vnius, vox 6.
nullius, *L. jurisj. 9. §. 1. C. de testib. VVesenb. n. 6. ff. eod.* & vnus testis proficit, sed non sufficit, *id. ibid.* ne quidem in atrocissimis, Berlich. *p. 4. conc. 4. n. 90. & 91.* Mezger. *consil. crim. 15. num. 82.* In quibus autem casibus testis vnus sufficiat ad probandum, vide apud Anton. Gabriel. *commun. opin. lib. 1. rub. de testib. concluſ. 1.* vbi 28. casus recenset.

Quod autem dictum est, duos vel tres testes ad probationem sufficere etiam in criminalibus, id Limitatur, vt locum sibi non vindicet, quando non concordant in circumstantijs temporis, loci, personæ, &c. sed de diuersis & separatis deponunt, vel quando non sunt contestes in actu, vel delicto, super quo deponunt. Ratio: quia in effectu est probatio tantum per vnicum testem, & singularitas ista idem est, quod vnitas, *Thomas Mezger consil. crim. 15. n. 85.* & plures testes singulares loco vnius habentur, Weizenegg. *diss. 6. c. vlt. n. 187.* vnde Regula: Testi † singu- 7.
lari non creditur, quã vide cum suis ampliationibus & limitationibus apud Gabriel. *loc. cit. concluſ. 2. per tot.* Nicol. Vigel. *meth. jur. controu. l. 2. cap. 13. reg. 37. exc. 74.* & tota illa *reg. 37.* vbi fere omnes exceptiones, quæ testibus obijci possunt, iusto ordine enumerat. vide eund. *in instit. l. 2. c. 6. exc. 2.* adde Farinac. *q. 64.* vbi regulam nostram per omnia decem prædicamenta declarat, & 49. limitationes adducit. vide etiam Berlich. *concluſ. 4. n. 138.* Thomam Mezger *d. n. 85.* Dominum Weizenegger vbi *n. 187. cum seqq.* contendit, testes singulares in crimine magiæ vel maleficij non sufficere, licet in solo loco & tempore, non etiam in specie veneficij discrepent. Vide † eundem *n. 192.* vbi ait, reum pro- 8.
pter solas maleficorum, de homagio dæmoni præstito, de præsentia eiusdem in conuentibus, ac choreis, &c. deponentium denunciatio-

nunciationes, etiam concordantes, vltimo ſupplicio damnari non poſſe. per Rationem: quia ſingulæ præter ſingularitatis vitium ex pluribus alijs capitibus ſuſpectæ ſunt, & incertæ, Ergo fieri non poteſt, vt illam certitudinem pariant, quæ luce meridiana clarior ſit. Quamuis enim plures denunciationes non ſingulares, ſed concordes, probabilitatem cæteris paribus augeant: tamen multa probabilia non faciunt certitudinem, ſicut nec plura
9. tepida vnum calidum. Quando † plures quam duo teſtes in cauſis criminalibus ſint neceſſarij, vide apud Iul: Clar. §. *f. q. 66. n. 5. & 6.*

De Falſis Teſtibus.

ARTICVLVS LXVIII.

SVMMARIA.

1. Falſi teſtes pænâ talionis tenentur. 2. 3. 6. & quare.

4. Accuſator calumnia detecta ſimilitudine ſupplicij olim afficiebatur: & quid hodie?

1. QVæritvr † in hoc articulo: Quidſi teſtes inueniantur, & de hoc conuincantur, quod aliquem innocentem, falſis & calumnioſis ſuis teſtimonijs, ad mortis ſupplicium perduxerint, vel perducere conati fuerint, quâ pœnâ ſint afficiendi?
2. ad quod Reſpondet † Imp. quod eandem pœnam incurrere debeant, ad quā innocentē perduxerunt, vel perducere voluerunt, & vt Vigelius *c. 10. reg. 1.* effert: falſum teſtimonium punitur eadem pœnâ, quâ is puniendus fuiſſet, contra quem falſum teſtimonium dictum eſt, ſi verè de crimine fuiſſet conuictus. vide inf. *artic. 107. L. 1. in pr. & L. 9. §. pœna 3. ff. ad L. Cornel. de*
3. *falſ. VVeſenbec. num. 12. ff. eod.* Ratio: quia † Talionis legem iuſtiſſimam, & à natura profectam iuſtè deprecari nemo poteſt, Weſenb. *n. 2. ff.* quod quiſque iuris in alium ſtatuerit, eodem iu-
4. re vtatur. Sicut enim † accuſator calumnia detectâ in cauſa capitali ſimilitudine ſupplicij puniebatur, *L. f. C. de calumn: L. f. v. ſed quiſq; C. de accuſat. auth. ſed nouo C. ad L. Iul: de adult.* (ſaltem iure communi antiquo inſpecto, hodie enim pœna iudicis

arbitrio

arbitrio imponitur, *Dambaud. c.5. n. f. Rosbach. prax. crim. tit. 1. c. 8. n.* 18.) ita quoque si testis in causa criminali, publici & capitalis iudicij, falsum deponit, talionis pœnâ punitur, si dolo faciat, *L. 1. §. 1. ff. ad L. Cornel. de sicar. Rosbach. prax. ciuil. tit. de iuram. test. n. 16.* mortem enim, vel pœnam, quam alijs præparat, ipse recipiat, *L.* 1. *C. quando liceat vnicuique.* Eadem pœna talionis etiam in veteri testamento constituta erat, sic enim Deut. 19. *v.* 16. *& seqq.* ita scriptum est: si steterit mendax testis contra hominem, accusans eum præuaricationis, stabunt ambo, quorum causa est, ante dominum, in conspectu sacerdotum & iudicum, qui fuerint in diebus illis. Cumq; diligentissimè perscrutantes invenerint falsum testem contra fratrem suum dixisse mendacium, reddent ei sicut fratri suo facere cogitauit, & auferes malum de medio tui. Ratio: vt audientes cæteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere. Non misereberis eius, sed animã pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges. In quibus † casibus hæc regula non procedat, vide apud Nicolaum Vigel. *loc. cit. vbi* 7. exceptiones adducit. 5.

Si reus de crimine conuictus, id confiteri nolit.

ARTICVLVS LXIX.

SVMMARIA.

1. *Si conuictus fateri nolint quid agendum?*
2. *Hoc ei demonstrandum?* 3.
4. *Si adhuc nihil fateatur, condemnandus, & quare? n.* 5.
6. *Neque torquendus.* 7.
8. *Nisi forte ad indicandos socios.*
9. *Cum protestatione.*
10. *Condemnatio fieri non potest, nisi constet de corpore delicti, & quare n.* 11. *&* 12.
13. *Conciliatio huius articuli cum articulo* 16.

QVÆRITVR † in hoc articulo: quænam sint partes iudicis, quando reus post idoneam & sufficientem probationem adhuc confiteri nolit? Ad quod † Respondet Imp. ipsi indicandum 1. 2.

dicandum esse, & demonstrandum, quod de crimine sit conuictus.
3. Ratio est in † textu: vt vel hoc modo ipsius confessio elici possit. Ratio rationis: licet enim ad condemnationem, vt mox dicetur, sufficiat, reum esse conuictum: nihilominus quia abundans cautela non nocet, *L. non solent 94. ff. de R. I. Bart. in L. si pupilli in pr. n. 1. ff. de neg. gest.* præsertim in criminalibus, vbi de vita & sanguine agitur, ideoque cautius agendum *c. vbi periculum 3. in pr. de elect. in 6.* videtur ipsius confessio ex abundanti suauiter elicijenda.

4. Quid si † autem adhuc nihil fateatur? ad hoc Respondet Imp. quod tunc sine vlteriori tortura sit condemnandus. Ratio:
5. quoad † condemnationem faciendam: quia, vt sæpe dictum, sufficit crimen probatum esse, quamuis reus illud confessus non sit, quemadmodũ etiam contra sufficit, reum crimen esse confessum, quamuis illud non sit probatum, Thomas Mezger *consf. crim: 15. n. 86.* vide notata sup. *art. 9. & 22.* Nicol. Vigel. *c. 3. q. 5. reg. 2.* vbi dicit, quod falsa sit eorum sententia, qui putant, ad damnationẽ requiri vtrumque, & reum de crimine conuictum, & illud confessum esse. Itaq; non copulatiuè, sed alternatiuè probatio vel confessio requiritur: in alternatiuis autem sufficit alterutrum
6. adimpleri. *c. in alternatiuis. de R. I. in 6.* Ratio quoad † torturam omittendam, est ista: quia frustra expectatur, cuius euentus nihil operatur, *argt. L. cum hæres. 52. §. 1. ff. de acquir. hæred.* & vbi finis habetur, frustra media adhibentur, *L. si in duobus. 10. §. 1. ff. de testam: quemadmodum aper.* finis autem torturæ est, vt
7. veritas aperiatur, & de ea iudici iudicialiter constet. Cùm † itaque per probationes veritas æquè habeatur, & iudex æquè benè informetur, frustra ad acerbum torturæ remedium confugeret, quod plus nocere potest, quam prodesse. Ratio: nam si reus torturæ subiectus in sua inficiatione persisteret, non parum probationibus derogaret, diceretur enim purgasse indicia, & probationes contra se existentes, & esset vel absoluendus, *VVeizenegg. diss. 6. c. 9. n. 137.* vel saltem non in pœnam ordinariam condemnandus, vti sup. *art. 9. ex Thom. Grammat. decis. 8. n. 3.* notaui, & notat Iul. Clar *§. fin. q. 64. n. 8.* Farinac. *q. 21. n. 151.* Ergo ad eliciendam confessionem amplius torqueri non debet, & fa-

tui

tui vocantur judices, qui torquent reum conuictum super plene probatis. *vide Matth. Stephani num. 2. art.* 16. *VVeizenegg. loc. cit.* Dico *ad* † *eliciendam veritatem.* Ratio: quia ad indicandos socios, & auxiliatores, conuictus vel de se confessus interrogari 8.
potest, & torqueri; quo tamen in casu iudex ipsi expresse indicare debet, quod tortura sine præjudicio conuicti & probati criminis, tantum propter socios suscipiatur, *constit. crim. Bauar. tit. 3. artic. 14.* Iul. Clar. *d. n. 8.* Farinac. *loc. cit.* Ratio † secundum 9.
Zierizium h. ne postea per inficiationem rei jam suppetentibus probationibus derogetur.

Hoc tamen, quod dictum est, reum duobus testibus conuictum sine vlteriori inquisitione condemnari posse, LIMITATVR
† à Iulio Claro *§. f. q. 66. n. 1.* dummodo constet de ipso delicto, 10.
& corpore delicti. Nam si duo testes deponerent de homicidio à reo commisso, & non constaret de cadauere, non posset condemnari & puniri. vide Summam *cap. 8. n. 12.* Ratio: quia † judici 11.
debet constare de delicto, antequam procedat, & reum torqueat, vide eundem Clar. *q. 4.* & quæ nos scripsimus *sup. art. 6.* Ergo multò magis antequam condemnet, & puniat. Deinde † illa 12.
duo æquiparantur, reum esse confessum, vel conuictum: atqui ex sola confessione non condemnatur, quando non aliter constat de delicto. Ergo neque ex sola probatione, vid. eund. Clar. *quæst. 55. n. 1.* vbi sublimitationem reperies. Quomodo † autem 13.
præsens articulus conciliandus sit cum *artic. 16.* jam explicauimus in notis ad eundem, vbi videri potest.

De productione & examinatione testium.

ARTICVLVS LXX.

SVMMARIA.

1. *Continuatio & modus in examinandis testibus seruandus.*
2. *Vt articuli probatoriales cum nominibus testium & designatione domiciliorum, & directorio offerantur. 3.*
4. *Vt impertinentes reijci, 5. & testes commodius citari & examinari possint.*
6. *Directorium quid prosit. Differentia juris Bauarici inter examen testium in ordine ad*

 proban-

probanda indicia, & ad probandum ipsum delictum.
7. Examen testium an alijs committi possit?
8. De jure communi non, (9. ratio) 10. nisi propter absentiam & distantiam testium. (11. ratio) 12. militarem occupationem 14. dignitatem 15. aliasq; graues causas.
13. Consuetudo valet, vt testes euocentur ab vna in aliam ciuitatem. 16.
17. In criminalibus testes apud ipsũ judicem examinari debent.
18. Regula.

1. HActenus † de personis & habilitate testium, item de numero eorum, & effectu testimonij veri & falsi actum fuit. Sed quia in omnibus certus modus & ordo, sine quo nihil rectè agitur, necessarius est, *Dd. ad L. 1. in pr. ff. de doli mali & met. except.* & præsertim in criminalibus exacta judiciorum ratio obseruanda, *VVesenb. n. 8. ff. de confessis,* ideo nunc vlterius ostendit, quisnam modus in examinandis testibus sit tenendus.

2. Quando † itaque de delicto non satis constat, & reus accusatus illud inficiatur, accusator autem illud probare intendit, & ad probandum admissus fuit, tunc debet accusator (si per viam accusationis proceditur, vel is qui accusatoris loco est, vt procurator fisci, quando judex ex officio procedit) ante omnia articulos probatoriales cum nominibus testium, & designatione locorum, in quibus degunt, judici offerre, *text. h. & Nicol. Vigel. c. 3. q. 6. reg. 1.*

3. Ratio † quoad articulos est ista: quia etiam in ciuilibus causis post designatum terminum probatorium statim offerendi sunt articuli, quibus actor id comprehendit, quod probare intendit, & in scriptis, numerisque distincti exhibendi, Ioan: Emeric. à Rosbach. *prax: ciu. tit. de artic. probat: n. 1. & 12.* cum itaque in criminalibus examen testium, & redditio testimoniorũ, super quibus reus ad pœnam criminaliter condemnandus est, debeant esse valde clara & legitima, *text. in princ. artic. nostri.* meritò etiam in ijs articuli hoc modo scriptis comprehendi, numeris di-
4. stingui, & judici offerri debent. Ratio: vt † illos diligenter examinare, & irreleuantes, atque impertinentes, ex officio reijcere possit. Ratio rationis: quia ad probandum nihil est admittendum,

dum, quod probatum non releuet, *L. 21. C. de probat. VVesenbec. n. 7. ff. eod. Rosbach. loc. cit. n. 9. & 10.*

Ratio † designationis quoad nomina, & domicilia testium, habetur in textu: quia hoc modo facilius assessores, vel commissarij, ad examen testium deputati, & maiori cum celeritate negotium hoc expedire, testes citare, eosque commodius examinare poterunt. Ratio rationis: quia † si multi articuli offerantur, & non adiciatur directorium, vt in praxi loqui solemus, hoc est, schedula, in qua designetur, super quibus articulis singuli testes examinari debeant (prout hoc requirit Gail 1. *obs. 96: n. 6. & 7.* Rosbach. *loc. cit. n.* 15.) eueniet sæpissime, vt si super omnibus interrogentur, parum ad multos repondeant, examinatores tempus perdant, & rotulus in immensum crescat. Hoc tamen loco Notanda est differentia à jure Bauarico, *tit. 4. art.* 1. præscripta, inter probationem indiciorum, & ipsius delicti. Si testes examinantur ad probationem indiciorum, non est necesse singulares articulos exhibere, reumque ad videndum jurare testes citare: si autem ipsum delictum probandum venit, & accusator præsto est, tunc articulos probatoriales producere, reo pro suis defensionibus vel interrogatorijs tradere, isque ad videndum jurare testes legitimè præfixo certo die citari, & in causa vlterius, admissis exceptionibus, & respectiuè probationibus, nec non aduocato, procedi debet, confer notata *Gailij* 1. *obs. 96. n. 5. & seqq.* 5. 6.

Sed quia † Imp. in textu nostro de commissarijs deputatis loquitur. QVÆSTIO sese hoc loco offert: an ergo examen testium judex alijs committere possit? Ad hanc quæstionem Doctores respondent, distinguendo inter causas ciuiles & criminales, ita vt in ciuilibus commissio fieri possit, in criminalibus non item, *per text. in auth. apud eloquentißimum C. de fid. instrum. Andr. Gail.* 1. *obs. 96. n.* 1. *&* 10. *Rosbach. prax. ciuil. tit. 58. n. 5.* Sed juri † videtur conformius, quod testes regulariter apud judicem, vbi causa agitatur, sint producendi & examinandi, per *textum in L. testium 3. §. item D. Hadrianus 3. cum §. seq. ff. de testib. text. in art. 72. ibi:* Dann sonsten nach vermög gemainer Recht in Peinlichen Sachen ausserhalb derselben Gerichts personen nit kundtschafft Verhörer/ oder Commissarien gegeben werden sollen. Ratio 7. 8.

9. tio † est: quia alia est authoritas præsentium testium, alia testimoniorum, quæ recitari solent, Gothof. *add. L.* vbi dicit, hoc necessariò requiri, vt præsente judice testes testimonium ferant, & coram eo jurent, quia testibus non testimonijs creditur *Dd. d.* §. 3. dicta enim testium muta facile veritatem obfuscare possunt. Gothof. *loc. cit.* vbi dicit: errare illos judices, qui indistinctè mandant alijs testium examinationem.

10. Nihilominus † tamen in corpore juris ciuilis reperiuntur duo præcipui casus, quibus in causis ciuilibus examen testium alteri committi potest. Primus est: si testes longè absint à loco judicij, vbi eorum testimonium petitur, tunc enim ibi, vbi degunt, & à judice illius loci examinandi sunt, *L. judices 16. C. de fi-*
11. *de instrum. d. L. 3. §. f. ff. de testib.* vbi Ratio † redditur: quia testes non temerè euocandi sunt per longum iter (hoc enim esset onerosum *Gothof. ibid.* & sumptus judiciorum omnibus modis cauendi, *argt. L. neque natales 10. C. de probat. gl. in L. quod de-*
12. *betur 51. in eas. rat. 2. ff. de pecul.*) & multò † minus milites auocandi sunt à signis, vel muneribus, testimonij perhibendi causâ.
13. Nisi fortassis † consuetudo sit in aliqua prouincia, vt euocentur ab vna in aliam ciuitatem testimonij dicendi gratia *d. §. f.* Ratio: quia consuetudo derogat juri communi, *L. semper 5. §. legem 1. ff. de jure immun:* & potest jurisdictionem vnius loci minuere, alterius augere, *Gothof. d. §. f.*

14. Alter † casus est: nisi Episcopus in testem producatur, *Nou: 123.* Nicol. Vigel. *meth. jur. ciuil. l. 2. c. 19. q. 2.* Et quam-
15. uis † super pluribus alijs casibus Dd: controuertant, præsertim de jure canonico introductis, *c. si qui 8. ext. de testib. c. mulieres 2. de judic. in 6.* tamen non duco necessarium illos examinare, quia
16. † de consuetudine dispositio juris ciuilis non ita exactè seruatur, sed multis de causis, quas Nicol. Vigel. *in meth. Carolina c. 3. q. 6. reg. 3.* enumerat, examen testium alijs committitur, & raro in pleno senatu audiuntur, Sattler *loc. cit. num. 3.*

17. Nihilominus † tamen in causis criminalibus jussit Imperator Iustinianus expresse testes apud ipsum iudicem examinari, *Nou. 90. c. 5. §. hac. omnia. auth. apud eloquentissimum C. de fid. instrum.* Rationem ipse reddit *d. c. 5. inf.* quia in crimi-

nali-

malibus maius est periculum cautius ergo agendum. *vide Thom. Mezger consil. crim. 15. n. 83.* Pro † regula ergo tenendum: quod 18.
examinatio & receptio testium in causis criminalibus alteri committi non possit. *L. 3. §. Diuus. ibi: nam ipsos interrogare soleo ff. de testibus. Gail. 1. obs. 96. n. 10. Rosbach. prax ciuil. tit. 58. de examinat. test. n. 5. Iul. Clar. §. f. q. 26. in pr. Gothof. ad L. testium 3. ff. de testib.* Sed quia hæc suas exceptiones patitur, ideo de illis videamus.

De examinatoribus testium.

ARTICVLVS LXXI.

SVMMARIA.

1. Iudex ipse (si idoneus 3. est) cum duobus assessoribus & actuario testes audire debet. 2. & quare?

4. In examinandis testibus attendi debet ad vocem vultum & ad externos gestus n. 5. 6.

7. Item ad variationem & vacillationem.

8. Testis titubans reprobatur.

9. Iudex testium gestus suspectos annotare debet.

10. Depositio testis non probatur nuda judicis vel notarij assertione, sed annotatione.

QVÆRITVR † in hoc articulo: à quo testes sint examinandi? 1.
ad quod Respond. Imp. si judicium criminale constet viris ad testes legitimè examinandos idoneis, quod tunc judex ipse cum duobus assessoribus, ac Notario, debeat illos audire, neq; neque negotium hoc alteri committere, *vide Thom. Mezger loc. cit. n. 83.* Rationem † jam audiuimus in superiori paragrapho, cui 2.
addamus istam: vt videat, & audiat, quomodo sint constituti, & affectionati, quomodo se gerant in sermone, & gestibus, vtrũ meticulosi, varij, dubij &c: & vt scire possit, an & quantum illis credere, & an secundum vnius vel alterius depositionem iudicare possit, Rudolph. Sattlerus *in tract. de examine testium c. 6. n. 2.* Hoc † tamen Imp. in textu nostro. Limitat: † dummodo satis 3.
idonei sint: Ratio quia actus non potest celebrari, nisi personæ sint habiles, *VVesenb. n. 5. ff. de auct. tut.* & in omni actu expli-

cando habilitas agentis requiritur, *L. 1. §. caeterum 9. ff. de acquir. vel amitt. hared. Cardinal. Tusch. lit. H conclus. 2.*

Ad Versic: Vnd sonderlich.

4. QVAERITVR † in hoc Versic: ad quid praecipuè iudex debeat in examinando teste attendere? ad hoc Respondet Imp. quod diligenter debeat aduertere, vtrum testis in sua depositione constans sit, an verò vacillet, has enim circumstantias, & quomodo se in externis gestibus habuerit, quâ fronte, vultu, voce, constantia deposuerit, ad acta consignabit, & bene annotabit, *Zanger de tort. c. 1. n. 15. & 16. confer Summam. c. 6. n.*
5. *50.* Ratio † potest desumi ex *L. de minore 10. §. plurimum 5 ff. de quaest.* vbi Arcadius IurisConsultus ait: plurimum in excutienda veritate etiam vocem ipsam, & cognitionis subtilis diligentiam adferre. Nam & ex sermone, & ex eo, qua quis constantia, qua trepidatione quid diceret, vel cuius existimationis quisque in ciuitate sua est, quaedam ad illuminandam veritatem in lucem e-
6. mergunt. Ratio † rationis: quia frons, vultus & oculi, sunt index animi, iuxta vulgarem versiculum: *Heu quam difficile est animum non prodere vultu?* vide Zanger. *n. 15.* & Remum in paraph: *h.*.
7. Ratio † specialis quoad variationem & vacillationem est: quia testes, qui sibi satis non constant, sed timidè dubitanterque dicunt, haesitant, & modò negant, quod paulò ante affirmârunt, nullam fidem faciunt. *L. 16. ff. de testibus. vide Farinac. q. 66. Matth: Steph. h. Zanger n. 14.* non enim potest fidem mereri
8. apud alios, quod ipsi dicenti non sit firmum, *Gilhaus. h.* Ex hoc † ipso articulo Infert Thomas Mezger *cons. crim: 15. n. 99.* quod testis ille reprobetur, qui in iudicio titubat, siue quod testimonium reddatur suspectum, si testis in dictione testimonij vacillauerit,
9. ac variauerit, *idem. n. 81.* Secundò † infert Gilhausen in notis hîc: quod iudex siue commissarius, si testes vacillare, vel cum trepidatione loqui animaduerterit, vel aliter eos quoquo modo suspectos habet, hoc per notarium scriptis mandare debeat.
10. Tertiò: quod † dictum testis non possit probari nudis verbis iudicis,

dicis, vel notarij, referentis Titium hoc vel alio modo deposuisse, nisi in scriptis foret redactum, post Sichard. *ad L. prolatam n. 6. C. de sent. & interloc.*

De Commissarijs ad examen testium deputatis.

ARTICVLVS LXXII.

SVMMARIA.

1. *Si iudex cũ suis assessoribus non satis sit idoneus, examen magis idoneis committendũ. 2. (ratio. n. 3. & 4.) 5. & quidem proximo magistratui. 6. hoc est, vel superiori, ad quem proximè appellatur. 7. vel vicino. (8. ratio) 9. qui peritos examinatores designet.*

10. *Commissio ista sumptibus committentis facienda. 11. 12. ratio. 13.*

14. *Testes comparere nolentes inuiti sunt cogendi. 15. 16. ratio.*

17. *Excepti 18. si veritas haberi aliter non potest, etiam sunt cogendi, non obstante, quod iurassent, se nolle testimonium perhibere.*

19. *Testes alienæ iurisdictionis per literas mutui compassus euocantur. 20. 21. 22.*

23. *Literæ mutui compassus quid 24. & vnde dictæ? 25. 26. subsidiales cur vocentur. & 28.*

27. *Mediantibus illis iudex rogatur, vt testes iubeat ad alienum tribunal venire, vel vt ipse examinet, & eorum depositiones sub suo sigillo mittat.*

29. *Compulsoriales quid in appellationibus. 30. vnde nomẽ habeant?*

31. *Quid in examinatione testium? 32. forma. 33. necessitas earum. 35. clausula.*

34. *Commissarius ex persona committentis censendus.*

36. *Diligentia quanta in examinãdis testibus adhibenda, & quare?*

37. *Imperiti peritiores consulere debent.*

38. *Consultationes sine sumptu partium an facienda. 39. 43. 44.*

40. *Ignorantia iuris iudicem non excusat. 41.*

42. *Magistratus inferiores non debent omnes iuris apices. 44 sed iudiciarij ordinis solemnitatẽ scire.*

QVÆRITVR † in hoc articulo: quid si in aliquo iudicio criminali non reperiantur viri ad examinandos testes idonei, sicut in multis locis imperij adhuc hodie contingit, 1.

vbi

vbi vel rustici, vel opifices causis capitalibus decidendis præficiuntur? & ante latas istas constitutiones Carolinas adhuc magis contingebat, quando magna iudiciorum in causis criminalibus informitas passim videbatur, quemadmodũ ipse Imp. in procem: testatur, quid ergo tunc faciendum?

2. Ad hoc † Respondet Imp. quamuis de iure communi in causis criminalibus examen testium alijs committi non possit, vt in fine *artic: 70.* ostendimus: nihilominus tamen, si iudex cum suis assessoribus non satis sit idoneus, in penuria & defectu hominum peritorum id examen magis idoneis esse committendum.
3. Ratio † est in textu: quia multum in examinatoribus situm est, & ne cui ex inscitia vel incuria examinatorum damnum inferatur, aut iniuria fiat. Nam vt † bene dicit Remus hic, si examinatoribus ad testimonia recipienda datis & deputatis desit debita dexteritas & exercitatio, facile potest reo maximum præiudicium inferri, quia sæpe totius negotij cardo, consequenter graue periculum, in examinatione & depositione testium versatur. Ratio rationis: quia depositio testium inducit probationem: sententia autem ex probationibus fertur, vnde probatio anima processus dicitur, *Zieriz. h.*
4. (margin number beside "tur, aut iniuria fiat.")

5. Quibusnam † autem examen testium committendum, & quomodo? ad hoc Respondet Imp. quod proximo magistratui, id est, vt Remus & Zierizius explicant, superiori articulos probationis sibi oblatos transmittere, & quę ad causæ statũ pertinere cognouerint, probè referre debeant. Si itaque † in aliquo pago, vel municipio, quod Comiti, vel Principi subsit, tribunal capitale, ex assessoribus autem nemo idoneus vel peritus reperiatur, ad superiorem examen dirigetur, quia ille est proximus, ad quem appellatio, proximè & gradatim fieri solet, præsertim si non longè ab inferiori tribunali absit, & suam residentiam habeat; Ratio: quia ipsius interest, iudicia bene constituta esse, & secundum præscriptum iuris rectè & legitimè exerceri. Si autem
6. (margin number beside "nouerint, probè referre debeant.")

8. † tribunal capitale spectet ad aliquem Nobilem, qui immediatè Imperio subsit, & superiorem neminem recognoscat, præter Imperatorem (sicut passim in Sueuia & alijs Germaniæ partibus, da die freye Reichs Ritterschafft ist / reperiuntur) tunc si neque ipse,

ipse, neque eius assessores rustici rerum periti sunt, ad proximum, id est, vt ego intelligo, vicinum magistratum, recurrere, illique examen committere potest. Ratio: quia † magistratus imperio subditi, tanquam membra, mutuum sibi auxilium debent, ex ordinatione sui capitis, siue Imperatoris, sollen einander die Hand bietten/ si enim ad ipsum Imp. siue Cameram Imperij, & magistratum immediatè superiorem recurrendum esset, illud non modò sumptuosum & onerosum, verùm etiam inconueniens foret, vt Imp. eiusque consiliarij, qui grauioribus & multiplicibus curis & negotijs sunt districti, causas inferiorum judicum tractarent, & vices eorum in rebus sæpe molestissimis subirent. 8.
Itaque † vicinus magistratus ad requisitionem eorum, qui testes examinari cupiunt, peritos examinatores, vel de suo collegio & gremio, vel etiam alios, extra senatum vel judicium constitutos designabit. Ratio: quia frustra quæritur in remotis, quod potest haberi in propinquis. Ex hoc infert Thom. Mezg. *conf. crim. 15. n. 82.* testes de jure nouissimo ad probandum delictum sufficere, siue in judicio, siue extra illud recipiantur & examinentur. 9.

Sed cuius † sumptibus id fiet? an magistratûs interpellati, an interpellantis, an verò partium, id est, accusatoris, vel rei? Ad 10.
hoc † Respondet Imp. quod transmissio articulorum probatoriorum, & commissio ista, sine partium damno & expensis quidem fieri, sed ne officium suum alteri magistratui damnosum sit, sumptus in illum ipsum imperitum magistratum, qui negotium per se expedire nequit, & alijs proinde demandat, redundare debeant, *vide Summam c. 10. n. 8.* Ratio: quia † cum Imperitia culpæ annumeretur, *L. Imperitia 132. ff. de R. I.* in culpa & causa est, quare sumptus isti fiant, de suo ergo loculo resarciat, vel à periculoso munere judicandi, quod non scit, vel intelligit, prorsus abstineat. Quò † faciunt ea, quæ supra de Nobilibus quibusdam scripsimus, multis precibus Imperatorem fatigantibus, vt ipsis criminalem jurisdictionem concedat, quâ impetratâ nihil nisi molestias & pericula sibi accersunt: sed quia pro honore reputant, ius vitæ & necis habere, vnà cum honore sumptus quoque sustineant, honor enim vulgò sumptuosus esse perhibetur. 11. 12. 13.

Ad Versic: Vnd ob es.

14. QVid si † autem homini priuato, vel alteri vicino magistratui, examen testium demandetur, testes autem euocati com-
15. parere nolint? Ad hoc † Respondet Imperator, quod testes etiam inuiti ad dicendum testimonium sint cogendi, *ad quod est textus in L. si quando 19. C. de test. & tot. tit. ext. de testib. cogend.* v. g. indictâ mulctâ, vel captis pignoribus, vel alijs modis, *Thomas Mezg.*
16. *consil. crim. 15. n. 17.* Ratio † huius necessitatis & coactionis affertur à Gailio *1. obs. 100. n. 2.* quia testimonium perhibere est publicum munus: ad publica autem munera inuiti coguntur, *L. 1. ff. de mun. L. 1. in pr. ff. de admin. tut.* Ergo etiam ad testimonium dicendum, *L. 3. §. exhiberes ff. de tabul. exhib.* Et quamuis
17. † aliqui sint excepti (quemadmodum *Gail loc. cit. & VVesenb. n. 3. ff. de testib.* eorum aliquot, similiter Nicol. Vigel. *in meth. Carol. c. 3. q. 6. reg. 4.* octodecim exceptiones adducit) tamen si veritas aliter haberi non potest, etiam excepti sunt cogendi, *VVesenb. num. 2. ff. de testib. Canis. in sua summa. tit. de testib. §. in cogendis.*
18. Ratio † rationis: quia reip. interest, nemini jus suum testimoniorum occultatione interuerti, *c. f. ext. de test. cog. L. curent. 22. ff. de testib. VVesenb. d. n. 2.* Hinc licet quis jurasset se nolle testimonium perhibere, nihilominus huic suo juramento contrauenire potest, & debet, *vide Dd. ad c. intimauit 18. ext. de test. & c. vlt. ext. de test. cogend.* Ratio: quia tale juramentum caret suis tribus comitibus, judicio, iustitia, & veritate.

19. Sed † quomodo testes coget, qui eos non habet sub sua iurisdictione? Ad hoc Respondet Imperator, id nihilominus fieri posse, vel per literas mutui compassus, vel per compulsoriales.
20. Nam si † testes citandi sunt sub alterius iurisdictione, wann die Zeugen vnder frembder Jurisdiction, Gerichtszwang/ vnd Bottmässigkeit sesz- oder wonhafft seyn/ tunc illius territorij iudex est implorandus, vt eos jubeat ad alienum tribunal venire, daß er sie ordenlich verschaffe/ per *L. judices 18. cum auth. apud eloquentissimum. C. de fid. instrum: Rosbach: prax. ciuil. tit. 56. de testib. n. 19.*
21. Ratio: quia † extra jurisdictionem, seu territorium, aliquis citare neminem potest, nec citatus cogitur comparere, nisi facta sit ci-

tatio

tatio in subsidium juris, *L. f. vbi Iaf. ff. de jurif.* Michaël. Teuber *in processu c. 7* & quia ista imploratio plerumque † fit per literas ad alium missas, ideo testes tunc dicuntur cogi per literas mutui compassûs, vel subsidiales, *Iul: Clar. §. f. q. 26. n. 3.* 22.

Sunt ergo † literæ mutui compassus illæ, quas scribit judex, qui non habet jurisdictionem, vel potestatem, in subditum alterius, ad iudicem ipsius competentem, & rogat, vt vel ipse aliquid agat, vel à scribente fieri permittat, v. g. vt vel ipse testes examinet, vel ad alterius tribunal mittat, eosque ibidem examinari patiatur. Nostro idiomate vocantur etiam Compaßbrieff/ Bitt: oder Hilffbrieff/ de quibus vide jus Bauaric. in dem Summarischen *processf. tit. 7. art. 13.* & Besoldum *in thesaur. v. Compaß-brieff.* 23.

Ratio † nominis, cur tales requisitiones & implorationes literæ mutui compassus vocentur, est hæc: quia plerumq; in scriptis & per literas expediuntur, & quia judex patitur, & concedit, vt aliquid fiat, quod de iure aliàs fieri non posset: vel quia iudex ex compassione in subsidium probationis, vel pro bono iustitiæ aliquid insoliti in sua iurisdictione fieri permittit. Mutui † autem compassus dicuntur, id est, vicissitudinarii, quia magistratus vnus alteri mutuum auxilium præstare debet, es soll ein Obrigkeit vnd Gericht dem andern zu erkundigung der Warheit/ vnd vollziehung der justitiæ, billich die Hand raichen / vnd zu hilff kommen. Vnde in literis mutui compassus judices se plerumque ad vicissitudinaria & mutua auxilia offerunt, his vel similibus verbis: in welchem sich der Herr der Warheit zum vorstand gutwillig vnd nachbarlich erzeigen wolle / solches bin ich in gleichem vnd mehrerem widerumb zuuerdienen vrbietig vnd willig. Vocantur † hæ literæ etiam subsidiales, quia in subsidium juris zu stewr vnd fürschub deß Rechten/ vnd begehrter Gerechtigkeit petuntur, & plerumque his verbis concipiuntur: Als ersuche ich den Herrn hiemit gantz dienstlich/ freund- willig- vnd nachbarlich/ er wolle jetztgemelte Zeugen in subsidium juris dem Rechten zur stewr citieren, haischen vnnd laden/ wie ich sie dann durch sein hilff vnd Richterliche mittel entlich vnd peremptoriè will geladen haben/ daß sie künfftigen Freytag/ rc. vor mir in meinem Ampthauß 24. 25. 26.

 erscheinen/

erscheinen / vnd zeugnuß der Warheit geben wollen. Aliquando
27. † autem sic concipiuntur, non vt eos mittat, sed vt ipse testes examinet, & eorum depositiones sub suo sigillo edat, daß er die ernannte Zeugen Rechlicher Ordnung nach verhören / vnd deren Aussag verschlossen vbersenden wolle.

28. Ratio † alia, cur subsidiales literæ vocentur, est hæc: quia nunquam nisi in subsidium, & exigente necessitate expediuntur. Quamdiu enim ordinarium remedium datur, tamdiu extraordinario non est opus, vide Sattler. *in tract. de exam. testium c. 8.* vbi per totum de istis literis mutui compassus agit, & pulchras formulas exhibet. Vide etiam formam mutui compassus, seu citandi in subsidium, apud Ioannem Emericum à Rosbach. *prax. ciuil. tit. 56. n. 25.*

29. Quid † autem compulsoriales, & quis earum vsus? Ad quod Respondeo: literas compulsoriales duplicem significationem habere. Nam primò significant mandata, quibus iudex superior (ad quem appellatum est) iudici inferiori, à quo appellatum est, mandat, vt appellanti copiam actorum, sub suo sigillo, intra certum terminum edat, de quibus videatur Gail. *1. obs.* 134 *in pr. &* Christophor. Schwanmann *in processu Camerali l. 2.*
30. *c. 2. num.* 1. *&* 2. Hæ † autem literæ compulsoriales, vulgò die zwangs Brieff / nomen habent à compellendo. Iudex enim appellationis, quoniam superior est, compellere solet ad hoc inferionem iudicem, à quo appellatum est, vt edat acta, *vid. Oldend. & Schard. in lexic. v. Compulsoriales*, sed de his hoc loco non est sermo, formula eius videri potest apud Michaëlem Teubler *in processu c.* 17. *form.* 1.

31. Secundò † diriguntur aliquando literæ compulsoriales à commissarijs pro examine deputatis ad testes non comparentes, quibus ipsi vigore suæ commissionis sub certa pœna mandant, vt in termino præfixo compareant, & testimonium veritatis perhibeant.

32. Formulas † taliumcompulsorialium videre licet apud Ioan: Emeric. à Rosb. *prax. ciu. tit. 56. n. 41.* Michaël. Teuber. *c. 17. tit. 9. forma 4.*

33. Vsus † harum compulsorialium tunc potissimum necessarius,

us est, quando iudex alicui alteri examē testium committit, testes autem ad Commissarium venire, eique parere nolunt, vel quia de commissione ipsius non constat, vel quia indignum, & suæ reputationi minus congruum putant, vt coram ipsô vel compareant, vel testimonium præmisso iuramento proferant. Quod
tamen † fieri minimè debet. Non enim ex se aliquis censendus 34.
est, sed ex persona, quam repræsentat, *Canis. in sua summa l. 2. de sacram in genere §. f.* licet enim par in parem non habeat imperium, *L. 4. ff. de recept.* multò minus inferior in superiorem, *c. inferior. 4. dist. 21.* tamen delegatus, siue commissarius, ex persona committentis æstimandus est, *Rosbach. prax. ciu. tit. 5. n. 9.* Vn-
de plerumque † literis istis compulsorialibus hæc clausula inseri 35.
solet: Ich hette mich zu euch versehen/ jhr wurdet der ergangenen citation gehorsamblich pariert, vnd bey euch vernünfftig erwogen haben/ das höchstgedachter Kays: Mayest: Commission (die mir solche citation mit allem ernst aufferlegt vnd befohlen) allervnderthänigst zugehorsamen/ vnnd hierinnen nit mein/ sondern höchstgedacht Kays: Mayest: Person/ vnd gnädigstem Befelch/ in gebührlichem ansehen gehabt haben.

Ad Versic: Vnd soll demnach.

IN hoc Versic: † monet Imperator omnes iudices & magistra- 36.
tus, vt quantum in se est, omnem possibilem diligentiam adhibeant, quo testes ritè & secundū prescriptum iuris audiantur, & examinentur. Ratio: quia ab hoc pendet vita & mors ip-
sius rei. Iubet † proinde eos, si peritiam debitam, & ad hoc re- 37.
quisitam, non habeant, alios Iuris peritos consulere. Hoc enim generale præceptum est, vt si quis ius, vel iuris intelligentiam, aut iuris ordinem ignoret, peritiores consulere debeat, *L. regula 9. §. sed facti. 2. cum §. seq. ff. de iur. & fact. ign. text. in L. in bonorum 10. ff. de bon. poss.*

Sed quia † Iurisperiti non gratis omnibus seruire debent, 38.
sed tantùm pauperibus, *vide Gail 1. obs. 43. n. 10. cum seqq.* ideo nunc vlterius Quæritur: quorum sumptibus hæc consultatio
fieri debeat? ad quod Respondet † Imp. quod fieri debeat sine 39.
partium sumptu & iactura, consequenter honorarium à magi-

stratu loci est soluendum, *text. h. & in art. 219. §.* vnd ist. ibi:
40. ausser der Parthenen Kosten. Ratio: quia † si iura omnes scire debent, *L. leges 9. C. de LL.* & ignorantia iuris neminem excusat, *L. regula 9. ff. de iur. & fact. ignor.* multò minus iudicem excusabit, qui hoc ipso, quod officium acceptat, videtur se asserere suf-
41. ficientem, & peritum, *L. 2. ff. quod quisque iur.* multò † magis autem si affectat: quia affectare nemo debet id, in quo intelligit, vel intelligere debet, imperitiam suam alijs periculosam fore,
42. *L. 8. §. mulionem ff. ad L. Aquil.* & quamuis † magistratus municipales & inferiores in tantùm excusentur, vt non habeant necesse, omnes iuris apices scire, sed sufficiat communis legum publicè propositarum intelligentia, arg. *L in bonorum 10. ff. de bon: possess. L si fideiussor 29. §. quadam tamen 4. ff. mandati*, quæ ipsa
43. † causa videtur esse, quod hodie in ciuilibus causis, quando consultatio fit, pro sententia definitiua ferenda, vbique fere receptum sit, vt partes litigantes sumptus sustineant. *vide Gail. 1. obs.*
44. *99. n. 10.* Nihilominus † tamen: quia ignorantia iuris quoad ea, quæ iudiciarij ordinis solennitatem respiciunt, ne quidem mulieres & rusticos excusat, *Myns cent. 6. obs. 47. n. 2.* & examen testium ordinem iudicij respicit, & pro eo rectè instituendo communiter non adeo magna scientia, vel vt IurisConsultus loquitur, adeo scrupulosa inquisitio, & curiositas exigitur, *L. neq; supina 6 ff. de iur. & fact. ignor.* ideo si iudices hac in parte deficiunt, & ne quidem peritum aliquem Notarium habeant, meritò sumptus sustinent. Confer Summam nostram, *c. vlt. n. 17. & seqq.*

De Publicatione testimoniorum.

ARTICVLVS LXXIII.

SVMMARIA.

1. *Publicatio testimoniorum post examen facienda. 2. ratio. 10. 3. vel ab ipso iudice, si per se examinauit. 4. 5. ratio. 6. vel à commissariis 9. 10. 7. vel ab assessoribus examinantibus tantum, si cæteri valde dispersi, 8. ratio, sumptus iudiciorum euitandi.*
12. *Pro publicatione attestationũ partibus dies constituendus, eaq; citanda. 13. præsertim illa pars, contra quã testes producuntur. 14. 15. ratio.*
16. *Deinde copia testimoniorũ pro tolera-*

tolerabili pretio concedi (17. ratio) 18. expressis testium nominibus. (19. ratio) saltem separatim. n. 20. 21. si rei antea in statu honesto vixerunt. in famosis autē furibus alijsq; vagabundis sæpe ab ordine iuris receditur.

22\. *Merces examinatorū & scribarum.*

23\. *Dilatio congrua præterea partibus concedenda. 24. 25. ratio.*

26\. *Quot dilationes in causis criminalibus permittendæ?*

27\. *Aduocati ad reum admitti debent. 28. ratio. 29. & quidem soli. 30. 31. remotis arbitris. 32. 34. saltem de iure communi, si non Bauarico.*

34\. *Exceptis publicis & famosis furibus & latronibus.*

33\. *Aduocatorum fraudibus quomodo occurrendorum?*

35\. *Publicatione facta excipere licet contra personas & dicta testium. 36.*

37\. 38. *Quid contra testes? 39. quid contra testimonia.*

40\. *Quid contra formā examinis.*

41\. *Exceptiones in duplo exhiberi debent 42. ratio.*

43\. *Actor replicando personas & dicta testium defendere potest.*

44\. *Qui & ipse intra præfixū terminum in duplo replicas exhibere debet.*

45\. *Testimoniorum disputationem vltra triplicas extendere non licet. 46. ratio. 47.*

47\. *Multitudo scripturarum quomodo restringenda?*

48\. *In Camera quomodo processus abbreuietur?*

49\. *Si qualitas negotij plures scripturas desiderat, tunc vltra triplicas adhuc vna scriptura cuiq; parti permittenda. 50.*

51\. *Conclusione facta omnia acta magistratui committenti ab examinatoribus transmitti debent. 52. 53.*

QVÆRITVR † in hoc articulo: quid post examen testium vlterius sit faciendum? ad quod Respondet Imp. quod tunc testimonia debeant publicari, partibus recitari, aperiri, & communicari, ipsisq; petentibus copia attestationum dari. De qua publicatione vide ius Bauar. im Summ. proc. *tit. 7. art. 12. & seq.* vnd in der Gerichts Ordnung *tit. 7. leg. 6.* adde Andream Gailium 1. *obs.* 105. *per tot.* Ioan: Emeric: à Rosbach. *prax. ciuil. tit. 6. per tot.* Iul. Clar. §. *f. quæst. 49.* Chilianum König. *in processu iudiciario c. 86. per tot.* Michael. Teuber. *c. 24.* 1.

Ratio † huius publicationis est, vt partes possint videre, an bene vel malè, quid & qualiter testes deposuerint, *Ferrariens. in* 2.

sua

sua pract. rub. de forma pub. test. §. supra scriptis. vt inde colligere possint, quid super causa depositum, & quatenus inde causa probata sit, *Zieriz: ad text. nostrum.* Deinde, vt contra personas & dicta testium excipere, atque ea obijcere possint, quibus fides eorum imminui, ac eneruari queat, *Rosbach. tit. 61. n. 1.* Tertiò: vt probationes defensionesque suas hinc inde deducere possint, *idem tit. 60. n. 1.* Sed iam vlterius

3. QVÆRITVR: à quo, & quomodo publicatio testimoniorum sit facienda: Ad hoc Respondet Imp. cum distinctione, vel iudex ipse per se, aut per aliquos de collegio suo, siue è corpore iudicij criminalis, testes examinauit, vel id negotium alijs peritio-
4. ribus commisit. In primo † casu iudex ipse publicationi diem certum constituere, & partibus potestatem facere debet, suas exceptiones in scriptis proponendi, vel defensiones allegandi, pro-
5. ut in sequentibus plenius dicetur. Ratio † cur iudex ipse publicare debeat, redditur à Ferrariensi *loc. cit. n. 1.* talis: quia continentia causæ diuidi non debet, *L. nulli. C. de judicijs.* Ergo ad illum iudicem testium publicatio pertinet, coram quo lis ipsa pendet. adde Rosbach: *loc. cit. n. 1. tit. 60.* vbi dicit: quod testium publicatio à iudice competente, seu ipsius rei ordinario, fieri debeat.

Ad §. Woaber. 1.

6. IN hoc † paragrapho declarat Imperator alterum membrum distinctionis, & dicit: si in defectu peritorum in aliquo judicio capitali, examen testium alijs extra judicium fuerit commissum, tunc publicationem ab ipsis commissarijs fieri posse. Ratio eadem est, quæ supra, & quia nulla sententia, vel definitiua, vel interlocutoria fertur, vt necessariò ab ipso judice fieri
7. debeat. Idem † dicit fieri debere, si vni vel alteri ex assessoribus examinatio fuerit commissa, reliqui autem assessores non in eodem loco, oppido, municipio, vel communitate, domicilia habuerint, ita vt ad eos conuocandos superflui sumptus impendendi, multumque temporis insumendum esset, tunc enim non pu-
8. tauit Imp. necessarium esse, vt omnes conuocentur. Rationē † annectit in textu: quia eorum conuocatio ad singulos einsmodi

actus

actus non est vtilis, neque necessaria, & quia hoc modo sumptus & dilationes euitantur. Nam sumptus & molestiæ judiciorum omnibus modis cauendæ, & arcendæ, *gl. in L. quod debetur 51. in casu. rat. 2. ff. de pecul. arg. L. neque natales 10. C. de probat.* Similiter dilationum materia amputanda, *tex. in L. 2. in pr. C. de temp. appellat.*

Quamuis † itaque Bartolus in *L. cum ab initio circ. fin. ff. quemadmodum testam: aper.* & post eum Robertus Maranta *in suo speculo rub. de processus publicatione n. 6.* docuerit, quod Commissarius, cui delegata est testium receptio, siue, cui nuda examinis commissio facta est, non possit illorum attestationes publicare: & quamuis talis publicatio ad totum senatum spectare videatur, siue ad omnes eos, qui sunt de judicio (eius enim est publicare, cuius est judicare, *Bernhard. Zieriz. h.*) tamen Imp. in hoc paragrapho contrarium statuit, vt vel ipsi commissarij, vel soli examinatores publicationem testium faciant. Ratio iam fuit dicta, vt quod cum minori sumptuum dispendio, & temporis jactura fieri potest, non fiat cum maiori. Ratio † alia: quia 9. publicatio in eum finem fit, vt partes sciant & intelligant, quid testes pro se, vel contra se deposuerint, quod ipsis æquè à commissarijs & examinatoribus notificari potest, atque à toto senatu, & quia per istam † publicationem nihil adhuc definitur, sed 11. partibus facultas vlterius in causa procedendi conceditur, non apparet ratio, cur ista solennitas & conuocatio omnium assessorum sit necessaria.

Ad §. Anfängklich. 2.

QVÆRITVR † in hoc paragrapho: quem modum & ordinem 12. isti commissarij, & examinatores, in publicatione seruare debeant? Ad hoc Respondet Imp. quod PRIMÒ & ante omnia partibus diem aliquem ad publicanda & audienda testimonia constituere, & nominare, consequenter eos citare debeant. Concordat jus Bauaric, in der Gerichts Ordnung *tit. 7. leg. 6. in pr.* Ioan. Emeric. à Rosbach. *dict. tit. 60. n. 4.* Chilianus König *dict. cap. 86. n. 1.* Robertus Maranta *loc. cit. num. 2.* vbi dicit: quod † 13. ista publicatio fieri debeat partibus præsentibus, vel alterâ par-

te citatâ & contumace existente, per Rationem: quia aliàs pars
14. per eam posset lædi. Debet autem † maximè citari pars illa, contra quam testes producuntur. Ratio: quia illius maximè interest, & citari semper debet is, cui præiudicari potest, *L. namq; ita Diuus 39. ff. de adopt. L. de vnoquoque 47. ff. de re iudic.* Ratio
15. † alia: quia tunc, quando probatio facienda est, omnes citari debent, quos causa contingit, *VVesenb. in parat. n. 8. ff. de probat.* item quando testes audiendi sunt, (nam nulla est receptio testium, facta contra non citatum, *c. 2. ext. de testib. L. si quando 19. cum auth. seq. C. de testibus.*) Ergo multò magis, si testes sunt publicandi. Ratio: quia si quid in alicuius vergit damnum, illi cui damnum imminet, actus est notificandus, *Dd. ad §. sed si quis 8. inst. de adopt.*

16. SECVNDÒ † factâ publicatione debent partibus pro tolerabili descriptionis pretio copiæ testimoniorum concedi & dari, *text. h. & in jure Bauaric. tit. 5. art. 4. Thom. Mezger consil. crim. 15. num. 102. Iulius Clarus. §. fin. q. 49. & q. 45. n. 8. Chilianus*
17. *König loc. cit. n. 2.* Ratio † desumi potest ex *c. qualiter & quando 24. ext. de accusat.* vt habeat facultatem reus sese defendendi: tollere autem defensionem repugnat omni æquitati, juri naturali, & diuino, *Mezg. loc. cit.* vbi dicit, quod si reo indiciorum copia denegetur, processum reddi nullum, cùm defensio nemini auferri debeat. Ratio alia ex *c. quoniam. 11. ext. de probat.* quia partibus vniuersa alia judicij acta à judice, notario, vel alijs ad hoc deputatis, competenti ordine descripta, sunt communicanda. Ergo etiam testium depositiones, in quibus est potissi-
18. mum situm. Imò † quod amplius est, jubet Innocentius III. Pontifex. dict. *c. 24. § debet.* non solum dicta, sed & nomina ipsa testium publicare, per Rationem: ne per suppressionem nominum infamandi audacia præbeatur. Ratio alia: vt reus possit suas exceptiones proponere tam aduersus eorum dicta, quam personas, *Iul. Clarus. §. f. q. 49. n. 2. Thom. Mezger. loc. cit.* Sæpe †
19. enim fit, vt tales debeant audiri, & eorum testimonia exquiri, qui fortassis contra reum occultam inimicitiam gerunt, & nisi contra eos excipere liceret, sæpe alicui injuria fieret, wurde offt einem zu kurtz geschehen / *jus Bauar.* in der Malefitz Proceß Ordnung/ *tit. 3.*

tit. 3. artic. 3. vbi † publicatio ita fieri jubetur, vt nomina teſtium 20.
ſeparatim edantur, & dicta eorum iterum ſeparatim, in diſtinctis
punctis & articulis: adeoque vt non poſſit ſcire reus, quid quiſq;
teſtis in ſpecie depoſuerit. Ratio: ne vel à conſanguineis &
amicis rei, vel ab ipſo reo poſtea dimiſſo periculum aliquod time-
re debeat. Additur etiam in fine *dicti articuli 3.* † Limitatio: vt
publicatio teſtimoniorum, & editio nominum ijs tantùm reis 21.
fieri debeat, qui antea in ſtatu honeſto vixerunt, non verò vaga-
bundis & famoſis furibus, latronibus, prædonibus, & eiuſcemodi
alijs pernitioſis hominibus, quia quoad hos ſæpe receditur ab or-
dine juris communis, quemadmodum notaui *ſup. art. 47.* &
dicam *inf. requiſit. 4.* & hoc ſenſu admitti poteſt, quod Iulius
Clar. §. *f. q. 45. n. 8.* de contraria conſuetudine refert. Confer no-
tata *ſup. art. 47. n. 23.* Quodnam † autem dicatur tolerabile pre-
tium copiarum deſcribendarum, id in jure communi non eſt ex- 22.
preſſum, ſed in jure Bauarico, in der Landts: vñ Policey Ordnung
lib. 1. tit. 4. f. 461. hæc merces ſcribis & examinatoribus deputa-
tur, vt pro quouis teſte audiendo, & ipſius depoſitione annotan-
da, viginti & vnum, de copijs autem depoſitionum deſcribendis
in ſingula folia 14. nummos accipere poſſint.

TERTIÒ † debet partibus petentibus congrua dilatio, &
tantum quidem temporis tribui, quantum ratio cauſæ, magnitu- 23.
do, & neceſſitas ipſa poſtulârit, *text. hic: & in jure Bauar. tit. 7.*
der Gerichts Ordnung/ *L. 6.* §. Wir als Richter. *Chilianus König
loc. cit. n. 2. Thom. Mezger d. n. 102.* Ratio habetur † in textu
noſtro, vt ſingula ad cauſæ patronos, aduocatos, procuratores, 24.
ipſum reum captiuum, & cæteros, quorum intereſt, rectè perferri
poſſit. Ratio † alia: quia etiam in ciuilibus cauſis, quando reus
in judicio comparet, & ſibi deliberatione aliqua opus eſſe vi- 25.
det, dilationem petere poteſt, intra quam ſe in cauſa informare
poſſit, per *auth. offeratur. C. de lit. conteſt. Roſbach. prax ciu. tit.
37. n. 1.* Ergo multò magis in criminalibus aliqua temporis di-
latio eſt concedenda, quia ibi agitur de vita & morte, proinde
partibus, præſertim verò reo petenti, ad faciendum ſuas defen-
ſiones terminus eſt concedendus, *vide Iul. Clar. §. f. q. 48. n. 1.*

26. nam *Nulla vnquam de morte fuit cunctatio longa.* Proinde † de jure communi in causis criminalibus reo tres, accusatori duæ tantum dilationes dari possunt, *L. f. ff. de ferijs. Iul. Clar. loc. cit. n. 2. Rosbach. n. 8.*

27. QVARTÒ † jubet Imperator aduocatos, atque eos, quorum patrocinio reus causam suam commisit, ad reum admitti, eosq; minimè ab eo arceri. Ratio est: vt eò melius exceptiones contra personas & dicta testium, eaque, quæ ad defensionem faciunt, formari possint, *Bernhard. Zieriz. h.* vide quæ scripsimus supra
28. *art. 47.* Ratio † rationis: quia exceptiones istæ ex jure desumi, & mutuari maiori ex parte debent, quod cum rei, homines plerumque rudes & plebei, non intelligant, rectè constitutum est, vt
29. peritiorum ope & consilio vti possint. Sed hic QVÆRI † potest: an aduocatus solus ad reum sit admittendus, an verò id fieri debeat in præsentia judicis, vel alicuius assessoris, siue Notarij, aut
30. commentariensis. Aliqui ex † Dd. putant, id non posse fieri remotis arbitris, idq; per text. *in L. custodias 12. ff. de pub judic.* & Rationem: quod aduocati omnia mala nôrint, & aliqui eorum modicæ sint conscienriæ, *gl. in L. ab Anastasio v. morentur. C. mandati.* vnde facile possent friuolas aliquas exceptiones ad differendum tantum processum, eludendum judicem, & aduersariũ
31. excogitare. Verùm Bernhardus † Zierizius rectè putat, de jure communi aduocatum solum ad reum esse admittendum. Ratio: quia defensio reo denegari non debet: atqui si libertas colloquendi denegatur, aut restringitur, ipsa etiam defensio denegari
32. aut restringi videtur. Ad textum † in contrarium allegatum Resp. Modestinum IC. potius contrarium dicere, videlicet, si rei in custodiam coniecti à viris clarissimis, id est, senatoribus, vt Gothof. explicat, examinentur, tunc patronos causarum admittendos esse: non verò è contrario, si patroni & aduocati intromittantur, senatores vel alios arbitros adesse debere. Ad ratio-
33. nem † contrariam Respondetur, fraudibus & malitijs istis facile obuiari posse per cautelam in jure Bauarico *tit. 6.* der Malefitz Proceß Ordnung *artic. 1.* expressam, si nimirum aduocato vel procuratori deferatur juramentum, vel si iam ante juratus est, sub fide antea præstita promittere jubeatur, quod reum nolit malitiosè

malitiosè informare de eo, per quod veritas ſupprimi poſſet, ſed illuc præcisè reſpicere, an non reus aliquid ad ſui defenſionem, vel pœnæ mitigationem allegare poſſit. Et ſi quid putauerit reo ſeruire, id breuiſſimè conſignare, & judici offerre debeat: ſi autem nihil releuans, vel in facto, vel in jure occurrerit, à ſcribendo abſtinere. Præterea ſi quid friuolè & calumniosè ad proceſſum protrahendum quæſierit, vel reum ad reuocationem inſtigauerit, poſtea debito modo pro qualitate admiſsi puniatur. Et hæc de jure communi. Verùm † de jure Bauarico iſta cautela *loco cit.* 34.
præſcribitur, & nihilominus conſtitutum reperitur, vt aduocatus, vel procurator, non niſi in præſentia judicis, vel alicuius ex aſſeſſoribus cum reo colloqui poſsit. Quod ipſum etiam de jure communi Zierizius admittit in publicis latronibus, ſicarijs, aſſaſſinis, alijſque famoſis reis, cum quibus alio modo procedendum eſſe dixi iam *ſup. artic. 47. in defenſ. 7. n. 23.* confer Summam, *c. 5. n. 23. c. 7. n. 3. & ſeqq.* Sed extra hos, & extra Bauariam, ego aduocatos remotis arbitris cum reo agere permitterem.

QVINTÒ † permittendum eſt partibus poſt publicationem 35.
teſtimoniorum, vt ſi quid pro vel contra teſtes, & eorum teſtimonia in medium proferre velint, illud coram examinatoribus intra terminum ab ipſis præfixum facere poſsint, *text. h & in jure Bauaric. tit 7.* der Gerichts Ord. *in fin.* §. Wir als Richter / *Chilianus* König *loc. cit.* Ratio iam † ſæpe fuit allegata, quia ex teſti- 36.
monijs pendet probatio, ex probatione ſententia, & exitus cauſæ, vnde plerumque reus defenſionis ſuæ causâ fidem teſtium imminuere, ac eneruare, actor autem integram conſeruare laborat. Quomodo † autem, & quâ formâ opponi poſsit contra teſtes 37.
poſt publicationem, id tradit Ferrarienſ. *rub. forma opponendi contra teſt. mihi. f. 61.* & quid contra teſtes, eorum teſtimonia, & formam examinis obijci, Ioan: Emeric. à Rosbach. *prax. ciu. tit. 61.* v. g. † contra teſtem, quod ſit ſanguine, vel alia affectione 38.
producenti conjunctus, ipſius domeſticus, ſubditus, vilis, pauper, criminoſus, infamis, ignotus, rei inimicus, pecunia corruptus, ſingularis, falſus, *Berlich. p. 4. concl. 4. n. 130. cum ſeq.* Contra † di- 39.
cta: quod ſint contraria, varia, obſcura, incerta, ambigua, dubia,

negatiua, præmeditata, composita, aliena, diuersa, extra articulos & interrogata, in circumstantijs malè consonantia, falsa, non verisimilia, sine redditione causæ prolata, de credulitate, vel opinio-
40. ne sua concepta. *Berlich. n. 134.* Contra † formam examinis & depositionis, quod testis non sit juratus, vel omninò: vel non citata aduersa parte, quod vltrò accesserit, & se sponte obtulerit, quod non secretò, nō diligenter, nec ad omnia interrogata, quod ante litem contestatam, vel post publicationem examinatus fuerit, & si quæ sunt alia, quod testis suum officium excesserit, tantùm testari, non judicare, vel interpretari debuerit, id. *Berlich. n. 135. & num. 137.*

41. Sextò: † debent istæ exceptiones in duplo, hoc est, duplici exemplo in scriptis comprehenso exhiberi. Ratio est in textu: vt vnum apud examinatores asseruari, alterum aduersæ parti concedi possit, ad replicationes, si quas habere se confidat, oppo-
42. nendas. Adeoque id † receptum est ad celeriorem causæ expeditionem, ne postea vel judices, vel commissarij, vel examinatores parti producenti, ad eius requisitionem & instantiam, copias illarum exceptionū necesse habeant communicare, & suis notarijs vel scribis, (quorum fortassis vix vnus habetur, alijs nego-
43. tijs & laboribus occupatus) descriptionem mandare. Ratio † rationis: quia sicuti reus, contra quem testes fuerunt producti, excipere solet contra personas & dicta testium, atque eorum fidem eneruare conatur: ita actor qui testes produxit, replicando eorum personas & dicta defendere, fidemque stabilire omnibus modis laborat, ita vt super testibus & testimonijs noua disputatio oriatur.

Ad §. So aber. 3.

44. Septimò † vult Imp. vt si pars producens replicare velit, illud intra tempus ab examinatoribus præfixum facere, & vicissim duo exempla replicarum suarum offerre debeat. Ratio iterum est eadem: quia cauendum est, ne lites fiant immorta-
45. les, & causa plus æquo extrahatur, *Gail. 1. obs. 91. n. 4.* Sed an † non licet reo duplicare, actori triplicare, & sic deinceps vlterius? ad hoc Respondet Imperator.

Octavò:

OCTAVO: quod illud quidem permissum sit, ita tamen, vt nulli parti liceat vltra duas scripturas proponere, quibus fundamenta sua defensionesque deducant, sic ergo vltra triplicas hæc testimoniorum disputatio extendi non debet, sed postea in causa concludi. Ratio: ne † in infinitum inutilibus disputationibus 46.
negotium, quod breuibus expediri poterat, extrahatur, *Remus h.* Cum enim † omnibus modis cauendum sit, ne lites in infinitum 47.
excrescant, solet etiam aliàs extra causam testimoniorum, officio judicis prolixioribus allegationibus inhiberi, *per auth. judices. C. de judic.* vel per partes quandoque ita compromisso conueniri, daß sie mit zweyen oder dreyen Schrifften zum Beschluß vnnd Vrthel setzen sollen. Quæ † ipsa causa est, quod in Camera Im- 48.
periali tali disputandi & allegandi progressui certus modus & terminus præscriptus sit, ne videlicet in dilatorijs exceptionibus vltra duplicationem, & in peremptorijs vltra triplicationē procedere liceat, *Ord. Cam. p. 3: tit. 26. 29.* nisi forte judex secundum qualitatem causæ plura scripta concedat, *tit. 38. ead. ordin. Rosbach. prax. ciuil. tit. 44. n. 3.*

Quid si † ergo etiam in nostro proposito qualitas causæ 49.
plures scripturas desideret, an tunc permittendum est partibus vlteriores allegationes facere? ad hoc Respondet † Imp. NONÒ: 50.
si examinatores viderint iustas, magnas, singulares, & momentosas causas, tunc posse eos cuiuis parti adhuc vnam scripturam, & non plures, & quidem sine mora longiore offerendam indulgere. Ratio: quia sicuti non debemus abundare in superfluis: ita nec deficere in necessariis.

Quid si † ergo in hunc modum attestationes auditæ, publi- 51.
catæ, à partibus velitationes & disputationes, & conclusio in causa facta fuerit, quid tunc superest agendum? ad hoc Respondet Imp.

DECIMÒ: quod † tunc commissarius siue examinator, omnia 52.
acta magistratui deleganti, qui ipsum ad hoc examen deputauit, ocyus transmittere debeat. Ratio: quia † iam functus est suo officio, & si vlterius progrederetur, fines sui mandati & commissionis excederet. Proinde † ad magistratum tunc spectabit, quid vl- 53.
terius agendum sit, deliberare, & judici, coram quo processus pendet,

pendet, iudicium suum aperire, quomodo in causa pronunciare, & quid vlterius agere & statuere possit, ac debeat.

De testibus pro defensione rei admittendis.

ARTICVLVS LXXIV.

SVMMARIA.

1. Si reus testes producere, aut alias defensiones 2. releuantes exhibere velit, audiendus. 3. 4. 5. 6. in qualibet parte judicij, etiam post testimoniorũ publicationem, conclusionem in causa. 7. & sententiam.

5. Publicationis effectus est, vt ea facta testes non poßint amplius produci.

1. QVÆRITVR † in hoc articulo: quid si reus testes producere, aut alias probationes exhibere velit, quæ ipsum ab intentato crimine purgare & excusare possent, an ad hoc sit
2. admittendus, nec ne? ad quod † Respondet Imp. si ea probatio judici releuans, & alicuius momenti visa fuerit, quod omninò sit
3. audiendus. Ratio: quia † si actori permittitur testes producere, & probationes facere contra reum, vtique permittendum erit etiam reo, testimonijs atque alijs modis innocentiam suam probare. Ratio rationis: quia non debet esse melior conditio actoris, quam rei, cum regula juris fauorabiliores esse velit reos, quam actores, *L. fauorabiliores. 125. ff. de R. I. L. Arrianus. 47. ff. de O.*
4. *& A.* Ratio † alia: quia vt supra in *princ. præced. art.* dictum fuit, publicatio testium in eum finem fit, vt partes suas probationes & defensiones hinc inde deducere possint: ergo reus ad defensionem suæ innocentiæ, siue ad probationem suæ defensionis est admittendus. *Nicol. Vigel. c. 3. q. 5. reg. 2.*

5. Ratio † adhuc alia: quia licet hic sit effectus publicationis, quod ea semel facta regulariter testes non possint iterum vel amplius produci, aut examinari, quia periculum est subornationis. (nam quia pars producens testificata didicit, periculum est, ne nouos testes instruat, quid pro confirmatione priorum testimoniorum dicere debeant, *vide Kilianum König. c. 86. n. 3. Rosbach.*
6. *tit. 60. n. 6.*) nihilominus tamen † reus potest se defendere, & suam

innocen-

innocentiam probare quocunque tempore, & in qualibet parte iudicij, *text. in L. vnius. 18. §. cogniturum. 9. ff. de quæstion.* etiam post testium publicationem, & conclusionem in causa, *Bernhard. Zierizius hic. Gail 1. obs. 107. n. 11.* nam quia causæ criminales maximi præiudicij habentur, etiam post conclusionem in causa defensiones audiendæ, *vide Rosbach. prax. ciu. tit. 70. n. 12. Thom. Mezger consil. crim. 15. n. 102. §. atq. Mynſ. cent. 6. obs. 56. n. 8.* Ratio † rationis: quia in causis criminalibus fauore defensionis 7.
receptum est, vt quoad reum nunquam in causa concludatur, *Gail. loc. cit.* Imò † in tantum hoc extendunt alij, vt velint 8.
defensiones rei etiam post sententiam adhuc audiendas esse. *Hippolyt. de Marsil. in pract. §. occurrunt. n. 3. & post eum Remus & Matth. Stephani h.* vide declarationem inf. *artic. 103. num. 23. & seqq.*

Sed qua † ratione, quo ordine, & modo rei testificationes 9.
& probationes sunt admittendæ? Ad hoc Respondet Imp. quod quantum ad testificationes attinet, id non alia ratione fieri debeat, quam superius in testimonijs ab accusatore adductis ostensum est. Cæteræ autem defensiones eo modo, vt inf. *artic. 151. & seqq.* vbi de innocentiæ probatione plenius agetur, pluribus continetur. Vide etiam de probatione innocentiæ *sup. art. 47.* & Summam *c. 5. n. 30. & seqq. & c. 6. n. fin.*

De sumptibus testium.

ARTICVLVS LXXV.

SVMMARIA.

1. Sumptus testium producens sustinere debet (2. 3. ratio.)

4. Tales, qui pro congruo victu & itinere necessarij sunt.

5. Operarijs etiam diuturna merces.

6. Quanti sumptus præstandi plebeis? 7. 8. quanti honestioribus?

9. 10. Secundum qualitatem & conditionem personæ.

11. Sumptus quos quis domi facturus esset, non deducuntur.

12. Sumptus testibus ab initio præstandi, vel apud judicem deponendi.

1. QVÆRITVR † in hoc articulo? si testes testimonij ferendi causâ euocantur, quis sumptus facere debeat? ad quod Respondet Imp. non testes ipsi, sed illi, qui testes vel ad inuestigationem & probationem criminis, vel ad innocentiæ defensionem euocant, *text. h. & in L. testium 3. §. Gabinio 4. ff. de testibus L. quoniam 11. C. eod. c. statutum 11. §. pro ferendo quoq; te-*
2. *stimonio. de rescript. in 6. c. venturis 4. q. 3.* Ratio primi: † quia officium suum nemini debet esse damnosum, *L. si seruus communis 61. §. quoad verò 5. ff. de furt. L. 1. ff. de cont. & vt. tut. act.*
3. Ratio † secundi: quia sumptus præstare debet, cuius gratia actus celebratur, *L. sed & si 11. §. 1. ff. ad exhib. VVesenb. n. 13. in f. ff. de edend.*

4. Quales † autem sumptus sunt præstandi? Ad hoc Imp. in terminis non respondet, sed ex verbis eius vtcunque colligitur, nimirum illi, qui pro congruo victu necessarij sunt, v.g. sumptus itineris, & si extra locum habitationis testes euocentur, viaticum necessarium, Nicol. Vigel. *meth. Carol. c. 3. q. 6. reg. 2.* Gail.
5. 1. *obs. 99. n. 2.* vbi tradit *n. 8.* si testis † mercenarius, ex operis diurnis se, & vxorem, & liberos alens, peregrè euocetur, quod tunc præter expensas, etiam harum operarum, & diurnæ mercedis ratio haberi debeat. Per Rationem: nam & si testimonium testi non debeat esse lucrosum, ac proinde nec temporis, aut emolumentorũ, quibus quis ob absentiã caret, ratio habenda sit, (quia testis ob testimonium non lucrum quærere, sed gratis veritati assistere debet, *id ibid. n. 5. & 6.* tamen operarum intermissio, ob vtilitatem alterius, non debet etiam ei esse fraudi, & nocumento, præsertim cum operæ diurnæ quasi in fructu sint. Ergo meritò considerari debeant, *ibid. n. 9.*

6. Quanti † autem sumptus sunt præstandi? Ad hoc Respondet Imp. distinguendo inter homines plebeios, & digniores. Plebei, qui pedites iter facere solent, in singulos dies, quibus ferendi testimonij causa à rebus suis absunt, octo cruciferos, aut tantum pretium æquiualentis monetæ, pro more cuiusuis regionis, habere debent. Ratio: quia tempore CAROLI V. honestè
7. viuere his sumptibus poterant. Sed quia † hodierno tempore omnia carius venduntur, præsertim in publicis hospitijs, & tantillum

tillum testi peregrè eunti non sufficit, ideo Zierizius ad arbitrium boni viri recurrendum putat.

Si autem † nobiles, Doctores, illustres, aut clarissimæ personæ, ad ferendum testimonium euocentur, tunc in arbitrium commissariorum & examinatorum reponitur, vt ipsis congruos sumptus pro dignitate & conditione cuiusque testis decernant, *argt. d. c. statutum 11. §. pro ferendo. de rescript. in 6.* vide Menoch. *de arbit. jud. quæst. cas. 310. n.* 10. Alio enim modo plebeio, alio ciui, alio rustico sumptus suppeditandi sunt, Zieriz. *ad textum nostrum h.* Nobiles enim † & Doctores lautioribus & delicatioribus esculentis & poculentis, puta carne assâ, pullis, & vino vesci possunt & debent, ideoque secundum conditionem & statum honestius veniunt exhibendi: rustici autem & plebeij non debent vesci pullis, & alijs delicatioribus cibarijs, sed ad summum vno frustillo carnis bubulæ elixatæ, & haustu cereuisiæ, vide quæ scripsi in patrocinio debitorum *decad. 3. q. 3. n.* 10. 11. 12. *& seqq. item n. 30. & seqq.* Similiter rusticus † equo aut vehiculo vti non debet, & si vtatur, sumptus præstandi non sunt: nobilis autem non tenetur ire pedes, sed equo vel vehiculo vti poterit, *Gail. obs. 99. n. 4.* vide notata in meo patrocinio *loc. cit. q 4. num.* 149.

8. 9. 10.

Hæc autem † omnia ita intelligenda sunt, vt non deducantur sumptus, quos testis aliàs domi facturus fuisset, neque eò minus soluatur, *Gail. n. 2.* Ratio: quia cum incômodo suo peregrè proficisci, & emolumentis alijs, quæ domi percipere poterat, ob absentiam carere cogitur. Ergo æquum est, vt viciſsim aliquid, & quidem modicum illud, quo quis domi alitur, lucretur. Deinde † sumptus illi, statim ab initio præstari, vel apud judicem deponi debent, aliàs testes venire non coguntur, *Gail. loc. cit. Zieriz. ad text. nostrum.* Ratio: quia durum esset, testem de suo expensas facere, & postea illas primùm cum incommodo suo repetere. Confer Summam *cap.* 10. *num.* 5.

11. 12.

•❧(o)☙•

De saluo conductu testibus euocatis praestando.

ARTICVLVS LXXVI.

SVMMARIA.

1. Citatus ad locum non tutum comparere non cogitur.
2. Locus judicij tutus esse debet etiam aduocatis, & procuratoribus & testibus. 3. ratio. 4. inde exceptio loci non tuti.
5. Saluus conductus siue securitatis promissio quid?
6. Vnde nomen habeat? auctores de saluo conductu scribentes. 8. Forma.
7. Iudex saluum conductum contra violentiam facti, non juris concedere potest. (9. Ratio) & denegare debet, si non verisimiliter periculum timeatur. 10.
11. Iudex non potest securitatem promittere contra judicium publicum, sed solus Princeps. 12.
13. Effectus der vergläittung für Gewalt *est, vt contra reum ad huc per viam justitiae procedatur 14. Exemplum Hieronymi Pragensis. 15.*
16. Reus repertus an non obstante saluo conductu puniri possit.

1\. Pro † hoc articulo intelligendo Sciendvm est Primò, quod locus judicij debeat esse tutus & securus, ita quidem, vt si aliquis citetur ad locum non tutum, hoc est, ad eum, ad quē non patet tutus accessus, comparere non cogatur, vide Mynss. *cent. 2. obs. 73.* Gail. *1. obs. 52. n. 3.* vbi *n. 8.* Ampliat † id pro-
2\. cedere non solum quoad partem citatam, sed etiam quod eius aduocatum, & procuratorem, aliasque personas, quorum operâ & consilio vtitur, & interesse habentes, & in specie etiam quoad testes examinandos, omnibus enim locus tutus esse debet, *Petrus Premus de securit. promiss. q. 1. f. 17. Arum. vol. 2. discurs. 5. memb. 1.*
3\. *n. 13. & seqq.* Rationem † reddit Zanger. *in tract. de except. p. 2. c. 5. n. 1.* ne per indirectū partes litigantes, (inprimis verò reus, qui praecipuè defendendus est) priuentur defensione, cuius gratia aduocati, procuratores & testes euocantur.

4\. Sciendvm † Secvndò: quod si quis ex partibus, vel testibus euocatis, timeat periculum aliquod, vel quandam injuriam, quae sibi vel ab ipso judice, vel ab alio inferri posset, puta, quod ab ad-

ab aduersario suo in via forsitan opprimi, vique & crudeliter interimi timeat, vel etiam incarcerationem vereatur, vel cruciatus corporis, forte ob id, quod bannitus vel relegatus sit, vel eo in loco deliquerit, comparere non cogatur, vide *c. ex parte tua. 47. vbi Canonistæ. de appellat.* sed se defendere possit per exceptionem loci non tuti, de qua vide Zang. *d. c. 5. per tot. maximè n. 5. & 6.*

SCIENDVM † TERTIÒ: quod hac de causa, ne opposita hac exceptione judicia differantur, soleat reis, aut accusatis, eorumq; testibus, ad eorum petitiones, pro auersione carceris, aut alterius offensionis, à judicibus præstari saluus conductus, hoc est, promitti securitas, sub publico sigillo iudicij, ita vt securè accedere & recedere posſint, *Zanger. n. 8. Petrus Premus in tract. suo de securit. promiss. q. 1. f. 17.* & solet quandoque ipsa citatio fieri sub publicæ securitatis tessera, bey einem vngefährlichen Gelaitt/für jhn/ vnd alle die jenige / so er mit jhm bringen würdt/ *Andr. Gail. de Pace pub. l. 2. c. 7. n. 1.* Hoc autem † veteres latinæ linguæ auctores fidem publicam, ICti securitatem, moderni autem imitatione linguæ Germanicæ saluum conductum, siue ein sicher Gelaitt appellant, Premus *loc. cit.* vbi Rationē nominis reddit hanc, quod ei, qui cōducitur, vel deducitur, omnia salua sint. Vide de † hoc saluo conductu jus Bauaric. in der Malefitz Proceß Ordnung *tit. 5.* Brun. *de cessione bon. q. 11. quart. quæst. princip. n. 34. cum seqq.* Petrum Premum *in dict. tract. de securit. promiss. per tot.* Anton. Gab. *com. conclus. l. 2. de jurejur. conclus. 5. n. 21. 22. & 23. eund. l. 6. de legib. conclus. 2. n. 7.* Zanger. *d. c. 5. à n. 8. vsq; ad n. 29. inclusiue.* Moller. *l. 2. semest. c. 1. per tot.* Iodoc. Damhaud. *prax. crim. c. 26. per tot.* Domin. Arum. *vol. 2. discurs. 5. per tot.* His ita cognitis & notatis 5.

QVÆRITVR † in hoc articulo: vtrum tunc, si partes principales, vel eorum testes ad judicem vel commissarios euocantur, petere & obtinere posſint saluum conductum? ad hoc Respondet † Imp. quod posſit quidem ipsis saluus conductus, siue securitas à judice promitti, contra vim, non verò contra publicum judicium, siue, quod saluus conductus posſit quidem concedi à violentia facti, non verò à violentia juris, ita hæc verba expli- 7.

8. cant Premus. *q. 6. in pr. f. 41.* Zanger. *d. c. 5. n. 19.* vnde † vulgaris forma ita fere concipi solet: immassen Wir euch dann zu solchem allem hiemit ein sicher frey Gelaitt zu recht / für Vnrechten Gewalt / zugeschriben / vnd gegeben haben wollen / *id. ibid. Zieriz. ad art. 156.* Ratio † autem, quare nulli partium aut testium
9. aduersus publicum judicium securitas promitti debeat, redditur *à Remo, Zierizio & Matth Stephani hic.* quia in jure nemini in-
10. iuria expectanda est. Ex quo Inferunt: nisi † reus, vel eius testes, ostendant se verisimiliter aliquod periculum extimescere, vel ab extero, vel à potenti aliquo aduersario, quod saluus con-
11. ductus à judice denegari debeat. Verùm † quia periculum saltem in judicio timeri potest, & subinde injuria à judice fines sui officij excedente, ideo hæc ratio non sufficit, sed notanter meo judicio in textu nostro dicitur: Daß kein Parthey noch Zeüg vor den Richtern oder commissarijs solle vor peynlicher Rechtfer-
12. tigung verglaittet werden. Ratio † mihi longè alia subesse videtur, & quidem hæc, quia securitatem dare quoad judicium publicum, id est, quoad indulgentiam criminis, & impunitatem nullus judex, sed solus Princeps potest, *argt. L. relegati ff. de pœnis. Petrus Premus. q. 1. f. 21.* Damhauder. *c. 26. n. 2.* Sed
13. quis † est effectus der verglaittung für Gewalt. Ad hoc Respondetur: si judex securitatem promisit vor vnrechtem Gewalt / adhuc nihilominus contra reum per viam justitiæ procedere po-
14. test. Quemadmodum † factum fuit in Concilio Constantiensi, vbi Hieronymo Pragensi saluus conductus concessus est, sub hac forma: comparens secundum tenorem prædicti tui scripti, responsurus ad ea, quæ tibi aliquis, vel aliqui in causa fidei voluerint obijcere, recepturus & facturus in omnibus justitiæ complementum, ad quod à violentia, justitiâ semper saluâ, omnem saluum conductum nostrum, quantum in nobis est, & fides exigit orthodoxa, præsentium tenore offerimus, & etiam plenius
15. assignamus. Quibus † verbis saluus conductus à violentia facti, non iuris, vel iustitiæ fuit promissus. Cùm proinde Hieronymus de hæresi fuisset conuictus, iure & meritò pœna capitis, cui ipse se subjecerat, fuit condemnatus, de quo vide amplius Menochium *consil. 100. num. 226. & seqq.* Arumæum *vol. 2. de*

jur.

jur. pub. disc. 5. n. 51. Sic etiam † testatur Mollerus *l. 2. semest. c. 1. circ. fin.* cùm senatus Northusianus dedisset alicui securitatem zum Recht/ vnd vor vnrechter Gewalt/ & is comparens in judicio, delictum, ob quod accusatus erat, sponte confessus esset, Scabinos Lipsienses consuluisse, vt non obstante securitate in carcerem conijciatur, & puniatur, vide tamen Pruckmannum *de solut. Princip. pot. cap. 4. memb. 2. eff. 5. f. 436. & seqq.* Confer Summam nostram *c. 7. n. 26.* Quomodo peculiariter de jure Bauarico procedendum sit, quando alicui saluus conductus conceditur, zun oder auch von Rechten/ vide *tit. 5. per totum.* 16.

De maturando processu.

ARTICVLVS LXXVII.

SVMMARIA.

1. *Judices processum maturare debent.*
2. *Sumptus & molestia judiciorum euitanda.*
3. *Dilationes superuacua non sunt danda.*
4. *Criminales causa intra biennium finienda.*
5. *Instantia in ciuilibus triennio, in criminalibus biennio perit.*
6. *In illis tamen actor iterum auditur.* 7. *in his accusator non item.*
8. *Instantia tempus an de consuetudine seruetur.* 9.
10. *An in inferioribus tribunalibus seruandum?*
11. *Rei non diu detinendi.* 12. *prasertim venefica.*
13. *Quando de crimine facile constare potest.*
14. *Aliàs processus extrahendus, & quando?*

IN hoc † articulo monet Imp. causarum criminalium cognitores & judices, vt in processu criminali iuxta præscriptum legum maturè & incunctanter progrediantur, neque judicia publica dolosè (vt Remus explicat) vel cum partium jactura & periculo causæ, (vt Zierizius interpretatur) diutius protrahant. Ratio † est in textu: ad euitandos sumptus, & vt Remus superaddit: ne frustra tempus teratur, sed melioribus, alijsque causis seruetur. Nam in genere sumptus & molestiæ judiciorum cauendæ 1. 2.

uendæ & arcendæ ſunt, *argt. L. neque naturales. 10. C. de probat.* & omnibus modis cauendum, ne lites fiant immortales, vel cauſa
3. plus æquo extrahatur. *Gail. 1. obſ. 91. n. 4.* vbi infert: etiam † in cauſis ciuilibus non debere facile dari dilationem abſque cauſæ cognitione. Ergo multò minus in criminalibus dilationes non neceſſariæ, vel ſuperuacuæ, partibus ſunt concedendæ, per text. *in L. nouerint. 2. C. vt intra certum tempus criminalis quæſtio terminetur,* vbi Theodoſius & Honor. Imp. ſingularem hanc in iudicibus requiſiuit diligentiã, vt ſi nulla rationabilis à reo, vel accuſatore dilatio poſtuletur, ipſe talium cauſarum notionem vr-
4. geat, non expectatis moris. Eadem † de cauſa Iuſtinianus Imp. *in L. 3. C. eodem,* conſtituit, & voluit, criminales cauſas omnimodo intra duos annos, à litis conteſtatione numerandos, finiri debere, neque vlla alia occaſione ad ampliora produci tempora, ſed poſt biennij exceſſum (minimè vlterius lite durante) accuſatum
5. abſolui. Et † hoc eſt, quod Doctores noſtri tradunt: inſtantiæ tempus in cauſis ciuilibus triennio finiri, in cauſis verò criminalibus biennio, ad *L. properandum. C. de judicijs.* Mynſ. *cent. 3. obſ. 44.* vbi Rationem deducit ab vtilitate publica, ne lites fiant immortales.

6. Et quamuis † in cauſis ciuilibus peremptâ inſtantiâ pereat non cauſa ipſa, ſed tantùm ius partis, ita vt actor poſtea poſſit
7. iterum, & de nouo agere: aliud † tamen eſt in cauſa criminali, in qua elapſo biennio non auditur vlterius accuſator, volens iterare accuſationem, etiamſi offerat expenſas ad inchoandum nouũ iudicium, Mynſ. *dict. cent. 3. obſ. 50.* Iulius Clarus §. *f. quæſt. 51.*
8. *n. 8.* vbi † teſtatur, in ducatu Mediolanenſi nullam ſeruari inſtantiam, ſed ex generali conſuetudine etiam peremptâ inſtantiâ
9. poſſe judicem proſequi proceſſum. Sic etiam † in Camera imperiali inſtantia non perit triennio, Mynſ. *cent. 2. obſ. 48. & cent. 3. obſ. 44.* idque, vt ipſe ait, propter multitudinem cauſarũ.
10. Quæ ratio, cum † in inferioribus tribunalibus ceſſet, ego exiſtimarem, tempus illud adhuc hodie obſeruandum eſſe, per *text. art. noſtri.* niſi fortaſſis reus per ſubterfugia cauſam extraxiſſet, *per tradita Gailij, obſ. 91. n. 9.* Ratio: quia tunc iniquum eſt

jus

jus aduersarij opprimi, aut perdi impedimento partis alterutrius, *Myns. cent 4. obs. 58. n. 3. confer Summam c. 7. in fin.*

Huc † facit, quod bene monet Dominus Weizenegger *diss. 6. c. 8. n.* 133. judicibus præceptum esse, ne reos criminum diu detineant, sed vel sontes & conuictos velox pœna consumat, vel innoxij reperti liberentur maturius, *text. in L. 5. C. de custod. reor.* Idque † maximè in sagis seruandum esse, per Rationem: quod raro ab amasijs suis diabolis liberentur, & ad nefandam commixtionem admittantur, atq; ad ipsum mortis sibi consciscendæ consilium instigentur. Limitat † autem tunc obtinere, quando de crimine facile constare potest, nec in confessionibus carceratorum mendacia reperiuntur, vel nisi aliæ circumstantiæ se prodant, quæ deliberationem & certitudinem aliquam ex aliorum testimonijs postulent. Nam † si rei vel ab initio quædam ad sui defensionem proponant, vel iudex ipse signa deprehendat, vel confessiones in tormentis factæ verisimiles non sint, melius est processum extrahere, ac veritatem ijs locis, & apud eas personas, vbi consultum videbitur, circum spectè indagare, quam confessiones certis qualitatibus earum neglectis pro puris acceptare, & cum periculo innocentum præcipitem dare sententiam, *id ibid. n.* 134. 11. 12. 13. 14.

De aßignatione diei pro definienda causa.

ARTICVLVS LXXVIII.

SVMMARIA.

1. Conclusione facta accusatori petenti dies ad proferendam sententiã constituenda. 2. & quare? n. 4. vel reo, si accusator non petat. n. 5. & 6. & quare? n. 7. vel ex officio.

3. Ordo juris & processus.

8. Dies sacer vel festiuus non est constituendus, & quare: n. 9.

10. Cognitio causarum criminalium an in diebus jeiunij rectè exerceatur? 11. & 12.

13. A quibus acta post conclusionem causa ad aulam vel regimina in Bauaria remittantur.

QVÆRITVR † in hoc articulo: quid si reus delictum fuerit confessus, vel probationes ab accusatore per legitima 1.

testimonia factæ, & in causa conclusum, quid tunc vlterius fa-
2. ciendum? Ad hoc † Respondet Imp. quod accusator petere pos-
sit diem ad proferendam sententiam constitui, & si petat, quod
3. eius petitioni debeat satisfieri. Ratio prioris: quia † hic est or-
do juris, vt ea, quæ in judicium fuerunt deducta, à partibus venti-
lentur, negata legitimè probentur, asserta refutentur, post pro-
bationem autem, & refutationem hinc inde testibus, instrumen-
tis, alijsq; probationũ generibus factam, tandem in causa conclu-
datur, & postquam conclusum est, sententia feratur, & contro-
uersia vel absolutione, vel condemnatione factâ definiatur, vide Ioan: Emeric. à Rosbach. *prax. ciuil. tit. 70. & 71. in princ.*
4. Ratio † posterioris redditur à Remo, Gilhausen, Zierizio, &
Matthia Stephani talis: quod iusta petentibus non sit denegan-
dus assensus, *L. 2. ff. de his, qui sunt sui. §. 2. inst. eod.*
5. Quid si † autem accusator nolit hoc petere, fortassis ideo,
quia videt reo periculum mortis imminere, quod ab initio non
quærebat, vel fortassis ea de causa, quia animaduertit, se in pro-
batione defecisse, adeoque ratione calumniæ periclitari, quid
6. tunc faciendum? Ad hoc † Respondet Imp. quod ad petitio-
nem rei similiter diem pro sententia constituere debeat. Ratio
7. est: quia † æqualitas inter actorem & reum seruanda est, *Gail. 1. obs. 91. n. 14.* & non licet actori, quod reo licitum non existit, *c. non licet 32. de R. I. in 6. c. 2. ext. de mut. pet. L. non debet. 41. ff. de R. I.* Quid si autem neuter petat diem pro definitione causæ? Resp. tunc nihilominus judex de certo die cum assessoribus suis conueniet, das haimblich Malefitz Recht zubesitzen/id est, ad secretum judicium capitale peragendum, *jus Bauaric. tit. 6. artic. 2.* Ratio: quia hodie plerunque per viam inquisitionis vel denunciationis proceditur, *vide Summam c. 9. n. 3.*
8. Rectè † autem Zierizius hic notat, non esse constituendum
diem sacrum vel festiuum, *per text. c. nullus 3. caus. 15. q. 4.* Ra-
9. tio: quia † dies iste cultui diuino debetur, non causarum cogni-
tionibus. Ratio alia: quia si feriatis diebus nullus actus judi-
cialis rectè expeditur, *VVesenb. n. 5. ff. de feriis,* multò minus sen-
10. tentia in causa capitali rectè pronunciatur. Et quamuis tam †
de jure ciuili, quam canonico statutum, vt tempore quadragesi-

mæ

mæ omnis cognitio causarũ criminaliũ inhibeatur, *L. f. C. de feriis* præterea etiam in alijs diebus, in quibus legitima jeiunia celebrantur, *c. placita 2. caus. 15. q. 4* per Rationem † ibi subnexam: 11.
vt adeundi Ecclesiam, & orationibus vacandi, liberior habeatur facultas, & quia canones in eiusmodi diebus, piè religioni dicatis, vacare jubent jeiunio & orationi, ab alijs autem operibus abstinere, Zierizius *loc. cit.* id † tamen, vt ibidẽ notat, hodie apud nos 12.
non seruatur, sed plerumque capitalia iudicia in diebus esurialibus exercentur, atque in multis locis ordinariè feriâ sextâ, quâ memoria dominicæ passionis in Ecclesia per totum annum celebratur, executio eiusmodi suscipitur, bene autem, an malè? meum non est judicium. *Confer Summam c. 9. n. 1.* Obiter † ta- 13.
men hoc loco Notandvm est, quod in Bauaria status, qui jus gladij habent, post conclusionem ad sententiã procedere quidem possint, ex nomarchijs autem auß den Landtgerichten confessiones rei, & ratificationes, prius ad aulam vel regimina remitti, & exquiri debeat, quid porro agendum, & mandatum expectari, *tit. 3. art. fin. in fin.* vnde plerumque rescribitur, vt reum Deo & iustitiæ committant, das man den Gefangenen GOtt vnd den Rechten befehle/ vnd ein strengen Malefiz Tag ansetzen solle.

De die executionis reo denuncianda.

ARTICVLVS LXXIX.

SVMMARIA.

1, 2. *Si reus capitaliter puniendus, triduo ante damnato executio denuncianda est. & quare? n. 3. & 4. 8.*
5. *An ad vltimum supplicium damnatus adhuc testari & de rebus suis disponere possit?*
7. *Quid si non disponat?*
9. *Per quem sententia condemnato intimanda? & quomodo? n. 10.*
11. *An ei venerabile sacramentũ largiendum. 12. 13.*
14. *An vltimo die executionis.*
15. *Viri religiosi quomodo reo assistere debeant.*
16. *Consuetudo pia quorundam locorum.*
17. *Reus per triduum lautius nutriendus.*
18. *An dum educitur, haustus porrigendus? sed non nimius 20. & 21.*
19. *Quinam abusus cauendi.*

 Quando

1. QVandoquidem † hodie raró, imò vix vnquam contra reū per viam accusationis, sed plerunque per viam inquisitionis & denunciationis proceditur, ac proinde à partibus non facile dies pro definitione causæ petitur, nisi quando aduocatus, vel procurator fisci, ad reum solenniter accusandum deputatur: insuper sententia in plerisque locis non prius publicatur, nisi illo ipso die, quo executio suscipitur, *vide Dambauder.. c. 150. num. 2.* ideo nunc

2. Qværitvr: † an tunc, quando vel ad petitionem accusatoris, vel ex officio reus capitaliter puniendus, & sententia solenniter ferenda, executioni mandanda est, dies executionis reo
3. denunciandus sit, nec ne? Ad hoc † Respondet Imp. quod omninò triduo ante damnato executio sit denuncianda. Ratio: vt se ad mortem præparare possit, *Godelman: in tract. suo de magis &*
4. *venef. lib. 3. c. 11. n. 4.* quod † potest fieri duobus modis, ciuiliter, disponendo de rebus & facultatibus suis, deinde curando animā, vel salutem animæ suæ. *Hyppolytus de Marsil. in pract. crim. §. quo-*
5. *niam. n. 50.* Nam quod † ad primum attinet, licet de jure antiquo, quoties pœna capitis imponebatur, bona rei publicata fuerint, *tot. tit. ff. ac Cod. de bonis damnator. VVesenb. n. 4. C. de apostat.* & adhuc hodie in quibusdam locis Galliæ ita seruetur, vt qui confiscat corpus rei, confiscet etiam bona, vt ipsi loquuntur,
6. vel, vt nostri, persona trahat ad se bona; tamen † quia de jure Nouellarum ad vltimum supplicium damnati libertatem ex pœna non amittunt, & serui pœnæ amplius non fiunt, *Nou: 22. cap. 8. VVesenb. n. 5. de capit. minut. id. n. 8. & 9. ff. de pœnis* ideo neque bona amittunt, *auth. bona C. de bonis damnat*, sed salua ijs est contrahendi, atque ita quoque donandi ex jure gentium facultas, *VVesenb. in f ff. de donat.* multò magis autem testandi, ante &
7. post sententiam, *VVesenb. n. 13. ff. de testam.* Ita † vt si testamentum non faciant, & de bonis suis non disponant, ea nihilominus ad legitimos hæredes, & quidem ad descendentes in infinitum, ad collaterales autem vsque ad tertium gradum transmittant, *auth. bona damnatorum C. de bonis damn. L. cum ratio 7. ff. eod. VVesen. n. 9. ff. de pœnis, & num. 6. ff. de bonis damnat.* Adde Nouell. *134. c. 13. §. f.* vbi definitur, quid mulieri relinquatur. Sed his omissis,

sis, † videamus potius cum Imperatore nostro Carolo V. Rationem huius denunciationis aliam, magis Christianam; vt tempestiuè de peccatis suis cogitare, dolere, eaque confiteri possit. Confer jus Bauaric. *tit. 6. art. 3.* Ratio rationis: ne cum vita mortali æternam quoque vitam amittat. Etsi enim peccator sit, ac proinde ex ipsa legis diuinæ permissione, vel iussu, temporali pœna rectè afficiatur: Devs tamen non vult mortem peccatoris æternam, sed magis, vt conuertatur, & viuat. Proinde ex laudabili † consuetudine multorum locorum Germaniæ solet sententia condemnato intimari vel per parochum loci, vel per alium virum religiosum, qui verbis accommodatis reo mortem denunciet, illumque ad patientiam & pœnitentiam suorum peccatorum hortetur, *Iul. Clar.* §. *f. quæst. 99. n. 1.* Et in hoc † meritò laudandi sunt magistratus, quod eundem reum, quem sua vita corporali priuabunt, ad vitam spiritualem promoueant, ad resipiscentiam & agnitionem peccatorum suorum, quibus Devm conditorem & benefactorem suum, nec non homines & proximos suos grauiter offenderunt, exhortentur, in spem veniæ erigant, & ad Sacramenta Ecclesiæ percipienda commoueant.

8. (margin, line 1)

Quidsi † ergo reus petat venerabile Sacramentum Eucharistiæ, estne ipsi hoc largiendum? In multis locis hoc non seruatur, quemadmodum testatur Iulius Clarus *loc. cit. n. 3.* præsertim verò ibi, vbi propter delicta inualescentia malefactores in flagranti crimine deprehensi, sine longo ordine iudicii, mox ad executionem abripiuntur, & in vestigio, quo comprehensi sunt, sine lux & crux statim palo affiguntur, vel de columna suspenduntur. Verùm Carolvs Imp. † in præsenti articulo nostro expressè contrarium decidit, videlicet, si reus cupiat fieri particeps SS. Eucharistiæ, nequaquam hoc ipsi denegandum, sed omninò ei hoc officium pietatis præstandum esse. Id ipsum † expressè definitum est in iure canonico. *c. quæsitum. 30 caus. 13. q. 2. c. 2. ext. de furt.* quod etiam passim in Imperio Romano obseruatur, & in iure nostro Bauarico, in der Malefitz Proceß Ordnung / *tit. 6. art. 3.* præcipitur. Rectè tamen † monet Iul. Clar. *loc. cit. n. 3.* malefactores non debere eo die, quo communicant, vltimo supplicio affici, idque propter sanctissimi Sacramenti reuerentiam.

Ad Versic: Man soll auch.

15. IN hoc † Versic: monet Imp. magistratus locorum, vt etiam post confessionem viros tales ad reum mittant, qui eum ad res pias hortentur, qui animum ipsius ad contritionem permoueant, ad misericordiam diuinam accendant, satisfactionem corporali pœnâ persuadeant, qui rei pectus sacrâ admonitione, & piis verbis emolliant, *Damhaud. dict. c.* 150. *n.* 3. qui consternatam illius conscientiam diuinis solatiis erigant, corroborent, & confortent, nec nō de Christi saluatoris nostri erga resipiscentes clementia abundè instruant, *Remus hic & Iul. Clarus loc. cit.*
16. *q.* 99. *n.* 1. Quemadmodum † laudabili consuetudine multorum locorum, præsertim Italiæ, & Burgundiæ receptum est, quod mittantur vel duo religiosi alicuius approbatæ religionis, vel duo sodales alicuius congregationis (præsertim ii, quos fratres misericordiæ appellant) qui toto tempore stent cum ipso reo, & hortentur eum ad patientiam, & ad bene moriendum, qui proinde illi statuam Christi crucifixi in manus dant, & ad eiusdem Christi Domini acerbam, atq; ignominiosam passionē, & mortem assiduè erigunt, animam ad felicem statum emigraturam præparant, & Christo Domino lucrifacere contendunt, adeo vt ipsum reum non deserant prius, quàm mortis suppliciū vita persoluerit, Damhaud. *loc. cit. n.* 3. Hippol. *loc. cit. n.* 52. vbi Rationem talem reddit: vt si reus perdat corpus, non tamen perdat animam. Confer. *artic.* 102.

Ad Versic: Vnd jhm in dem außführen.

17. IN quibusdam † locis etiam hoc seruatur, vt rei triduo ante executionem lautius non nihil in cibo & potu tractentur, imò alicubi cœna ipsis paretur, quam Hippolyt. *loc. sup. cit.* cœnam asperissimam, calamitatis, doloris, & cruciatus appellat. Alibi non quidem magna cœna, vel conuiuium instruitur, reo tamen permittitur eligere, & petere, cibos, sibi & gustui suo maxi-
18. mè desideratos. Vbique † fere in Germania, præsertim in maioribus ciuitatibus hoc obseruatur, vt reo ad supplicium ducendo porrigatur haustus vini generosioris, v. g. valletellini, aut

Maluatici.

maluatici. Ratio: † non vt mergat, ſed vt curas nonnihil de- 19.
primat. *Zierizius h.* vinum enim cor hominis lætificat, & mœrori
medetur. Sed † ſicuti vſus facile in abuſum tranſit, ita factum 20.
eſt, vt in quibuſdam locis reum longo vini potu ad ebrietatem
pene afficerent, quò minus ſentiret mortis imminentis pauorem
& memoriam, *Dambaud. n. 5.* alibi reis, ad ſupplicium exeunti-
bus, vinum cum grano thuris exhiberent, quo epoto ſibi non con-
ſtaret mente, *Zierizius hic.* Sed † hos, & ſimiles abuſus ſuſtulit 21.
Carolus Imp. in præſenti Verſ. noſtro, & caueri juſſit, ne reus
mortis meditationibus occupatus, cibo potúue ita oneretur, vt
rationis vſus impediatur. Ratio † ſecundum Remum: quia ra- 22.
tio obruta non modò non pietati, ſed ne quidem vitæ huius mu-
nijs ritè vacare poteſt, Et, vt ex S. Auguſtino bene recitat
Bernhard. Zierizius hic: ebrioſus, ſi vinum ſorbet, ab ipſo abſor-
betur: Deo fit abominabilis, ab Angelis deſpicitur, ab homini-
bus deridetur, & à dæmonibus confunditur. Confer Summam
cap. 9. num. 8.

De conuocatione aſſeſſorum ad capitale iudicium.

ARTICVLVS LXXX.

SVMMARIA.

1. *Iudices & aſſeſſores ad capitale judicium conuocandi?*
2. *Iuxta morem receptum.*
3. *Vel per ſignum campanæ, vel per apparitores.* 4.
5. *Omnes conuocandi, qui ſunt de corpore judicij, & qui de jure vel conſuetudine intereſſe ſolent.* 6. *Et quare?* 7.
8. *Vno tamen vel altero legitimè impedito, reliqui nihilominus progredi poſſunt.* 9.

Qværitvr † in hoc articulo: quomodo, qua forma & ſo- 1.
lennitate judices maleficiorum, eorumque aſſeſſores &
officiales, ad cauſam capitalem decidendam conuocari
debeant? ad quod Reſpondet † Imp. quod illa conuocatio fieri 2.
debeat juxta morem quouis loco receptum. Ratio: quia ſty-
lus

Ius & consuetudo curiarum pro lege habetur, argt. *L. vlt. in f. C. de injur. § vlt. inst. de satisd.* & id, quod fieri solet, fieri debet, & si non fit, injustè fit, *text. & gl. in L. edictum v. solet. ff. de judic. Vantius de nullit. rub. de nullitate ex defectu citationis. num. 75.*
3. Si ergo conuocatio † ista per signum campanæ fieri consueuit, illa pulsanda est; si per viatores & apparitores, illi ad ædes assessorum sunt mittendi, præsertim in ijs locis, vbi tam longè sunt dissiti, vt sonum campanæ nō omnes percipere possint: si vtrum-
4. que fieri solitum est, vtrumque seruari debet. Ratio: quia † nihil facile mutandum de solemnibus. *L. & si 183. ff. de R. I.* Hoc
5. rectè notant Dd. quod † conuocandi sint omnes, qui sunt de corpore judicij, v. g. judex, assessores, actuarius, scribæ, & qui de
6. jure vel consuetudine cuiusque loci interesse solent. Ratio: quia † si sententia ferretur ab vno solo judice, absque consensu aliorum suorum conjudicum, ex defectu jurisdictionis sententia foret nulla, *argt. L. duo ex tribus. 39. ff. de re judicata. L. cum*
7. *magistratus. C. quando prouoc. non est neces.* Ratio rationis: quia † quando pluribus aut vniuersis simul concessa fuit potestas, ex quo omnes simul repræsentant vnum, illorum officium censetur indiuiduum, & propterea vnus sine alio sententiam ferre non potest, Seb. Vantius *de nullit. sent. ex defect. jurisd. n. 175. cum seqq.*
8. Interim † tamen, si vnus vel alter ex assessoribus legitimè vocatus propter justum aliquod impedimentum abfuerit, reliqui nihilominus in judicando pergere, & sententiam ferre possunt: ad eum fere modum, quo omnes illi, qui jus eligendi habent, ad electionem vocandi sunt, ita vt si quispiam ex ijs præteritus fuerit, infirmare electionem possit: si autem propter justam aliquam causam emaneant, reliqui nihilominus eligere possint, vide Canis. *in sua Summa. lib. 1. tit. 11. quæst. absentes quando vocandi,*
9. *cum seq.* Ratio: quia † concedendum est aliquid occupationibus hominum, & justis impedimentis, *VVesenb. in parat. ff. in jus vocati, vt eant, &c.* Quæ autem sint justa impedimenta, vide apud Myns. *cent. 4. obs. 57. n. 6.* & *cent. 3. obs. 92. n. 1. & 4.* confer Summam. *cap. 9. num. 9.*

De

De consultatione Iudicum ante diem ferendæ sententiæ.

ARTICVLVS LXXXI.

SVMMARIA.

1. *Consultationis modus ante diem ferendæ sententiæ.*
2. *Cur acta produci & recitari debeant?*
3. *An etiam tunc, si nimis longa sint, & inutilia contineant?*
4. *Reorum confessiones, & depositiones testium verbis formalibus legendæ. & quare? n 5.*
6. *In dubio melius est superfluũ admittere, quàm necessarium omittere.*
7. *An expediat semper compendiosas relationes facere?*
8. *Relatione vel actorum recitatione facta, quomodo judices inter se debeant conferre? & causam examinare? 9.*
10. *Si dubitent, quam sententiam ferre debeant, consilium ICtorum exquirere, & cuius sumptibus? 11.*
12. *Si quid decreuerint, sententiam cæteris actis adscribere debent. 13. 14. 15. vt poßit subsequenti die capitali sine mora publicari. & 16.*
17. *De jure autem Bauarico reum adhuc semel audire.*

IN hoc † articulo Qværitvr, quid facere debeant assessores ante capitale judicium? ad quod Respondet, & monet Imperator judices & assessores, vt ante diem solennem judicij capitalis, vor dem entlichen rechts oder Malefitz Tag / omnia acta, eo ordine descripta, quemadmodum infra *artic.* 181. declarabitur, in medium proferri, eaque in consessu suo, & præsentia omnium recitari jubeant. Ratio est: quia † cognitio causæ sententiam & definitionem præcedere debet: atqui nisi omnia acta recitentur, judices & assessores vix de causa cognoscere possunt: quia ad examinandum reum, & formandum processum, non omnes adhiberi, sed plerumque duo vel tres deputari solent, qui acta & actitata, (præsertim quando dubium aliquod occurrit, vel grauitas aut difficultas rei ipsos subsistere facit,) postea ad senatum referant. Proinde multi sunt, præsertim in municipijs, qui vel nunquam adhibiti fuerunt, sed jus tantùm dicendæ senten-

(margin numbers beside the paragraph: 1. at line 1; 2. at "Ratio est" line)

tiæ, & assidendi in vltimo capitali iudicio habent, qui vel nihil, vel parum sciunt: vel quia processus aliquando in multos menses protrahitur, memoria lapsi non exactā amplius rerum notitiam habent. Proinde † tunc valde vtile, imò necessarium est, vt illi, qui nullam prorsus adhuc notitiam habent, in facto prius informentur, reliquis autem acta & actitata in memoriam reuocentur. Quò facit textus *in can: summopere. 70. caus.* 11. *q. 3.* vbi Gregor. Pontifex summopere præcauere jubet eos, qui publica judicia exercent, vt in dictandis sententijs nullatenus leuitate, aut furore ducti, sint præcipites, sed causis prius diligenter ventilatis, cum res, quæ ignorabatur, pleniter ad notitiam venerit, tunc diuina & humana lex resoluatur, & tunc secundum quod ibi constitutum est, remota personarum acceptione, definitiua proferatur.

Hoc tamen quod de recitatione actorum dictum est, Li-
3. mitandvm † puto, nisi illa sint longiora, quæ multa inutilia, vel scitu minimè necessaria contineant, tunc enim, quia sine jactura temporis, & neglectu aliorum negotiorum, legi non possunt, sufficit, si ab vno vel duobus viris prudentibus ad hoc deputatis
4. in compendio referantur. Exceptis † reorum confessionibus, & testium depositionibus, quorum verba formalia legi & recitari
5. conuenit. Ratio † est: quia Imperator in superioribus articulis actuarios & notarios sæpe monuit, vt ipsa rerum & testium verba diligenter consignent, (idque propterea, vt ibidem indicauimus, quia subinde judices vno solo verbo, vel ad mitiorem, vel ad grauiorem pœnam inferendam commouentur) frustra autem ea ita consignata essent, si liceret Referenti postea alijs verbis rei seriem enarrare.

6. In dubio † autem, & quando hærent, quænam ex actis legi, & recitari, vel referri debeant, securius est superfluum admittere, quam necessarium omittere, vide *Gail. 1. obs. 81. num. 9.*
7. Qua † in re culpandi sunt meritò judices illi, qui longiusculas relationes cum indignatione & fastidio audiunt, & nisi omnia quàm breuissimè, & in compendio referantur, Referentibus aliquando succensent, cum tamen judicem cuncta rimari oporteat, & ordinem rerum plena inquisitione discutere, non ad ferendas senten-

ſententias properare, *c. judicantem.* 11. *cauſ. 30. q. 5. L. judices. 9. cum auth. ſeq C. de judic. Gail.* 1. *obſ. 108. n. 5.* Confer cum his *art.* 92. & Summam. *cap.* 9. *num.* 4.

Ad Verſic: Darauff.

QVÆRITVR † in hoc Verſic: quid poſt recitationem vel relationē actorum judices & aſſeſſores facere debeant? ad hoc 8
Reſpondet Imp. quod debeant poſtea inter ſe conferre, conſultationem inſtituere, accuratè omnia ponderare, tandē deliberatione habitâ, & diligenti collatione factâ, ponderatiſque omnibus momentis, & circumſtantijs concludere, quomodo velint in cauſa pronunciare. Ratio: quia † in omnibus judicijs, etiam 9.
ciuilibus, & pecuniarijs, prima pars eſt conſultatio, inquiſitio, & examinatio cauſæ, altera verò ſententia, ſeu definitio. Ergo multò magis in criminalibus, in quibus ſententia feſtinari non debet, *L.* 1. *C. de requir. reis*, neque reus præcipiti perſuaſione condemnari, *L.* 6. §. *f. C. de mod. mulct.*

Ad Verſic: Vnd wo ſie.

QVid ſi † autem judices & aſſeſſores dubitent, quam ſententiam ferre debeant? ad hoc Reſpondet Imp. quòd tunc 10.
conſilium Iuriſconſultorum exquirere debeant, prout infra in fine huius conſtitutionis criminalis *art.* 150. pluribus ſignificabitur. Ratio: quia † Peritiores conſulendi, ſi quis jus, vel juris 11.
intelligentiam ignoret. *L. regula* 9. §. *ſed facti.* 2. *cum* §. *ſeq. ff. de jur. & fact. ign. L. in bonorum.* 10. *ff. de bon. poſſeſſ.* & quidem ICti, quia peritis in arte credendum, *c.* 3. §. *ſcire.* 2. *v. quod autē. Nou. de non alien. aut permut. reb. Eccleſ.* cuius autem ſumptibus, vide inf. *art.* 220. Confer jus Bauaric. *tit.* 6. *art.* 2. *& tit.* 1. *art.* 2. vbi cauetur: ſi dicaſterium aulicum, vel regimen ducale pro grauitate negotij officialibus mandent, quòd ſi definitio cauſæ ipſis videatur nimis difficilis, conſilium Iuriſperitorum exquirere poſſint, tunc latrunculator, vel quæſtionum capitalium judex, der Bannrichter conſultationem iſtam ſine ſuo ſumptu facere poſſit, ſin autem hoc mandato non inſeratur, tunc ſuis ſumptibus peritiores conſulere debeat, confer Summam, *c. fin. n.* 21.

Ad Versic: Vnd alßdann.

12. QVid si † autem ante vel post requisitionem & cõsultationem peritorum judices & assessores aliquid decreuerint, quid tunc
13. amplius faciendum? ad hoc † Resp. quod curare debeant sententiam cæteris actis adscribi, ea forma & modo, qui infra *art.* 190.
14. ostendetur. Ratio † prima est ista: quia si cætera acta judicij diligenter annotari & consignari debent, vtique etiam senten-
15. tia, quæ præcipua pars actorum est, non omittetur. Ratio † alia potest desumi ex textu: vt postea ista sententia sequenti die capitali, auff dem entlichen Rechts Tag possit sine vlla mora
16. publicari. Dies † enim ille pro solennitate magis, & vltimo complemento iudicij capitalis, quàm pro præparatorijs & reliquis iudicialibus actibus est designatus. Ergo necesse est, vt iudices & assessores sibi viam ad ipsam capitalem sententiam illo
17. die ferendam iam ante munierint. Postquam † autem sententia concepta est, jubetur in iure Bauarico reus in conclaue lictorum deduci, ei confessiones & depositiones prælegi, isq; interrogari, vtrum adhuc in ijs perseueret? & si perseuerauerit, dies capitalis denunciari. Si autem confessionẽ reuocaret, tunc vlterius procedi iuxta ea, quæ supra *artic.* 57. de reuocatione confessionis, & in Summa *c.* 6. *n.* 24. *&. seqq.* dicta fuerunt.

De solẽmni Iudicum consessu, & signo dando.

ARTICVLVS LXXXII.

SVMMARIA.

1. Quibus solennitatibus judicium capitale peragendum?
2. Cur signum detur, vel tuba infletur? 3. 4. 5.
6. Cur ad consuetum locum judicij conuenire judices & assessores debeant? & 7.
8. Cur judex cum assessoribus suis debeat considere. num 9. & 10.
11. Cur judex bacillum, gladiũ, vel sceptrum portet. 12. 13. & præsidere debeat, donec omnia fuerint peracta.

QVÆ-

Quaeritur † in hoc & seqq. articulis, quibus solennitatibus 1.
capitale iudicium sit peragendum, & quid in illo solenni
die capitali sit faciendum? ad hoc Respondet † Imp. 2.
cùm hora consueta aduenerit, signum esse dandum, vel sonitu campanæ, vel inflatione tubæ. In multis enim locis campanæ habentur, quæ ad hos vsus singulariter reseruantur, *Zierizius h.* alibi autem, (quemadmodum Dolæ in Burgundia) terribilis tuba inflatur. Ratio † vtriusque est, tum vt iudices ad locum iu- 3.
dicij consuetum se conferant, tum verò, vt populus hac ratione congregetur. Nam teste eodem Zierizio antiqua consuetudo est, & ante seculum fuit, ad grauioris alicuius rei motum conuocare populum per sonitum campanæ. Ratio † alia tam huius, 4.
quàm reliquarum solennitatum est hæc, vt ea ratione populo incutiatur aliquis terror, tum ad assistendum maiori cum reuerentia huic iudicio, & ad audiendum recitari sententiam, tum verò ad cauendum sibi à talibus delictis, & à tam infami supplicio. Sic enim † ipse dominus Deus in veteri testamento cum 5.
arduum quid peragere voluit, extrinsecis talibus ceremonijs vsus fuit, quemadmodum legimus *Exodi c. 19. v. 13. & v. 16.* quod cum mandata & præcepta populo daturus esset, omnes ad clangorem buccinæ circa montem Sinai comparere certo die voluerit, ita vt clangor buccinæ vehementius perstreperet, quo audito timuit omnis populus qui erat in castris. Nam exteriora ista mouent animum & interiora.

Ad Versic: Vnd sollen sich. 6.

Audito signo tubæ, vel campanæ, judex & assessores se ad consuetum & solitum judicij locum conferre debent. Ratio: quia sententia nulla est, si in loco minimè consueto dicta fuerit, per *L. si cum dies §. si arbiter ff. de recept. Clem. pastoralis. de sent & re judic. L. cum sententiam C. de sent. & interloc.* 7.
omn. jud. Ratio rationis: quia cum sententia dicitur, jus dicitur, is autem locus jus dicitur, vbi prætor salua maiestate Imperij sui, saluoque more maiorum jus dicere constituit *L. 11. ff. de I. & I.* vide Oldendorp. *class. 1. act. 12. in def. rei n. 24.*

Ad Versic: Vnd soll der Richter.

8. POstquam † judex & assessores in prætorio, seu curia, vel in alio quouis iudicij loco congregati fuerint, iubebit iudex as-
9. sessores suos considere, ipseq; simul assidebit. Ratio: non † vt sapientes fiant, iuxta illud Aristotelis: anima sedendo fit sapiens, sed vt sapientiam, quam in scrinio pectoris sui gerunt, depromant, vota sua dicant, & sententiam ferant.

10. Ratio † rationis: quia sententia debet pronunciari, non à judice prodeunte, sed eo pro tribunali sedente, *L. 2. §. dies bonorum possessionis ff. quis ord. in bon. poss. seru. L. quisquis in f. C. de postulando. L. 1. C. de off. jud. L. à procedente C. de alienat. c. vlt. de sent. & re iudic. lib. 6 c. sedebunt 3. Nouell. de judicibus.* Oldend. *class. 1. act. 12. in defens. rei n. 24.*

Ad Versic: Vnd soll der Richter.

11. SEdebit † autem iudex, vel iudicij præses, seu prætor portando vel tenendo in manibus bacillum, vel gladium euaginatum, vel sceptrum, pro more cuiusuis regionis, & præsidebit iudicio tamdiu, donec omnia rite & legitimè fuerint peracta &
12. transacta. Ratio † prioris, vt debitam præ se ferat auctoritatem, & vt hoc ipso ostendat, se jus gladij, vel iurisdictionem habere.
13. Ratio † posterioris: quia nihil actum esse creditur, dum aliquid agendum superest, *L. 11. in f. C. de his, quibus vt indign.* Confer Summam *c. 9. n. 11.*

Vt iudices constitutiones has CAROLI *V. in iudicio præsentes habeant, & ex ijs partes instruant.*

ARTICVLVS LXXXIII.

SVMMARIA.

1. Iudices in judicijs publicis Carolinam ante oculos habere debent. 2. 3. tanquam normam & regulam.

4. Sicuti patres Concilij Nicani sacram scripturam.

5. Cur Iustinianus voluerit S. Scripturã in judicijs reponi. 6. & 7.

8. Cur

8. Cur in curijs tribunal Christi reperiatur depictum?
9. Editio Carolinæ constitutionis cur partibus facienda? & 10. 11. an hodie necessaria?

IN hoc † articulo mandat Imperator noster, vt iudices & assessores in omnibus publicorum iudiciorum causis, & in omnibus iudicij partibus, & actibus, hanc criminalem sanctioné præsentem, & ante oculos sibi propositam habeant, & dum iudicant, diligenter versent. 1. Ratio † duplex assignatur in textu: 2. tum vt ipsi, dum iudicant, eam religiosè obseruent, in rebus dubijs ad eam recurrant, agendi modum inde accipiant, & nihil diuersum ab istis constitutionibus dicant, vel faciant. Tum vt partibus, ad earum petitionem & instantiam, informationem aliquam præbeant, ne ex ignorantia discrimen aut periculum incurrant.

Quantum † ad primum attinet, voluit Carolus Imp. vt 3. hæc constitutio esset norma & regula iudiciorum criminalium: sicut ergo architectus in toto opere suo frequenter regulam adhibet, ne à linea directionis alienet: ita quoque iudices frequenter ad hanc constitutionem recurrere, & omnes actiones suas secundum illam regulare, instituere, & conformare debent.

Ratio alia, † cur constitutiones istæ producendæ sint, desu- 4. mi potest ex processu Constantini Magni, qui cum in Concilio Nicæno, à trecentis & octodecim Patribus celebrato, condemnare vellet Arrium hæresiarcham, iussit proferri sacra biblia, è quibus condemnaretur, propterea quod Euangelici & Apostolici illi libri, & sanctiones antiquorum Prophetarum nos erudirent, quid, & quomodo de rebus sacris sentire debeamus, *vide Gilhaus. Remum & Zierizium h.* Simile † quid habetur *in L.* 5. 14. *C. de judicijs,* vbi Imp. Iustinianus voluit, vt omnes iudices, siue maiores, siue minores, non aliter litium primordium accipiant, nisi prius ante sedem iudicialem sacrosanctæ deponantur Scripturæ, & hæ permaneant non solum in primordio litis, sed etiam in omnibus cognitionibus, vsque ad ipsum terminum, & definitiuæ sententiæ recitationem. Rationem † asignat ipse in 6. textu; sic etenim attendentes ad sacrosanctas Scripturas, & Dei præsentia consecrati ex maiore præsidio lites diriment, scituri,

quod

quod non magis alios iudicant, quàm ipsi iudicantur, cum etiam ipsis magis, quàm partibus terribile iudicium est. Si quidem litigatores sub hominibus, ipsi autem DEO inspectore adhibito
7. causas proferunt trutinandas. Quasi † diceret: dum iudices collocatis ante se sacrosanctis Euangeliis iudicant, quasi in conspectu DEI iudicantes maiori cum studio, & cum timore DEI iudicabunt: ita quoque, si iudices criminales propositis sibi constitutionibus Cæsareis iudicant, quasi in conspectu & timore Cæsaris iudicantes nihil facile contra præscriptum suarum
8. legum agent, vel iniuriam cuiquam inferent. Quæ † ipsa causa est, cur passim in curiis depictum habeatur extremum Domini DEI, & vniuersale illud super genus humanum iudicium, vt intuitu illius iudices admoneantur, sic iudicare, vt ipsi aliquando à iusto iudice iudicandi.

9. Quantum † ad secundum attinet, vt videlicet partibus ea capita, siue isti articuli huius constitutionis criminalis, quos putauerint sibi necessarios, vel proficuos esse, pro tolerabili pretio descripti communicentur, hanc Rationem habet, quia sicuti acta (quæ vtrique parti sunt communia, *arg. L. 1. in pr. ff. de edendo*) omnibus quorum interest, sunt edenda, *VVes. n. 12. ff. d. T. per L. 2. C. eod.* ita multò magis iura publicè promulgata & proposita.
10. Ratio † rationis: quia publicorum vsus communis est, & sine iniuria nemini negandus, *Dd. ad §. 1. & 2. inst. de rer. diuis.* & constitutiones sui natura sunt vniuersales, ita vt ad omnes pertine-
11. ant, *L. 1. L. 8. ff. de LL. VVes. n. 4. ff. eod.* Quamuis † hodie ista editio, & copiarum communicatio non adeo sit necessaria, postquam constitutiones istæ Carolinæ publicis typis commissæ, in omnium fere manibus versantur. Confer Summam *c. 9. n. 7.*

De

De interrogatione iudicis, vtrum iudicium rectè constitutum sit.

ARTICVLVS LXXXIV.

SVMMARIA.

1. *Confessu solenniter facto judex assessores interrogare debet, vtrum judicium rectè sit constitutum.*
2.3. *Formula interrogandi. 4. ratio. 5. & 6.*
7. *Alia interrogatio proponi solita.*
8. *Iustus numerus assessorum censetur, si septem vel octo idonei adsint. 9. 10.*
11. *Responsio assessorum. & 12.*

IN hoc † articulo iniungit Imperator judici criminali, vt post 1.
confessum solenniter factum, interroget singulos assessores
de iudicio rectè constituto, & vtrum sit sufficiens judicantium
numerus, quod solet fieri his, vel similibus † verbis: Herr 2.
Semproni ich frage euch bey ewerm Gewissen vnd Ayd / damit ihr Burgermaister vnd Rath / vnd einem Gericht zugethan seyt / ob das Gericht mit euch / vnnd mir zu peynlicher Handlung vber Leib vnnd Leben zuvrtheilen / nach Außweysung Kayser Carls / vnd deß H. Römischen Reichs Ordnung / wol vnd gnugsamb besetzt seye? Breuius † hanc formulam concipit Georgius 3.
Remus verbis latinis sic conceptis: Semproni ex te scire, & cognoscere jura me volunt, justúmne & sufficientem hunc assessorum, qui adsunt, numerum esse, à quo capitalis in Caium sententia feratur, ex animo credas? Ratio † huius quæstionis est ista: 4.
quia sæpissimè contingere solet, vt assessores formident super vita & sanguine judicare, ac proinde se judicio capitali, varia impedimenta causantes, subducant, quod fieri & permitti non debet. Ratio † rationis, quia firmius reputatur judicium plu- 5.
rium, quàm paucorum, & integrum censetur judicium, quod plurimorum sententijs confirmatur, *c. prudentiam. 21. in pr. ext. de off. & potest. jud. deleg. Gail. 1. obs. 33. n. 2. L. humanum. 8. C. de LL.* Plurium fidei rectius committitur judicium, quam paucorum, *arg. eorum, quæ tradit VVesenb. n. 5. ff. quod cuiusq; vniuers.*

Duo oculi plus vident vno. 6. Ratio † alia huius quæſtionis pote-
teſt eſſe iſta: quia aliquando judicio ſe tales adjungunt, qui potius abeſſe deberent, v. g. ipſius rei amici, vel inimici, cognati, vel affines, qui ipſum ſuo voto à ſupplicio liberare, vel periculo capitis ſubijcere ſatagunt, de quo ſi conſtiterit vni vel alteri ex
7. aſſeſſoribus, illud indicare tenetur. Quæ † cauſa eſt, cur in bene conſtitutis iudicijs, ſoleat adhuc alia quæſtio formari, & quidem talis: Ob keiner vnder dem Gericht/ dem Miſſenthäter mit Blut oder anderer Freündtſchafft nit verwandt / oder zugethan ſeye/ſolches anzuzaigen bey dem Ayd. hoc eſt, an nullus ex aſſeſſoribus reo ſanguine, vel alia neceſſitudine conjunctus ſit? Ratio: quia judicia ſine ſuſpicione procedere debeat.

Ad Verſic: Wo dann.

8. QVandoquidem † aſſeſſores ſuper iuſto numero interrogantur, QVÆRITVR nunc vlterius: quis ergo iuſtus & ſufficiens dicatur aſſeſſorum numerus? Ad hoc Reſpondet Imp. † quod ſi
9. non minus ſeptem vel octo adſint. Ratio huius numeri, cum juris conſtituti ſit, vix poteſt dari. Nihilominus † poſſumus ra-
10. tionabiliter ita diſcurrere, cum in omni fere judicio ſint duo duumuiri, & decem decuriones, facile poteſt contingere, vt quatuor vel quinque ex illis vel impediti ſint valetudine aduerſa, alijſque juſtis cauſis: vel propter ſanguinis coniunctionem, affinitatem, & alias cauſas inhabiles; item vt vnus ex illis juxta diſpoſitionem articuli 88. detur reo pro defenſore, & alius conſtituatur pro accuſatore. Quo in caſu numerus eorum quidem decreſcit, veruntamen facile adhuc æquitas & iuſtitia inuenietur, quæ à ſeptem vel octo iudicantibus quæritur, *argt. eorum quæ tradit Gail 1. obſ. 33. n. 3*

Ad Verſic: Soll jeder.

11. QVia † interrogationem reſponſio ſubſequi debet, ideo in hoc Verſic: oſtendit Imp. quomodo aſſeſſores ſuper iudicio rectè conſtituto interrogati reſpondere debeant, nimirum his vel ſimilibus verbis: Herr Richter ich erkenne auff meinen Ayd / daß das Gericht mit euch vnd vns nach lautt Kayſ: Carls deß Fünfften/

ten/ vnd deß H. Reichs Ordnung zu richten vber Leib vnd Leben genugsamb besetzt seye. Latinis † verbis id reddit Georg. Remus 12.
hoc modo: Clarissime judex, hoc iudicium, vt nuncupasti, quo de crimine Caij vltimo supplicio coërcendo agitur, ad præscriptum CAROLI V. Imp. & Sacri Rom. Imp. ordinationem rectè consideri, & celebrari iudico. Confer Summam *c. 9. n. 12.*

De Reo ante executionem in conspectu populi publicè sistendo.

ARTICVLVS LXXXV.

SVMMARIA.

1. Consuetudo de reo in conspectu populi sistendo.
2. An valeat? 3. Ratio dubitandi.
4. Responsio affirmatiua, & ratio.
5. An decapitati rectè in patibulo suspendantur.
6. An propter vnum delictum diuersæ pœnæ imponi possint?

IN quibusdam † locis consuetudine receptum est, vt reus post 1.
sententiam vltimi supplicij contra ipsum latam, vel saltem in iudicio conceptam, in foro, vel alio loco publico, aliquamdiu publicè producatur, & vel compedibus vinctus, vel numellis collo inserto sistatur, ideo QVÆRITVR † in hoc articulo: vtrum ta- 2.
lis consuetudo valeat, nec ne? Ratio † dubitandi est ista: quia 3.
imponere aliquem numellis, vel infami columnæ, per se est pœna, vt infra audiemus; nemo autem multiplici pœna propter idem delictum est afficiendus, *L. 14. ff. de accusat. c. & si clerici 4. §. f. inf. ext. de judic. VVesenb. n. 11 ff. de iniur.* Verùm hac † ratione 4.
dubitandi non obstante Imp. definit valere talem consuetudinem. Ratio est: quia ista productio & exhibitio fit tantum ad ipsius rei infamiam & ignominiam, quæ aliàs damnatum plerumque sequi solet, vt ita noua & distincta pœna non sit, sed tantum sequela alterius mox subsequentis. Eadem † de causa 5.
Dolæ in Burgundia receptum est, vt decapitati postea in patibulo sub axillis & brachijs aliquamdiu suspendantur, non vt illa suspensio iam defuncto cedat in pœnam, sed ipsi partim in ignominiam, alijs verò transeuntibus & spectantibus ad exemplum &

6. rorem. Accedit, † quod subinde propter vnum & idem delictum diuersę pœnę imponantur, quando vna nõ videtur esse sufficiens, vt quando mulieribus propter infanticidium amputatur prius manus, postea caput. vide Iul. Clar. §. *f. q. 99. n. f.*

De Reo in iudicio sistendo.

ARTICVLVS LXXXVI.

SVMMARIA.

1. Reus cur in judicio sistendus? num. 2. 3. & quidem ligatus. num. 4. 5. & 6.

1. POstquam † solennitates prædictæ, & hactenus ordine enumeratæ fuerunt adhibitæ, jubebit iudex reum per carnifices
2. & lictores ligatum in iudicio sisti. Ratio † desumi potest ex traditis Hippolyti de Marsilijs §. *quoniam n. 52.* vt possit contra ipsum ferri sententia condemnatoria, quam pati debet secundum
3. formam iuris & statutorum. Ratio rationis: quia † absens iudicari & damnari non potest, *L. absentem 5. ff. de pœnis L. absentem 9. C. de accusat.* & sententia contra absentem lata est nulla,
4. *vide Gail 1. obs. 109.* Ratio † autem, cur reus ligatus & manibus post terga reuinctis, sit ad officiales, assessores, & iudices introducendus, redditur à Bernhardo Zierizio: ne iustitiæ administro
5. periculum immineat. Constat † enim experientia, quod subinde damnati ad vltimum supplicium ex quadam desperatione, cum moriendum sibi esse intelligerent, toti efferati adhuc ausi fuerint vel in ministros iustitiæ, vel in alios, quos obuios habue-
6. runt, inuolare, illos lædere & trucidare. Imò † legitur de vno latrone, quod iam rotæ innexus causam noui homicidij dederit, & sibi plurimum gratulatus fuerit, quod vnam adhuc cædem, quæ sibi de numero proposito deerat, etiam moriturus commisisset.

De

De publica proclamatione rei.

ARTICVLVS LXXXVII.

SVMMARIA.

1. *Præsentis articuli obscuri variæ explicationes reprobatæ? 2. 3. 4. 5. 6. 7.*
8. *Authoris diuinatio & explicatio, quod spectatoribus per proclamationem defensio rei permittenda. 9. ratio explicationis.*
10. *Proclamatio cur non necessaria, si reus innocens repertus.*
11. *Cur accusator hanc proclamationem petere posset? 13.*
12. *Cur textus de præsentia accusatoris mentionem faciat?*
14. *An reus absolutus semper regressũ cõtra accusatorẽ habeat?*
15. *De quo accusatore Imp. loquatur?*
16. *Cur de illo, qui in solenni judicio constituitur?*

HIc articulus † satis obscurus est, & quia se ad consuetudinem refert, quæ in nostris partibus non frequentatur, vix à nobis rectè intelligi potest. 1. Nicolaus † Vigelius in 2. methodo Carolinarum constitutionum, omnia quidem capita & articulos summatim latinè reddidit, sed cum ad hunc art. 87. peruenisset, & æquè parum intellexisset, qua de re Imperator ageret, verbis illius germanicis vsus fuit, von beschreyen deß Beklagten. Ludouicus Gilhausen in annotationibus suis de diffidatione: Georgius † Remus de reorum diffamatione explicat, & 3. hunc articulum alieno, & non suo loco positum esse putat. Goblerus † apud Zierizium de ipsa publica accusatione, quæ fit co- 4. ram iudicio, hic agi persuasum sibi habet, idque non adeo malè cum præcedenti & subsequenti articulo conuenit, sed non ita bene cum verbis auff begehren deß Klägers/ & vers. Wo aber. Deinde, cum in sequenti articulo agatur, tam de solemni accusatione & defensione, non apparet, quare Imp. de illa ipsa accusatione voluerit hoc loco agere. Zierizius, † & post eum Mat- 5. thias Stephani, intelligendum putant de proclamatione ipsius carnificis contra reum, quæ in nonnullis locis ita frequentetur, vt in ipsa deductione rei ad locum supplicij, & justitiæ soleat carnifex, vel lictor, ternis vicibus accusationem suam publicè quadam

6. dam proclamatione instituere. Verùm ego † non video, quid accusatione carnificis sit opus, postquam reus à judice per sententiam iam fuit condemnatus. Nam lecta sententia conuenit magis reum duci ad mortem per militem, & per familiam potestatis, vel officialis, ad locum justitiæ, & executionis deputatum, & ibi fieri executionem per ministrum justitiæ, absque aliqua dilatione, *Hippolytus de Marsil.* §. *quoniam* *n. 52.* Deinde † si
7. hæc explicatio Zierizij subsisteret, adhuc articulus iste impertinenter collocatus fuisset: quia in sequenti agitur primum de defensoribus & procuratoribus: frustra autem suscipitur defensio, post sententiam publicè latam, & reum in locum supplicij eductum, præterea huic proclamationi non bene conuenit, quod
8. Imp. in Vers. Wo aber constituit. Quare † si diuinare licet, potius ego intelligerem proclamationem istam, quæ fit reo iam in iudicium adducto. Nam in quibusdam locis moris est, (& factum esse scio apud D. Gallum, ante non multos annos,) vt quando reus coram iudice vinctus & ligatus stat, publicè proclametur, si quis adsit ex numero spectatorum, qui defensionem rei suscipere velit, quod hoc liberè facere possit. Hæc † inter-
9. pretatio conuenit cum articulo præcedenti, vbi de reo in iudicio sistendo agebatur, conuenit cum articulo sequenti, in quo de solenni accusatione, & de defensione agetur. Conuenit cum Versic: Wo aber/ vbi habetur, si reus innocens sit repertus, ita vt accusator ipse accusationem prosequi nolit, & reus nihilominus iustitiam sibi administrari petat, tunc tali proclamatione non
10. esse opus. Ratio: quia † defensore non indiget, quem innocentia manifestè defendit; & sicut accusatore non probante reus est absoluendus, *L. qui accusare. 4. C. edendo*, ita quoque eo ab accusatione desistente.

11. Hoc † solum interpretationem istam dubiam reddit, quod Imp. dicat, consuetudinem hanc tolerandam esse, vt *in præsentia*, & ad *instantiam accusatoris*, eiuscemodi proclamatio fiat. Vix enim apparet ratio, quare accusator petere velit, vt reo per publicam proclamationem defensor accerseatur, cum illa defensio
12. accusatori potius noceat, quam prosit. Verùm † quod *de præsentia* accusatoris dictum est, hanc Rationem habet, quia si vadi-

monium

monium non obeat, & eremodicio facto accusationem prosequi nolit, proclamatione & defensione non est opus, vt paulò ante explicatum fuit. Quod autem † *de petitione* accusatoris in textu nostro dicitur, vtique mirum videtur, quare ipse proclamationem rei defendendi causâ petere vellet, cùm reus defensus & absolutus regressum postea aduersus accusatorem sit habiturus. 13.
Verùm quia † regressus non semper datur, quando reus legitimis indicijs & suspicionibus fuit prægrauatus, vt vidimus supra *artic. 61.* insuper accusator suæ accusationi & causæ tam bene potest fidere, vt etiam vltrò desideret, aliquem defensioné rei suscipere, ne putetur reum indefensum periculo capitis velle subijcere, hæc nostra explicatio bene adhuc potest defendi, insuper etiam † hoc dici, Imperatorem hoc loco per accusatorem nō intelligere eum, qui in principio ad accusandum reum processit, & postea durante toto processu accusationem suam continuauit, sed eum, qui in vltimo capitali & solenni judicio, (cùm antea forte nō per viam accusationis, sed vel inquisitionis, vel denunciationis judex procedebat) ex officio pro complemento & solennitate constitutus fuit. Hic † enim instar pugilis in palæstra constituti rectè petit, vt vel prodeat aliquis defensor in medium, vel iudex ipse defensorem rei constituat, vel defensionem publicè factâ proclamatione omnibus permittat; cùm enim accusatio & defensio sint duo correlatiua, vnum absque altero vix poterit consistere. 14. 15. 16.

De procuratoribus in illo solenni & publico capitali iudicio adhibendis.

ARTICVLVS LXXXVIII.

SVMMARIA.

1. *Continuatio. 2. judicij capitalis substantiales partes.*
3. *Consuetudo locorum, vt reus in publico accusetur, defendatur, & condemnetur. 4. an tolerabilis?*
5. *Cur de jure Bauarico sublata? & quid aliud inductum?*
6. *Cur à Carolo Imp. tolerata?*
7. 8. *Vtrum procurator vel orator partibus ad hunc actum concedendus? 10.*
9. *An procurator in criminalibus interuenire possit. 15.*

11. *Cur*

11. *Cur in isto solenni judicio pro accusatore?*
12. *Cur pro reo? & an in examine?* 13. *reo præsente.*
14. *An non potius oratores, quàm procuratores vocandi?*
16. *Quo juramento adstringendi, & quare?* 17. 26.
18. *Quid si iam ante jurati essent?*
19. *Assessor, qui pro accusatore vel reo verba fecit, nullum in eo judicio votum amplius habet, & quare?* n. 20. 21.
22. *Orator etiam extra gremiũ assessorũ assumi potest.* 23. 24.
25. *Accusator & reus ipsi causam suam agere possunt, si volunt.*
28. *Declaratio formularum sequentium.*

1. POstquam † omnes illæ, de quibus hactenus egimus, solennitates adhibitæ fuerunt, & postquam ad judices & assessores reus fuit introductus, res in eo est, vt extremum illud judicium debita cum solennitate peragatur & compleatur. Sed
2. quia † iudicij capitalis substantiales partes videntur esse, accusatio, defensio, & sententia, in quibusdam locis vsitatum est, vt reus pro forma & complemento solennitatum in publico, bey den offentlichen Malefitz Rechten/vor offentlicher Gerichtsschrannen / in conspectu populi accusetur, defendatur, & postea à
3. judice sententia publicetur. Talem † consuetudinem vidi adhuc Bruntruti esse, & ego ipse Anno 1619. casu interueni, quando solenne illud iudicium sub dio, in publico foro celebratum, venefica quædam ad judicem & assessores adducta, & spectante magna ciuium & exterorum multitudine accusata, & tam bene defensa fuit, vt iudices sententiam suam iam ante conceptam pronunciare non auderent, sed abrupto iudicio ream iterum in antiquam suam custodiam remitterent.

4. QVÆSTIO † itaque est: an talis consuetudo valeat, nec ne? hac in re discrimen faciendum est inter ius Bauaricum, & ius Cæ-
5. sareum. De iure † Bauarico talis consuetudo est sublata, tit. 6. der Malefitz Proceß Ordnung/ *artic.* 4. idque propterea, quia ille processus ad nihil aliud seruit, quàm vt tempus perdatur, reus in suis bonis cogitationibus, quibus se ad mortem præparabat, & animum ad DEVM eleuabat, perturbetur, & quia subinde etiã auditores, quãdo publica crimina & flagitia defendebantur, scandalizati fuerunt, insuper in multis locis imperij talis publica accusa-

accusatio nunquam vsu recepta fuit, ideo constituit Serenissimus Elector noster, vt in posterû bey den offenen Malefiz Rechten nihil aliud fiat, quàm vt per actuarium facinora rei vnà cum sententia publicè legantur, à iudice bacillus frangatur, & carnifici executio demandetur. Verùm † CAROLVS V. Imperator eiusmodi consuetudinem noluit omninò tollere, motus fortassis ista 6.
Ratione: quod non facile mutandum sit aliquid ex solennitatibus. Quia autem † ista accusatio & defensio solennis publicè 7.
in conspectu totius populi fit, accusator autem, qui iam ante pendente processu contra reum in iudicio stetit, fortassis non libenter publicè compareret, vel tam eloquens non est, vt in solenni & publico illo consessu verba facere possit, multò minus reus, cui iam ante sententia fuit intimata, mortis cogitatione defixus, & tam pudore, quàm terrore consternatus, eloqui, & defensiones suas facere potest: præterea sæpe accidit, vt iudices ex officio nemine accusante processerint, ideo nunc

QVÆRITVR: † vtrum ad causam istam agendam, vel de- 8.
fendendam, procurator dandus sit, nec ne? Ratio dubitandi † 9.
est ista: quia per procuratorem neque accusatio, neque defensio in publicis iudicijs permittitur, *L. accusatores. 13. ff. de pub. jud. cum alijs juribus allegatis à Nicol. Vigelio de judic. pub. c. 2. q. 3. reg. 1. vide Jul. Clar. §. f. quæst. 32. Hippolyt. de Marsil. in pract. §. sequitur per totum.* Verùm hac dubitandi ratione non obstante 10.
Respondet Imp. quod ex vtraque parte, tam accusatoris, quam rei, procurator in hoc casu, & ad hunc actum sit dandus, & quidem si petant, vnus ex assessoribus, tanquam magis idoneus. Ratio † quoad accusatorem est: quia cum hodie pœna talionis sit 11.
sublata, indistinctè procurator ex parte accusatoris admittitur, *Gail. 1. de P. P. c. 10. n. 7. Jul. Clar. loc. cit. n. 23. & n. 3.* Ratio quoad † reum; quia licet in examine, quando respondendum est 12.
accusationi, vel inquisitioni, vel alijs interrogationibus à judice factis, procurator interuenire non possit, sed ipse reus personaliter respondere debeat per seipsum, (sine termino ad deliberandum dato, *Jul. Clar. §. fin. q. 45. n. 7.*): tamen ad alios actus causæ, puta ad opponendas exceptiones, & quædam alia in iudicio facienda, non prohibetur procurator interuenire, quando reus

ipse præsens est in iudicio, Iul. Clar. *loc. cit. n. 16.* Confer Summam *c. 7. n. 5.*
13. Cum itaque † in illo solenni, & extremo judicio, processus iam sit absolutus, & *facto* iam præsupposito fere solum de *jure* disputetur, nihil obstat, quò minus aliquis alius pro reo præsente, & in iudicio consistente verba faciat, proinde tales magis pro oratoribus, quàm procuratoribus habendi, & tam in præsenti articulo, quàm in allegata constitutione Bauarica, nostro idiomate Redner appellantur.
14. Ratio † rationis: quia ideo jura prohibent procuratorem pro reo interuenire, ne si esset condemnandus pro delicto, in aliquam pœnam corporalem, non possit fieri executio, & sic judicium reddatur elusorium, quæ causa cessat, quando reus ipse in iudicio præsens, & in manu atque potestate iudicis est, tunc enim sententia non in procuratorem, sed in ipsum reum est ferenda, & in illo ipso executioni danda, *vide Iul. Clar. l. c. n. 3. Mezger. cons. crim. 15. n. 117. lim. 2.*

15. Plura de † hac materia, & quando procurator in criminalibus admittatur, nec ne, videri possunt apud Wesenb. *n. 5. ff. de procurat.* Schneid. §. *in summa. 10. n. 10. inst. de injur.* Gailium, Iulium Clarum, & Hippolytum *locis citatis*, Harp. *ad princ. tit. inst. de his, per quos ag. poss.* Anton. Matth. *disp. 10. th. 3. cum seqq.* Anton. Gabriel. *l. 7. conclus. 9.* Thomam Mezger *cons. crim. 15. num. 117.*

Ad Versic: Dieselbe.

16. QVamuis † autem CAROLVS Imp. consuetudinem istam, de qua diximus, tolerandam, & procuratores, vel oratores, è gremio assessorum concedendos esse existimauerit: nihilominus tamen, quia sæpe fit, vt defensores reorum gloriæ aucupandæ gratiâ facinorosos & facinora tueantur, prout testatur constitutio Bauarica *loc. cit.* & dolo malo eiusmodi oratores scientes volentes jus calumnientur, personas criminentur, hocque pacto, quò minus rectè de delicto statuatur, impediant, animos iudicum peruertant, & in transuersum quouis colore
17. rapiant, *Remus h.* ideo † ad tollendum hunc abusum, statuit Imp. in hoc Versic: vt judex ipsis sub religione præstiti jam ante iuramenti iniungat, vt justitiæ & veritatis rationem habeant, eamque

eamque nullis dolis & fallacijs scienter peruertant, vel impediant, sed secundum præscriptum harum capitalium constitutionum, tam accusando, quam defendendo, procedant. Ratio petatur ex *artic 3. 4. & 5.* vbi vidimus iudices, assessores & actuarios iuramentum præstare debere, Ergo multò magis tales oratores. 18.
Ratio † autem, cur moneantur tantùm iuramenti, iam antea curiæ præstiti, est ista: quia jurato sine speciali juramento credendum, *gl. & Dd. in c. quoniam 11. v. duos viros. ext. de probat.*

Ad Versic: Doch daß derselbig.

IN hoc Versic: † mandat Imp. vt si quis ex assessoribus, vel 19.
pro accusatore, vel pro reo, tanquam procurator, vel orator, verba fecit, postea in dicenda sententia assidere amplius non permittatur, sed à voto suo in hoc iudicio excludatur. Ratio † 20.
primi: vt iudex cum reliquis assessoribus suis liberè in causa sententiam dicere possit, *Georg. Remus & Gilhaus. h.* Ratio secundi † habetur *in L. 6. C. de postulando* vbi dicitur: quod nemo pos- 21.
sit in eodem negotio esse aduocatus, & iudex, & quod aliquis inter arbitros & patronos debeat esse delectus. Similiter *in L. f. in pr. C. de assessor.* prohibetur quis vno eodemque tempore tam aduocatione vti, quam consiliarij & assessoris officio fungi. Et generaliter diuersis officijs quis simul fungi non potest, *L. ille 13. §. tempestiuum 4. ff. ad SC. Trebell.* neque vnus plurium personarum vicem sustinere, *L. si plures 9. ff. de pact.*

Ad Versic: Doch soll.

CVm dictum † sit tam accusatori, quam reo, procuratorem, 22.
vel Oratorem è iudicum numero concedendum, & designandum esse. QVÆSTIO † nunc est: vtrum ad hoc præcisè sint adstricti? ad quam Respondet † Imp. negatiuè, sed liberum ipsis relinquit, vel è numero assessorum, aut iudicum, vel personas 23.
alias, extra iudicium constitutas, aliunde sibi in procuratores, vel patronos eligere. Ratio: quia † quod potest fieri ex vo- 24.
luntate, non est imponendum ex necessitate, *argt. L. solent vbi Bart. in pr. ff. de off. proconsf.* electio ex numero assessorum est voluntatis, non necessitatis, in singularem partium fauorē ideo per-

missa, quia præsumuntur præ alijs magis apti, & idonei, si quis igitur magis fidat alijs, & exteros magis idoneos existimet, non est prohibendus alium assumere, ne quod in fauorem concessum est, in odium & præiudicium eius conuertatur.

25. Quid si † autem accusator & reus ipsi velint causam suam agere, & proponere, suntné illi ipsi audiendi? Imp. Respondet, quod sic. Ratio est: quia inuitus nemo cogitur causam suam alienæ fidei committere, *VVesenb. n. f. ff. si quis cantion.*

Ad Versic: Welcher aber.

26. IN hoc † Versic: mandat Imp. vt si quis sibi patronum, procuratorem, vel oratorem, extra iuratos iudicij assessores eligat, iudex ipsum prius non admittat, quam corporale iuramentum præstet, se eadem fide causam acturum, quâ patronum ex assessorum numero debere, paulò ante declaratum est. Ratio:
27. quia † tales patroni, vel oratores, similes fere sunt aduocatis: atqui aduocati & patroni causarum iurare debent, quod omni virtute sua, omniq́ue ope, quod verum & iustum existimauerint, defendere velint, & si cognouerint causam improbam, vel desperatam esse, ipsi scientes prudentes malâ conscientiâ liti patrocinari nolint, *L. rem non nouam 14. §. patroni autem 1. C. de judicijs.* Ergo tales oratores & patroni non minus jurare debent. *Confer. L. 2. in pr. & vers. postea vtriusque C. de jurei. c. cum causam. ext. de juram. calum.*

Ad Versic: Item in dem nächst.

28. QVÆRI nunc † posset, quâ formâ patroni, & oratores isti, suam accusationem, & defensionem, proponere deberent. Sed quia Imp. in seqq. articulis id separatim ostendit, ideo hoc loco pro intellectu formularum ibi positarum Notandum esse monet, vt vbi litera A posita est, ibi accusatoris nomen, vbi litera B, ibi rei nomen exprimendum: ad literam verò C. ipsum maleficium, veluti homicidium, rapina, furtum, incendium, aliudué, de quo quæstio est, delictum commemorandum sit. Hoc etiam patronos tales obseruare jubet, vt si accusatio fiat ex officio, in illa semper iuxta nomen accusatoris scribatur *accusatio ex officio magistratûs.*

Petitio siue propositio procuratoris, ex officio, vel alterius nomine accusantis.

ARTICVLVS LXXXIX.

SVMMARIA.

1. *Quâ forma debeat fieri accusatio? 4.*
2. *Accusatio alia durante, alia absoluto processu fit. 3.*
5. *Cur nomen judicis, 6. accusatoris & accusati? 7. species criminis? 8. locus & tempus? 9. 10. annus & mensis? non tamen dies, neque hora exprimi debet. 11. 12. nisi factum vno die vel hora punibile esset, alio non. 13. vel nisi reus ad sui defensionem peteret exprimi. Quid si accusator dicat se diei non recordari? Quid si diem expressum non probet.*
14. *Cur in libello accusatorio non sit opus conclusione? 15. 16.*
17. *Clausula vulgaris adijci solita.*
18. *Imp. hoc loco non de libello accusatorio agit, qui in principio processus porrigitur. 19. sed de solenni accusatione, quæ fit in solenni consessu, spectante populo.*
20. *Quibus verbis proponenda? 21.*
22. *Cur nomen judicis, locus, & tempus omittatur?*
23. *Cur non ad certam pœnam concludatur?*
24. *An hac forma præcisè seruanda? 25.*
26. *An & cur in scriptis exhiberi, & recitari poßit? 27. 28.*

QVÆRITVR † in hoc articulo: qua forma debeat fieri accusatio? vbi NOTANDVM † est, duplicem esse accusationem, vnam, quæ fit ab initio iudicij, & continuatur per totum processum, ab eo, qui ad accusandum reum, siue malefactorem procedit, vel quia ipse suam, suorumque propinquorum injuriam persequitur, vel quia disciplinam publicam saluam cupit, omnibus enim regulariter accusare permissum est, nisi speciali lege prohibeantur, *argt. L. qui accusare 8. vbi Dd ff. de accusat.* Alteram † verò, quæ fit post processum iam absolutum, in fine iudicij, in illo solenni iudicum consessu, quando reo vltimus dies capitalis est designatus, quando mox sententia, iam ante concepta, publicanda, & executioni danda est. Qua † forma prior illa accusatio fieri debeat, ostendit Paulus IC. *in L. 3. ff. de accusat.*

1.
2.
3.
4.

vbi monet, quod libellus accusationis continere debeat nomen iudicis, accusatoris, & accusati, speciem criminis, locum ac tempus, quo crimen sit commissum (non tamen diem & horam, neq; conclusionem aliquam) vide Thomam Mezger *consil. crim. 15. n.*
5. *63.* Ratio † cur nomen iudicis sit exprimendum, est hæc: vt sciatur, an iudex competens sit, nec ne, *vide Gregor. Tholos. in syn-*
6. *tag. jur. lib. 32. cap. 8. Gothof. ad d. L. 3.* Ratio † cur nomen accusatoris & accusati, redditur ab eodem Gregorio *n. 2. loc. cit.* quia nemini dubium est, actorem, reum, & iudicem legitimum constituere iudicium, sine quibus consistere nequeat. Proinde vt nouerimus, quæ sint istæ personæ, & an sint legitimæ, nomen proferri debet, & cognomen, vnde habeatur notitia earum. Ra-
7. tio † quoad speciem criminis est: quia non licet vagari in incerto cum discrimine alienæ existimationis, *L. prætor edixit. 7. in pr. ff. de iniur. L. item exigitur. 16. ff. de dolo.* & si libellus incertus in
8. causis ciuilibus non valet, multò minus in criminalibus. Ratio quoad † locum & tempus est ista: quia nisi exprimerentur, procul dubio incerta redderetur accusatio, ita vt non posset reus probando negatiuam coarctatam se aliquo modo defendere, neque si opus esset, testes, qui contra eum deponerent, de falso conuincere, Iul. Clar. §. *f. q. 12. num. 9.* vbi dicit, si accusatio criminalis ea non contineat, tunc futuram ipso iure nullam, etiamsi pars non
9. opponat, Gail. *1. obs 64. n. 9. Mezger. loc. cit.* Imò † quòd plus est tempus & locus non tantum accusationi, verum etiam omni famosæ actioni adijci debent. *arg. d. L. 3. ff. de accusat. in pr. & §. quod si libelli. Dd. ad L. edita. 3. C. de edendo Mynſ. cent. 2. obs. 32. Mezger loc. cit.* quia licet ciuiliter procedatur, dicitur tamen causa grauis, & æquiparatur criminali, ex quo apud honestos viros fama & vita æquiparantur, *id. ibid.* imò si excipiendo quis alteri crimen obijciat, *Gail. loc. cit. n. 10.* idem Mezger *loc. cit.* Ratio alia: quia delictum augent, vel minuunt, locus & tempus, *text. in L. aut facta. §. 1. cum seqq. ff. de pœn.* & varia statuuntur ex loco & tempore, *L. 1. §. meritò. 2. ff. depositi.* In hoc tamen est differentia inter accusationem, & actionem famosam ciuiliter institutam, quod in hac omissio temporis & loci non vitiet libellum, nisi opponatur à parte, *Mezg. n. 64.*

Ratio

Ratio † cur annus & mensis sit exprimendus, non tamen dies, neque hora, *d. L. 3. inf.* vix aliqua potest assignari, quam quod accusator non semper possit recordari, ac proinde leges noluerint ipsum ad aliquid impossibile, vel valde difficile adstringere, per tradita Clari *loc. cit. n.* 13. vbi † *n.* 14. putat, reum non hoc ipso absoluendum esse, si diem accusator non exprimat, vel expressum non probet, sicuti in *d. L. 3.* §. 1. rei nomen aboleri jubetur, si alia substantialia libelli omissa fuerint. Hoc tamen communiter LIMITANT † Dd. vt dies exprimendus sit, vel hora, si aliquo die, vel hora, factum esset punibile, alio non, vel mitius saltem puniendum, *Clar. loc. cit. d. n.* 14. *VVesenb. n.* 12. *ff. de accusat. Gothof. ad L. 3.* LIMITANT † SECVNDÒ: vt petente accusato debeat dies exprimi, quia forte intendit ipse ad sui defensionem probare, quod eo die fuerit in alio loco remoto à loco delicti, *argt. artic. 47. v.* Vnd man soll. *Clar. loc. cit. n. 13. Gail. 1. obs. 64. n. f. Mynf. cent. 2. obs 40. Gothof. loc. cit.* vbi Rationem reddit: quia per omissionem diei reo inferretur læsio, & auferretur defensio, *Mezer loc. cit. n. 64.* vbi tradit, si accusator dicat, se diei, quo commissum fuit delictum, non amplius recordari, standum esse eius assertioni, modò id confirmet juramento. Idem ibidem tradit, quid juris sit, si accusator diem expresserit, & non probauerit, vbi videatur. Ratio, cur † in libello accusatorio non sit conclusione opus, *teste VVesenb. n. 3. ff. de edendo, & n. 16. ff. de injur.* cum tamen semper requiratur in libello ciuili & conuentionali, ita quidem, vt conclusio libelli sit præcipuè attendenda, *VVesenb. n 3. ff. de edendo, id. n. 3. C. de precib. Imp. off. Gail. 1. obs. 61.* quia totam actionem ampliat, restringit, & moderatur, *VVesenb. n. 11. ff. de O. & A.* Ratio redditur à Iul. Clar. *loc. cit. n. 21.* quia in ciuilibus pars potest diuersis modis cöcludendo libellum cöcipere, vt diuersis etiam modis sequi possit sententia. Sed in criminalibus † ex narratione facti oritur certa juris dispositio, quæ pro eo delicto pœnam imponit, quæ ex diuersitate concludendi variari non potest, sufficit ergo, quod libellus accusationis ita concludatur: *quare peto reum puniri juxta formam juris & statutorum. Mezger n. 65.* vbi vide exemplificantem. Paulò † aliter Wesenb. *in parat. n.* 12. *ff. de accusat.* discurrit in crimi-

10. 11. 12. 13. 14. 15. 16.

nalibus

nalibus aptâ conclusione non esse opus, imò ne conclusione quidem ad certam pœnam. Nam ea jure comprehensa est, (quod tantum præstat in criminali judicio, quantum petitio agentis in ciuili) ita vt suppleri à iudice possit, qui propter eandem ratio-
17. nem aliter potest condemnare, quàm sit petitum. Plerumque † tamen solet post enarrationem facti subijci clausula illa vulgaris: super quibus omnibus & singulis peto mihi jus & justitiam administrari. Vel ex mente Remi & Stephani peti potest, vt maleficium, conuicto reo probatum, ex iustitiæ debito seuerè plectatur, & vt alij tali exemplo moti, à delinquendo deterreantur, *Gilhaus. h.*

18. De hoc † libello accusationis formando putat Vigel. *c. 5. reg. 5.* & Matth. Steph. *ad text. nost.* Imperatorem hoc loco agere. Quibus ego assentiri non possum, primò propterea: quia hic versamur non in primordio, sed in fine & exitu iudicij. Secundò: quia in hac formula neque tempus, neque locus delicti exprimitur. Tertiò: quia sese in omnibus refert ad præcedentem aliquam accusationem, ad acta iam ante discussa & ventilata, &c.
19. Necesse † est igitur, vt intelligamus hunc articulũ de ista solenni accusatione, quæ fit reo præsente, & compedito, in conspectu iudicis, assessorum, & totius populi, ab eo, qui vel à primo illo accusatore, vel à magistratu ex officio constitutus, & quandoque ex ipso gremio assessorum desumptus est, hunc enim Imp. hoc loco informat, quomodo propositionem suam, & accusationẽ
20. facere debeat, nimirum his vel similibus verbis. Domine † iudex: accusator A. id est, Antonius, Titius vel Mæuius &c. accusationem instituit contra malefactorem B. id est, Caium, Cornelium, vel alium in hoc iudicio præsentẽ, &c. ob delictum, C. id est, ob furtum, homicidium, vel latrocinium commissum, prout hæc accusatio iam ante in iudicium deducta fuit, & petit, vt omnia acta & actitata, juxta Caroli V. Imp. Sacrique Rom. Imperij ordinationẽ criminalem iam ante legitimè & sufficienter discussa, diligenter examinetis, reumque de isto maleficio conuictum, vltima sententia, quemadmodum ex debito justitiæ, & ordine judiciorum, fieri debet, condignâ pœna afficiatis.
21. Ratio † cur nomen accusatoris, accusati, & species criminis

hic

hic exprimatur, constat ex paulò ante traditis. Ratio cur nomen iudicis omittatur, & cur † locus & tempus non exprimatur, est 22. ista: quia ista accusatio, quæ fit pro forma tantum, & complemento solemnitatum, se refert ad accusationem iam ante institutam, in qua cum expressus fuerit locus & tempus, hic quoque pro expressis habebuntur. Ratio: quia relatum est in referente cum omnibus suis qualitatibus, *argt. L. Theopompus 14. ff. de dote prælegat.* pariaque sunt expresse ponere, vel per relationem, Gail *1. obs. 82. n. 16.* Ratio, cur † non concludatur ad certam pœnam, 23. similiter constat ex superioribus, vt ita frustranea repetitione hoc loco non sit opus. Illud solum

NOTANDVM est: Imperatorem † hic præscribere certam 24. aliquam formulam & modum accusandi, non ideo, quod accusator illi præcisè & verbotenus in hærere debeat, & neque plus, neque minus dicere, vel, vt loqui solemus, ne latum quidem vnguem ab ea recedere possit, sed ideo potius (sicut bene Zierizius hic animaduertit,) vt popularis hæc traditio, & quasi delineatio accuratæ inuestigationi viam aperiat. Nemo enim, nisi forensium causarum planè ignarus, nescit, multò politius ab aduocatis causarum hæc omnia proponi. Substantialibus † itaque retentis non interest, quomodo de reliquo propositio fiat Ratio: 25. quia non refert, quid ex æquipollentibus fiat, *argt. L. fideicommissa 11. §. si cui. de leg. 3.* & non est credibile, quod Imp. resuscitare voluerit formulas actionum, id est, solennitates antiquas, circa actiones iam dudum ab Impp. Constantio, Theodosio & Valentiniano sublatas, *tt. C. de formulis & impetrationibus actionum sublatis.* Sufficit itaque aptam rei, & proposito negotio competentem accusationem proponere. *argt. L. 2. C. d. T.* Eiusmodi formam vide apud Thomam Mezgerum *consil. crim. 9. n. 3.* his fere verbis conceptam: Coram vobis, Domine iudex, cæterique domini Assessores, propono contra Sempronium, qui præsens coram tribunali vestro sistitur, sequentem accusationem criminalem, dicendo: quamuis detestabile crimen incestûs omni iure, Diuino, Naturali, Positiuo, præsertim verò CAROLI V. & S. Rom: Imperij sanctione Criminali, sub grauissima pœna prohibitum; ac proinde in eos, qui se huic crimini obnoxios reddunt,

seuerissimè animaduertendum sit, multò magis, quando hoc enorme delictum à coniugatis committitur: quamuis etiam quilibet pater, iuxta præscriptum omnium Iurium, obstrictus sit, suos tam naturales, & ex se genitos liberos, quàm priuignos, ad omnem honestatem educare, ac proinde ab omni crimine vel maleficio dehortari, & delinquentes debito modo corripere: hoc tamen non obstante Sempronius, coram vobis accusatus, tam parum hoc obseruauit, vt se cum priuignâ suâ N. sæpius carnaliter commiscuerit, atque incestum commiserit. Cum autem istud scandalosum & graue delictum in exemplum aliorum minimè impunitum manere debeat, ideo à vobis, Domine Iudex, cæterique domini Assessores, instanter peto, de jure pronunciari, & declarari, quod prædictus Sempronius in hoc incestu committendo grauiter peccauerit, ac proinde juxta tenorem Imperialium constitutionum, præsertim verò juxta Carolinam condignè puniri debeat.

Ad Versic: Item wo der fürsprech.

26. QVid si † autem procurator, vel patronus, è numero & gremio assessorum, vel aliunde assumptus, tam sit imperitus, vel timidus, vt accusationem suam verbotenus proferre nolit,
27. vel non possit? quid tunc faciendum? ad hoc Respondet † Imp. quod tunc possit eam in scriptis judici offere, & ita dicere: Domine iudex, rogo & peto, vt per actuarium vestrum accusatoris petitionem ex hac scheda vobis insinuata publicè recitari, & legi curetis. Ratio: quia † mutuâ vice funguntur oratio vocalis, &
28. in scripturam redacta, & non minus valet, quod scripturâ, quam quod linguâ nuncupatur, *L. non figura 37 ff. de O. & A.* & quia judex ipse melius causam examinare, & super ea cognoscere potest, *Thom. Mezger consf. crim: 15. n. 63.*

De

Quid, & quomodo reus per defensorem suum proponere possit.

ARTICVLVS XC.

SVMMARIA.

1. Defensor rei quod discrimen in sua solenni defensione facere debeat?

2. Confessus vel conuictus non nisi clementiam implorare potest. 3 ratio. 4.

5. An aduocati reos manifestè nocentes defendere possint. & 6.

7. Reus non confessus, vel releuantibus circũstantijs munitus. quomodo defensionem suam proponere possit? 8.

9. An ad formulam hanc adstrictus sit?

10. An defensio rei inscriptis fieri possit? 11. 12. 13.

POstquam † Imp. instruxit patronum accusatorem, nunc etiam instruere cupit defensorem rei, & quidem ante omnia hoc obseruari iubet, vtrum reus delictum sibi imputatum confessus, aut de eo sufficienter conuictus fuerit: an verò nunquam confessus fuerit, vel confitendo tales rationes & causas attulerit, ob quas sperabat à pœna supplicij liberari. In primo † casu, si confessus, vel conuictus fuit, nihil aliud agere, vel petere potest, quam vt judicis clementiam imploret. Ratio: quia † in confessum, vel conuictum, nullæ aliæ sunt partes iudicis, quam condemnatio, & extrema reorum anchora est clementiæ imploratio, *Gilhaus. Remus & Zieriz. h.* Ratio alia: quia † cum rei sese suamque causam dedunt, & submittunt in gratiam Principis, aut judicis, in cuius nimirũ manu & potestate fuerit, optatam gratiam concedere, (nam regulariter loquendo iudex non nisi iustitiam administrare, & gratiam tantùm Princeps conferre potest, *vide VVesenb. n. 10. ff. de pœnis*) id faciunt tutissimè, & citra vllum sui, suæque causæ præiudicium, aut periculum, etiamsi vitæ inculpatissimæ & innocentissimi fuerint, Damhaud. *prax. crim. c. 53.* vbi suadet, vt id semper faciant. Ergò multò magis id facere possunt, & debent malefactores notorij. Quæ ipsa † causa est, cur ego soleam dicere, aduocatos, quando malefactores defendunt, etiam notoriè tales, non iniquam causam

Margin numbers: 1. (line 1), 2. , 3. , 4. , 5.

6. defendere. Ratio: quia † non iustitiam petunt, & iudicem falsis allegationibus permouere laborant, sed, vt supopno, gratiã tantum & clementiam implorant, & causas allegant, ob quas rigore iuris neglecto judex iustitiam cum benignitate temperare, & in mitiorem sententiam descendere debeat.

Ad Versic: Item wo/ cum Vers. seq.

7. IN altero † casu, quando scilicet reus nunquam confessus fuit, aut confitendo factum tales defensiones & exceptiones allegauit, quarum beneficio, vel omninò liberari, vel leui pœna se defungi posse sperat, tunc defensor propositionẽ suam oretenus
8. his vel similibus verbis facere potest: Domine † judex, Caius pro reo habitus respondet ad accusationem Titij, de homicidio, vel latrocinio, &c. contra se institutam, eo modo, quo ante hac respondit, & sufficienter in actis deductum fuit, petitque, vt tam de accusatione, quàm exceptionibus, alijsque in judicium deductis, diligenter secundum CAROLI V. Imp. & cæterorum imperij ordinum sanctionem cognoscere, & ipsum innocentiâ compertâ, per sententiam definitiuam absoluere, accusatorem verò in expensas, & omnia damna, ab accusato occasione istius processus
9. perpessa, condemnare velitis. Quæ † formula, cùm clara sit, vlteriori explicatione non indiget. Hoc solum iterum notetur, quod defensor rei ad hanc formulam non sit adstrictus, sed retento sensu verba augendo vel minuendo variare possit.

Ad Versic: Item wo. final.

10. QVÆRITVR † in hoc Versic: quidsi defensor à reo constitutus, vel impetratus, tam sit imperitus, vt præfatam formulam responsionis, & petitionis, oretenus enunciare non possit, vel tam timidus, vt proloqui non audeat, vel moris fortassis non sit, vt verbotenus proferatur, quid tunc faciendum?
11. ad quod † Respondet Imp. quod possit judici eam in scriptis of-
12. ferre, & ipsum in hunc modum compellare: Domine † judex, peto, vt rei responsionem & petitionem, in hac scheda contentam,
13. per actuarium vestrum publicè recitari curetis. Quo † facto judex recitationem actuario demandabit. Ratio prioris desumi potest ex præcedenti articulo, cui adde, quod non debeat esse de-

deterior

terior conditio rei, quàm actoris, *Gilhaus. h.* Ratio posterioris: quia justa petentibus non est denegandus assensus, *L. 2. ff. de his, qui sunt sui.*

De negatione delicti iam antea confessati.

ARTICVLVS XCI.

SVMMARIA.

1. *Si reus in vltimo ferali die confessionem ante factam reuocauerit, quid tunc fieri debeat?*
2. *Cur examinatores sub juramento de confessione audita interrogandi? 3. 4.*
5. *Quid si asseuerent se suis auribus ex ore rei confessionem audiuisse.*
6. *Cur tunc periti juris consulendi.*
7. 8. *Quid I C. facere debeat?*
9. *Quid si nullum defectum in processu deprehenderit, nec probabilis error allatus fuerit?*
10. *An ad supplicium statim trahi?*
11. *Consilium Imperatoris cur non negligendum?*
12. *Assessores, qui sub juramento de confessione deposuerunt, nō debent a sententia ferenda excludi. 13. ratio.*
14. *Quid si reus reuocet confessionem post sententiam.*

QVAERITVR † in hoc articulo: si reus in illo vltimo ferali & capitali die, in illo solenni judicio, delictum neget, quod tamen antea, durante processu, legitimè & constanter confessus erat, (eo modo, quo supra *artic. 57. & aliquot sequentibus vsque ad artic. 62.* de legitima confessione dictum est) & judex instituta diligenti exploratione circumstantiarum deprehenderit, quod illa negatio & reuocatio à reo tantùm ad pœnæ elusionem, & ad impediendam executionem facta fuerit, dardurch ein Galgenfrist zusuchen/ quid tunc facere debeat? Ad hoc † Respondet Imperator, quod tunc possit & debeat judex illos duos, (vel plures) assessores, qui vnà cum ipso examini interfuerunt, & confessionem rei audiuerunt, sub juramento interrogare, vtrum confessionem modò recitatam audiuerint, nec ne? Ratio, vt cæteris † assessoribus, qui suo voto reum cōdemnare, vel absoluere debent,

1. 2. 3.

 legiti-

4. legitimè de confeſſione conſtet. Quamuis † enim ex actis cognoſci poſſit, vel ipſis iam ante juratis, & de eo, quod ipſis ex officio faciendum incumbebat, plena fides adhibenda ſit: tamen vt nihil dubij remaneat, nihil ſuſpicionis ſuperſit, pro abundanti cautela (quæ nocere non poteſt) Imperator hanc interrogationem fieri voluit, vt ſi reus non de ipſo crimine, ſaltem de confeſſione ſit conuictus.

Ad Verſic: Vnd ſo ſie.

5. QVid ſi † ergo aſſeſſores iſti & commiſſarij aſſeuerent, ſe omninò ſuis auribus ex ore ipſius rei confeſſionem audiuiſſe, quid tunc judex facere debet? ad hoc Reſpondet Imp. quòd tunc juriſperitos conſulere (& interim reum ad carcerem reducere)
6. debeat. Ratio: quia † in dubijs & obſcuris quæſtionibus peritiores conſuli debent, vt paſſim in hac Carolina conſtitutione habetur, *art. 28. 81. 105. 133.* 146. 147. 151. 153. 160. 203. 220.
7. Quid † autem ICtus reſpondebit? in hoc ipſum Imp. non inſtruit, quia animus ipſius erat, tantùm judices & aſſeſſores informare, ICtis autem, qui iam ante inſtructi eſſe debent, ſuum
8. judicium relinquere. Mihi videtur † ICtum omnia acta diligenter examinare, atque ad hoc potiſsimum reſpicere debere, vtrum confeſsio iſta fuerit ſpontanea, vel coacta, & tormentis expreſſa; vtrum ſufficientia fuerint indicia ad capturam, & ad torturam, an iſta tortura fuerit legitimè illata, an modus debitus in ea obſeruatus, an confeſſio non fuerit fortaſsis ſuggeſtiua, an ratificata, quo temporis interuallo, quo in loco, quibus præſentibus, an verificata, an circumſtantiæ per teſtes juratos exploratæ, prout in ſuperioribus articulis hæc omnia ad longum oſtenſa, & à me in modo examinandi proceſſum compendioſè explicata
9. fuerunt. Si nullum † defectum circa proceſſum inuenerit, ad hoc attendet, vtrum reus probabilem aliquem errorem ſuæ confeſſionis attulerit, nec ne. Nam ſi errorem probaret, poſſet ex mente Iulij Clari q. 64. n. 44. abſolui, vbi verò nihil probaret,
10. ex tali confeſſione condemnari. Vide † Bernhard. Zieriz. hic, vbi dicit, in quibuſdam iudicijs vſu & conſuetudine hoc non obſeruari, ſed interdum nihil attenta reuocatione reum ad ſuppli-

cium trahi. Verùm † Imp. nostri Caroli cautela, quò tutior est, eò minus negligenda, nam quia aliàs appellatio ab vltima capitali sententia in Germania non habet locum, hæc noua consultatio instar alicuius reuisionis haberi, & eò tutius deinde procedi potest. 11.

Ad Versic: Vnd nach dem.

VLterius † quærit Imp. vtrum isti duo vel plures assessores, qui sub juramento de confessione deposuerunt, postea debeant à voto suo, & sententia ferenda excludi? ad quod 12.
† Respondet negatiuè. Ratio est, quia in assertione non tanquam 13.
testes, sed tanquam conjudices adhibentur, & non de facto aliquo extrajudiciali, sed de actis causæ judicialibus, testimonium ferunt, Vigel. *c. 2. q. 4. reg. 5.* Quid † autem iudex facere debeat, si reus post sententiam definitiuam crimen retractet, id videbimus infra *artic. 103.* 14.

De sententia concipienda & formanda.

ARTICVLVS XCII.

SVMMARIA.

1. *Sententia concipienda, actis & juri conformis. 2. 3.*
4. *Non secundum propriam scientiam. 5. ne affectibus nimiũ judex indulgeat? 6. nisi sciat reum innocentem, & acta aliud doceant.*
7. *Sententia contra leges lata est nulla.*
8. *Sententia in scripturam redigenda. & n. 9. in secreto capitali judicio, non primùm in solenni.*
10. *Et denuò assessorum vota in judicio solenni exquirenda. 11. & quibus verbis? 12.*

QVæritvr † in hoc articulo: quomodo judex & assessores partibus auditis, causæque conclusione factâ ad sententiam ferendam pergere debeant? ad quod † Respondet Imp. quod post submissionem, & conclusionem in causa factam debeant omnia acta & producta in medium proferre, diligentissimè examinare & ponderare, sententiamque summa cum accuratione, & prudentia, huic constitutioni criminali, pro facti vniusciuusque

uſcuiuſque ratione maximè conformem, & accommodatam, & maleficio condignam meditari, & in ſcripturam redigere. Cum quo concordat jus Bauaricum *tit.6. art.2.* vbi jubentur præcipuè die Vrgichten / id eſt, confeſsiones rei, & quod aduocatus pro defenſione rei attulit, recitari, vota à iudice colligi, ab actuario diligenter annotari, & iuxta maiora ſententia concipi, atq; pro-
3. tocollo inferi, prout plenius ſeq. articulo declarabitur. Sic † itaque ex mente Imperatoris duo potiſsimum in concipienda ſententia reſpicere debent. Primò, vt ſit conformis actis: dein-
4. de, vt ſit conformis juri. Ratio † quoad primum: quia judex debet iudicare ſecundum allegata & probata, & non ex cuiuſuis priuati inſtructione, ſed ex confeſsionibus, depoſitionibus, allegationibus, & alijs, quæ in eius præſentia proponuntur, formare animi ſui motum debet, *c. in præſentia. 6. ext. de renunc.* non ergo ſecundum propriam ſcientiam, vel conſcientiam iudicare debet, *L. illicitas. 6. §. veritas. 1. ff de off. præſid. VVeſenb. n. 10. ff. de pro-*
5. *bat.* Ratio † rationis: quia ſi permitteretur iudici ſecundum propriam conſcientiam & ſcientiam, ſepoſitis actis & probatis, iudicare, ampliſsima feneſtra aperiretur, & exoptatiſsima occaſio iudici præberetur, affectibus ſuis indulgendi. *Zieriz. h.* vbi adhuc aliam Rationem reddit, quia iudex debet iudicare ſecundum veritatem: veritas autem dicitur id, quod probatum eſt. *L. pen. †. de probat.* Plura de hac quæſtione, an iudex iudicare debeat ſecundum allegata & probata, vide apud Harp. *§. ſi minus. 34. n. 2. cum mult. ſeqq. inſtit. de action.*

6. Quid ſi † autem iudex ſciuerit, reum eſſe innocentem, acta verò aliud indicent, quid tunc faciendum? id pulchrè docet Ioannes Buſæus *in tract. ſuo de ſtatib. hom. rub. de judic. ſtatu.* Communiter dicunt, judicem melius facturum, ſi officio ſe abſtineat, *vid. Iul. Clar. §. f. q. 66. n. 2. Venat. in anal. jur. pontif. lib. 1. tit. 32. f. 139.*

7. Ratio † quoad ſecundum, & quare ſententia debeat conformari juri, eſt iſta: quia judex juris miniſter eſt, & à præſcripto juris recedere non poteſt, *L. nemo. 13. C. de ſent. & interloc.* ſententia contra leges lata eſt ipſo jure nulla, *L. ſi expreſsim. 19. ff. de appellat. c. 1. ext. de ſent. & re judic.* judex non debet clementior

mentior esse lege, *c. oportet. 10. Nou: de judicib.* non enim potest delinquenti gratiam facere, *L. 1. §. quorum. ff. ad S.C. Turpil.* sed debet pœnam ex præscripto legis exequi, *arg. c. 1. & c. 5. ext. de const. Canis. ad reg. in judicijs. 12. de R. I. in 6.*

Ratio quoad † reliqua desumi potest ex *L. 2. C. de sent. ex breuic. recit.* vbi iubentur iudices, quos cognoscendi & pronunciandi necessitas tenet, non subitas, sed deliberatione habitâ post negotium, sententias ponderatas sibi ante formare, & emendatas statim in libellum secura fidelitate conferre, scriptasque ex libello partibus legere. 8.

Ista autem † conceptio, formatio, & annotatio sententiæ ex declaratione Serenissimi Electoris nostri, non primùm debet in illo vltimo solenni consessu, qui spectante populo celebratur, fieri & peragi, sed iam antea fuisse formata & peracta, in dem gehaimen oder stillen Malefitz Gericht / vt loquitur constitutio Bauarica, der Malefitz Proceß Ordnung / *tit. 6. artic. 2.* Ratio iam sæpe fuit indicata: quia illud solenne judicium tantùm pro complemento adhibetur, & sic tempus non amplius patitur, vt eiusmodi deliberatio primùm instituatur, sed vt sententia iam ante plena cum deliberatione concepta publicetur. Nisi in istis locis, vbi oratores supra dicti admittuntur, aliquid noui, quod momentum haberet, in medium allatum fuisset, tunc enim, quod de nouo emersit, nouo consilio indiget. 9.

Quid ergo † in isto vltimo solenni judicio faciendum superest? Ad hoc Respondet Imp. in fine articuli nostri, postquam sententia modo prædicto concepta, formata, & in scripturam redacta est, judicem singulorum assessorum vota & sententias denuò requirere debere, sciscitando, an præsens malefactor sententiam conceptam, & pœnam in ea comprehensam meruerit, nec ne? siue, an hoc crimen hunc in modum, & hac pœna puniendum ex animo credant & decernant? Formula autem interrogandi ex præscripto Imperatoris concipi potest his vel similibus verbis: Ich frage † dich deß Rechtens / vel ad hunc fere modum, in bene constitutis judicijs vsitatum: Herr Semproni: ich frage euch / bey denen euch zuuor erinnerten Aydtspflichten / ob jhr erkennet / daß gegenwertiger Vbelthäter N. die verlesene 10.
11.

Urthel / und darin begriffene Straff / seinem Beschulden / unnd darüber gethaner Bekantnuß nach / verwürckt unnd verschuldet
12. habe? Latinè † hanc interrogationem Remus ita format: Luci Semproni &c. hoc ne isto casu juris esse statuis? hoc crimen hunc in modum, neque aliter, & hâc pœnâ, secúsue puniendum ex animo credis? decernis?

Qua ratione assessores respondere debeant?

ARTICVLVS XCIII.

SVMMARIA.

1. Responsum assessorum. 2. 3.
4. Ratio interrogationis & responsionis.
5. De jure Bauarico assessores non vbique necessariò requirendi. 6. ratio. 7. vbi verò moris est, vt requirantur, tunc juxta præscriptum Caroli. 8. & Serenißimi Electoris respondendum. 9.

1. AD istam † interrogationem assessores requisiti respondere possunt, in hunc fere modum: Domine judex, ego pronuncio, jure sic fieri, & sentiam conceptam, actis & juri conformem, calculo meo approbo, ita Bernhard. Zierizius h. paulò
2. aliter Remus: Domine † judex, vti acta perlecta à nobis audita, & probè excussa sunt, iudicijque ordo seruatus est diligenter, neque à pœna lege præscripta discessum: ita ritè & solenniter proferendam esse sententiam aio, suffragioque meo approbo. Ego
3. † memini alicubi sic responsum fuisse: Herr Richter / ich antworte euch auff solche Frag / und gethane Erinnerung meines Aydts / daß die gegenwertige missenthätige Person / die in der verfaßten Urthel begriffene Straff wol verwürcket / und verdient habe.

4. Ratio † huius interrogationis & responsionis non est requirenda alia, quàm quod vota & suffragia assessorum colligi debeant, quod commodius fieri nequit, quàm per eiusmodi interrogationes, & responsiones, neque in re tam ardua conuenit aliquem silentiarium agere, aut taciturnitatem & silentium alicuius pro consensu haberi.

Priusquam autem ad publicationem sententiæ progrediamur,

mur, obiter hoc loco ſciendum, & NOTANDVM † eſt, de jure nostro Bauarico aſſeſſores non neceſſariò requirendos eſſe. 5.
Ratio: quia † in Bauaria aſſeſſores capitalis judicij non tanquam iudices, ſed tanquam teſtes ſolummodo adhibentur, proinde ad hoc non ſunt obligati, vt vota ſua, & ſententiam dicant, neque iudicem in concipienda ſententia juuare debent, *text. in artic. 9. tit. 1.* der Maleſitz Poceſſ Ordnung / vbi cauetur, quod aſſeſſores iſti judici non poſſint modum præſcribere, neque judex poſſit & debeat vota & ſententias illorum exquirere. Itaque judex ſolus, ſententiam concipiet, adhibitâ accuratiſſimâ diligentia & prudentia, & ſicubi dubius hæret, prudentiores conſulet, *text. in artic. 2. tit. 6.* 6.
Si verò † moris ſit (ſicuti in aliquibus etiam locis Bauariæ moris eſt) vt decuriones, vel alij aſſeſſores, vota ſua dicant, ibi hoc ipſum, quod CAROLVS præſcripſit, obſeruari, *dict. artic. 9.* atque iudicium illud ita adornari debet, vt iudex cum illis de certo die conueniat, das haimblich Maleſitz Recht zubeſitzen / id eſt, ad iudicium capitale ſecretum peragendum, & quilibet ipſorum prius diuinum auxilium ad hoc inuocet, vt cognoſcere & ſtatuere poſſit, quod iuſtum eſt. 7.
Poſtquam deinde † in vnum conuenerunt, confeſſiones rei, & depoſitiones teſtium, nec non id, quod aduocatus rei pro ipſius defenſione ſcripſit, recitari, & judex quidem vota aſſeſſorum exquirere, actuarius verò ea diligenter annotare, & quod per maiora concluſum eſt, à judice in hoc ſecreto judicio pronunciari, & ab actuario in protocollo annotari debet. 8.
Ratio † cur ſemper de ſecreto judicio ſermo fiat, eſt iſta: quia, vt ſupra dictum, de jure Bauarico illud ſolemne judicium, & conſeſſus, ob rationes ibidem adductas eſt abrogatur. 9.

Quomodo ſententia publicari debeat.

ARTICVLVS XCIV.

SVMMARIA.

1. *Sententia per actuarium alta voce legenda.*
2. *Iure communi ab ipſo judice proferenda.*
3. *exceptis illuſtribus perſonis.*
4. *Cur in præſentia vtriuſq; par-*

tis. 5. si per viam accusationis processum est.
6. *Cur ex scriptis recitanda? 7.*
8. *Genus pœnæ cur in sententia exprimendum? & quomodo? n. 9. præsertim in locis, vbi à sententia criminali appellare licet.*

1. AD hanc quæstionem † respondet Imp. postquam assessores ex ordine vota sua dixerunt, & sententiam conceptam actis & iuri conformem suo calculo approbârunt, iudicem statim mandare debere, vt actuarius alta & intelligibili voce, in præsentia vtriusque partis, sententiam è scriptis recitet.
2. Quamuis † enim de jure communi judex ipse sententiam voce sua proferre debeat, adeo quidem, vt nec prolationem verborum alteri committere possit, *c. ad audientiam 3. ext. de consuet.*
3. tamen † quia de jure hoc remissum fuit illustribus personis, vt sententias per alium pronunciare possint, *Nouell. 71. c. 1. L. 2. C. de sent. ex breuic. recit.* paulatim consuetudine receptum est, vt sententiæ prolatio per notarium, vel actuarium fieri posset, *Iul. Clar. §. f. q. 93. n. 1. Hippolyt de Marsil. §. quoniam. num. 50. Matth. Steph. h.*

4. Ratio † cur dicatur in præsentia vtriusque partis, est ista: quia sententia contra absentem lata est nulla, *L. absentem ff. de de pœnis. Gail. 1. obs. 109. Zieriz. h. Rosbach. prax. crim. tit. 7. c. 1.*
5. *n. 14.* Hoc tamen † ita intelligendum est, si per viam accusationis fuit processum, tunc enim accusator & reus præsentes esse debent: si autem per viam inquisitionis, tunc quia fama vicem accusatoris sustinuit, non potest alius accusator in iudicio sisti, sed vel reus solus in medium produci, & condemnari, vel in locis, vbi solennis illa accusatio adhuc in vsu est, quidam ex assessoribus, vel aliunde in locum accusatoris, vel oratoris, surrogari.

6. Ratio † cur ex scriptis, & ex breuiculo recitanda sit sententia, est ista: ne posthac copia sit corrigendi vel mutandi, *L. 2. C. de sent. ex breuic. recit.* Nam quia memoria hominum labilis est, *L. peregrè 44. in pr. ff. de acquir. vel amitt. poss.* posset notarius, vel actuarius, memoriâ lapsus aliquid omittere, vel aliud pro alio substituere, proinde expedire, imò necessarium esse videtur, vt ex charta de verbo ad verbum sententia recitetur: quia verbum semel emissum non facile reuocari potest, & si no-

tarius per errorem aliud pro alio pronunciasset, magna difficultas circa executionem oriretur. Si ergo † in ciuilibus necessarium 7. est, vt sententia ex scripto legatur, *L. 2. C. de sententia ex breuic. recitand.*, adeo quidem, vt sententia, quæ oretenus dicta fuit, cum scripta non esset, ne nomen quidem sententiæ habere mereatur, *L. 3. C. d. T.* (nisi viles tantum sint causæ, *auth. nisi C. d. T.*) multò minus in criminalibus, quæ non pro vilibus, sed valde arduis sunt agnoscendæ. Confer Summam *c. 9. n. 23.*

Ad Versic: Vnd wo peynlich.

IN hoc † Versic: monet Imp. Actuarium vel Notarium, vt si 8. pœna corporalis decreta fuerit, disertè & sigillatim in sententia exprimat, quomodo, & qua ratione ista infligi debeat, adeoque vt bene notat Bernhard. Zierizius hic: non sufficit dicere, reum mortis pœnâ afficiendum esse, daß der Missenthäter vom Leben zum Todt gerichtet werden solle/ sed necesse est, genus pœnæ specificè exprimere, & determinare, dicendo, v. g. daß er mit dem Schwerdt/oder mit dem Strang/oder mit dem Rad/oder mit dem Fewr vom Leben zum Todt gericht werden solle/prout infra *artic. 192. cum aliquot seqq.* pluribus dicetur. Confer Summam *c. 9. n. 6.* Ratio: quia † sicuti in ciuilibus sententia debet esse cer- 9. ta, *t. t. C. de sent. quæ sine cert. quant. prof.* ita multò magis in criminalibus: ex genere autem incertitudo plerumque nascitur, & sicuti ibi non valet sententia in hunc modũ concepta: condemno Titium ad debitum soluendum (prout pluribus ostendi in tract. de actionibus, § *32. n. 1. cum seqq. maximè n. 5.*) ita quoq; non sufficit dicere: condemno Titium malefactorem ad vltimum supplicium. Idque † maximè locum habet in ijs locis, vbi adhuc in 10. criminalibus appellare licet. Ratio: quia tunc sæpe contingeret, vt condemnatus ad pœnam gladij sententiæ acquiesceret, si autem sciret, se ad laqueum condemnatum esse, ad superius tribunal prouocaret.

Plura de hoc, quomodo Notarius, & quâ formâ sententiam concipere debeat, infra *artic. 190. cum seqq.* dicentur.

De Variatione formularum.

ARTICVLVS XCV.

SVMMARIA.

1. *Formulæ in singulari concepta, in plurali sunt efferenda, si plures accusatores, vel rei in judicio consistant. & n. 2.*
3. *Idque pro instructione imperitorum.*
4. *Verborum cortici non præcisè inhærendum.*

1. HActenus † Imp. varias formulas accusatori, & defensori rei, nec non iudici, assessoribus, & actuario præscripsit, quomodo videlicet in solenni illo consessu, vel verba & propositionem suam facere, vel interrogare & respondere, vel
2. denique sententiam formare & concipere debeant. Sed † quia istæ formulæ omnes sunt in singulari numero conceptæ, & vnius tantum accusatoris & rei mentionem faciunt, ideo monet Imp hoc loco actuarios, vt si plures accusatores, vel rei in iudicio consistant, vel concurrant, quod tunc sermo in plurali numero sit efferendus. Ratio: quia † vt leuiculum hoc videri possit, tamen
3. Imp. admonendos duxit actuarios propterea, quia illo tempore adeo rudes & imperiti in quibusdam locis erant, vt in omnibus
4. instructione opus haberent. Ratio † alia secundum Zieriziũ: quia non adeo præcisè verborum cortici inhærendum est. Nam & iudici, & Assessoribus & actuario, multa pro re nata relinquuntur adornanda, ita vt ad similia procedere, vel quæ tendunt ad eundem finem, vbi occasio est, supplere possint, *argt. L. 12. & 13. ff. de L. L.*

De fractione baculi.

ARTICVLVS XCVI.

SVMMARIA.

1. *Baculus cur post publicatam sententiam frangi soleat. 2.*
3. *Cur carnifici cum commemoratione juramẽti præstiti mandetur, vt sententiam fideliter exequatur.*
4. *Postea judex de loco surgere, & curare debet, vt executio rectè peragatur. & n. 5. & statim. n. 6.*

Post

Post latam † & publicatam sententiam vltimi supplicij iudex in ijs locis, vbi moris est, bacillum suum prætorium confringit, & carnifici condemnatum reum commendat, eique sub fide & iureiurando iam antea præstito, mandat, vt sententiã fideliter exequatur, *text. h. & Rosbach in prax crim. tit. 7. c. 2. n. 5.* Pet. Greg. Tholos. *l. 31. syntagm. c. vlt. n. 7.* Ratio † huius consuetudinis frangendi baculum, quæ passim in Germania, imò etiam extra Germaniam in quibusdam Prouincijs vsitata est, redditur à Zierizio & Matthia Stephani talis: vt iudex publico hoc quasi signo & testimonio fidem faciat, reum vitam perdidisse, & de ipso non aliter, atque de baculo, iam actum esse. Ratio illius † mandati, cum commemoratione jurisiurandi est ista: quia sæpe malitiosi carnifices in ipsa executione sententiam judicis eludunt, ita vt in suspendendis reis gulam non constringant, vel laqueum non bene nectant, vel vetustate corruptum adhibeant, ita vt eo rupto reus deinde de patibulo decidat, vel in fustigando reo nimis lenes, nimisue atroces existant, & similes malitias exerceant, quibus hoc remedio erat occurrendum.

1.
2.
3.

Ad Versic: Damit.

Quæritur † in hoc Versic: quid iudex post publicatam sententiam, & fractionem baculi facere debeat? ad hoc Resp. Imp. quod debeat de loco iudicij surgere, & probè curare, vt executio in bona securitate statim peragatur. Ratio: quia † nullius momenti sunt sententiæ, quæ non sunt munitæ executione: & quia iudicis est sententiam suam imperio exequi, *VVesenb. n. 9. ff. de rei vind.* in multis locis solet judex capitalis executioni præsens esse, & vt omnia rectè & ordine fiant, attendere. Ratio, † cur statim executio facienda, est ista: cum enim appellatio à definitiua apud nos locum non habeat, decem dies ad appellandum dati non sunt expectandi, *Clarus. §. fin. q. 96. n. 1. & 2. Guid. Pap. decis. 74. in f. & post eos Gilhaus. h.*

4.
5.
6.

De

De publicanda securitate Carnificis.

ARTICVLVS XCVII.

SVMMARIA.

1. *Cur securitas carnificis, & quomodo proclamanda. 2. 4.*
3. pœna eorum, qui eximunt de manibus justitiæ condemnatum.
5. *Carnifices cur exosi? 6. cur eorum consortium plebi infensum.*
7. *Exemplum recens carnificis in ipsa executione trucidati.*
8. *Cur carnificem aberrantem non liceat occidere?*

1. VT executio † sine periculo carnificis fiat, & ne vis ei à quoquam inferatur, mandat in hoc articulo Imp. vt iudex reo ad locum supplicij deducto (vel pro more aliorum locorū in ipso loco iudicij, post latam & publicatā sententiam statim) palam & publicè proclamari & denunciari iubeat, sub pœna capitis & bonorum, vt nemo iustitiæ administrum in executione impediat, vel remoretur, neque vim vllam, quantumuis casu aliquo minus feliciter munere suo defungatur, vel violentas manus
2. inferat. *confer Summam c. 9. n. 25.* Ratio † vtriusque est improbitas, & malitia leuiorum hominum, qui vel executionem impedire, vel executori nocere laborant, quorum temeritati hoc modo erat obuiandum. Nam quia Reip. interest, ne delicta maneant impunita, frustra processus institueretur, & sententia contra reum pronunciaretur, nisi postea executioni quoque da-
3. retur. Vnde illi, qui eximunt † de manibus justitiæ condemnatum ad mortem, in pœnam capitis incidunt, *Dd. ad L. 4. Versic: item qui confessum. ff. ad L. Iul. Majest.* Iul. Clarus. §. *f. q. 68. n.* 10. vbi exempla tradit, quod non tantum illi, qui malefactores è manibus justitiæ, verum etiam alios è manibus familiæ prætoris exemerant, laqueo fuerint suspensi. Vide de hoc etiam Pet. Gre-
4. gor. Tholos. *lib. 31. c. 38. n. f.* Ratio † quoad securitatem carnificis est, quia ex justitiæ mandato peragit, quicquid facit, & iustitiæ, imò DEI (iuxta D. Paulum) minister est, non suorum affectuum, *arg. c. non frustra c. in officia. c. non est. 23. q. 5.* Damhauder. *c. vlt. n. 1. & 2.* vbi addit: illum proinde meritò ob officij necessitatem

cessitatem in tutela & securitate Principis esse. Idque † tantò 5.
magis, quia exosi sunt eiusmodi homines, qui exequuntur mortis, etiam meritæ, supplicium, vtpote communi sanguinis natura condolente interitu alterius. Quæ ipsa † causa est, quod plebs 6.
refugiat consortium carnificis, tanquam naturæ destructoris, & leui de causa insurgendi in lictores, & carnifices arripiat occasionem, *Gregor. Thol. in syntagm. jur. lib. 31. c. 38. n. 6.* quemadmodum † experti fuimus ante biennium, quod cum Ratisbonæ, in 7.
ipsis comitijs, præsente Imperatore & statibus Imperij, executio contra aliquem malefactorem fieret, & carnifex à nece aberraret, plebs non modò ipsum, sed etiam filium eius, qui parentem defendere nitebatur, saxis telisque peteret, & in ipsa carnificina hoc modo obrueret, & interimeret. Cui temeritati, quæ frequens ante hac fuit, meritò hac sanctione obuiam itum est, *Gregor. loc. cit. n. 7.* Ratio habetur † in ordinatione Palatina, anno 8.
82. publicata *tit. 70.* quia non est conueniens, vt subditi vindicent illud, quod magistratui incumbit puniendum, *vide Abrahamum Saur* in dem StraffBuch *circ f.* & non est singulis concedendum, quod per magistratum publicè fieri potest, ne occasio sit maioris tumultûs faciendi, *L. non est. 176. ff. de R. I.*

De interrogatione executoris post factam executionem, & iudicis responso.

ARTICVLVS XCVIII.

SVMMARIA.

1. *Post executionem factam, quomodo carnifex judicem alloquatur. 2. 3. & quomodo judex respondeat? 4. 5. cur Imperator hæc leuiuscula attendat.*

IN multis † locis moris est, vt carnifex post factam executionem interroget iudicem, an latæ sententiæ ritè satisfecerit, 1.
& an illam rectè executioni dederit, his, vel similibus verbis:

Herr † Richter / hab ich nit recht gericht / 2.
Wie Vrthel vnd Recht spricht /
Wie Vrthel vnd Recht geben hat /

Wie es der arm Mann verschuldet hat?

3. Ad quam † interrogationem iudex in hunc fere modum ab Imperatore respondere jubetur: So du gericht hast/wie Vrthel vnd Recht geben hat/ so lasse ichs darbey bleiben, hoc est, si officio tuo & sententiæ à te satisfactum est, acquiesco. Alicubi † iudex ijsdē

4. verbis, & rythmis respondet, quibus interrogatus fuit, v. g.

Ja du hast recht gericht/
Wie Vrthel vnd Recht spricht/ & quæ sequuntur.

5. Ratio, † cur Imp. hæc minutiora & leuiuscula attendat, & obseruari jubeat, est ista: quia non facile mutandum est aliquid ex solemnitatibus. Et quamuis alicui videri possent vilia, tamen vt bene ait Bernhard. Zierizius hic: fastidientis animi est, vsu bono recepta vilipendere, & infirmitas iudicij, suum publico omnium iudicio anteponere. *confer Summam c. 9. n. f.*

Quid si reus absoluatur?

ARTICVLVS XCIX.

SVMMARIA.

1. *Reus penitus absolutus simpliciter dimittendus? absolutus ab obseruatione judicij præstita cautione de judicio sisti.* 2.
3. *De jure Bauarico prorsus innocens repertus ab omni pœna absoluendus.* 4. *& quid si aliqualiter reus?*
5. *An regressum habeat, & quomodo contra accusatorem?* 6.

1. HActenus † Imp. ostendit, quid facto sit opus, si reus per sententiam condemnetur: nunc vlterius pergit, & tradit, quid faciendum sit, si reus per sententiam absoluatur? videlicet, quod pari jure sententia absolutione executioni mandari, & eo modo procedi debeat, qui in ipsa sententia præscriptus est.

2. Videlicet, si † ab accusatione, vel intentato crimine penitus absoluatur, reus simpliciter dimittatur, & prorsus liber abire permittatur: sin autem absolutus esset ab obseruatione iudicij tantùm, vt non aliter dimittatur, quàm præstita cautione de judicio sisti, prout supra *artic. 61.* declaratum fuit, vide *Dd. VVeizenegg.*

3. *diss. 6. c. vlt. n. 203.* Ius nostrum † Bauaricum *tit. 6. artic. 6.*

der

der Malefiß Proceß Ordnung/ plenius nonnihil distinguit, & illud obseruare iubet: vtrum reus prorsus innocens repertus fuerit, vel quod innocentiam suam probârit, vel quod indicia contra se militantia per torturam purgârit, quo in casu ab omni pœna absolui, & immunis ohne entgelt dimitti iubetur. Si † autem 4.
non omninò innocens repertus fuisset, sed aliqualiter reus, tunc pro qualitate delicti vel carcer, & tortura, pro pœna imputari, vel si delictum nihilominus graue esset, extra locum iudicij, vel extra regionem ad tempus, vel in perpetuum relegari, vel pro arbitrio iudicis aliàs puniri mandatur. Confer Summam *c. 8. n. 22. & seqq.*

Ad Versic: Aber deß Abtrags.

QVid si † autem reus absolutus postea actoris partes sustinere, 5.
& ad satisfactionem iniuriæ, ad restitutionem expensarum, & damni accepti agere velit, anne regressum suum, & quomodo habiturus est? ad hoc Respondet † Imperator affirmatiuè, remit- 6.
tendo se *ad artic. 12.* vbi declaratum fuit, quod ciuili actione, vel apud eundem iudicem agere, vel accusatorem suum coram eius ordinario iudice conuenire possit: qua de re, quia supradict. *artic. 12.* fusè egimus, actum hoc loco agere nolumus. Confer inf. *artic. 201. Vers.* Vnd was fürter.

De inutilibus, & minus necessarijs interrogationibus amputandis.

ARTICVLVS. C.

SVMMARIA.

1. *Captiosæ, inutiles, & minus necessariæ interrogationes in judicio criminali prohibentur.*
2. *ratio.*
3. *Superfluitas resecanda.*
4. *Articulis captiosis quis respondere non cogitur.*
5. *Quæ in vsu non sunt, attendenda non sunt.*
6. *Indices contrauenientes puniuntur.*

CVm † intellexisset Carolvs Imp. in nonnullis iudicijs 1.
criminalibus, multas superfluas, otiosas & captiosas interroga-

rogationes & protestationes vsurpari, eas in hoc articulo a-
2. bolitas sublatasque voluit. Ratio † est in textu: quia ad veri-
tatis indagationem nihil faciebant, sed iustitiæ potius cursum si-
stebant, & cognitionem causæ impediebant, præterea, vt Remus
addit, intricatos magis reddebant animos judicum, & facile sim-
3. plicioribus imponebant. Sicut † igitur aliàs superflua proba-
tione nemo est onerandus, *c. 2. extra. de probat.* neque superua-
cua cautione, *L. 14. §. diuus. ff. vt legat.* ita nec superfluis talibus
4. interrogationibus. Et sicut † reus ad articulos captiosos actori
respondere non cogitur, *vide Gail. 1. obs. 81. Myns. cent. 5. obs 88.
Rosbach. prax. ciuil. tit. 51. de posit. n. 28.* ita nec ad tales interro-
gationes, quibus nihil aliud quæritur, quàm vt reus intricetur,
& in labyrinthum inducatur.

5. Quæ † autem & quales fuerint istæ quæstiones, superfluum
est inquirere, nam quæ in vsu non sunt, attendenda non sunt,
arg. L. vn. C. de dedit. lib. toll. & teste Catullo: stultus labor est
ineptiarum, quem hoc loco Zierizius suscepit, dum stolidè nimis
diuinauit, & has quæstionum argutias à Monachis inuentas fu-
isse existimauit, sine omni fundamento & iudicio, cum sine irre-
gularitate iudicijs talibus interesse non possint.

Ad Versic: Vnd wo.

6. IN hoc † Versic: monet Imp. superiores magistratus, vt si
cognouerint à iudicibus inferioribus tales otiosas & super-
fluas interrogationes permitti, vel vsurpari, id non modò
inhibeant, sed etiam contumaces condignâ pœnâ afficiant.
Ratio: quia frustra feruntur leges, nisi seuerè puniantur con-
temptores.

De pœnis non lethalibus.

ARTICVLVS CI.

SVMMARIA.

1. *Carcer perpetuus morti æqui. paratur. 3. & hodie toleratur.*
2. *Pœnæ non capitales quomodo exequendæ?*

1. IN præcedentibus † articulis Imperator potissimum egit de
executione talium pœnarum, quæ mortem inferunt, & vitam

reo

reo adimunt, quibus etiam pœna perpetui carceris annumeratur. Nam quia ad perpetuos carceres condemnati pane doloris & aqua tristitiæ ita macerantur, *c. form. ext. de V. S.* vt lenta morte afficiantur, meritò carcer perpetuus morti æquiparatur, *Zierizius hic*. Nunc ordinis † ratio postularet, vt aliquid agere- 2.
tur de pœnarum non lethalium executione, quæ tamen capitales dicuntur, verùm id reseruat sibi Imp. in commodiorem locum, videlicet in articulum *196.* vbi formam sententiæ concipiendæ præscribet. Ex hoc † autem articulo iterum confirmatur, quod 3.
supra *art. 10. n. 3. & seqq.* dictum fuit, hodie pœnam perpetui carceris permissam esse. vide Summam *c. 3. n. 28.*

De Confeßione condemnati audienda, eoq́ꝫ consolando.

ARTICVLVS CII.

SVMMARIA.

1. *Reus ante & post condemnationem ad confeßionem admittendus n. 2. & 3.*
4. *Sacerdotes reo adiungendi, dum ad supplicium educitur & n. 5. 6. & signum crucis præferendum, & quare. n. 7. & 8.*

SVpra *artic. 79.* statuit † Imp. vt reo triduo ante mors & vl- 1.
timum supplicium denuncietur, ita vt de peccatis suis confiteri, & SS Eucharistiæ Sacramentum percipere possit. Quia
† autem facile contingere potuit, vt reus aliquorum peccatorum 2.
oblitus, ea confiteri intermitteret, vel de nouo in aliquod peccatum incideret (nam etiam justus septies in die cadit) ideo si denuò confiteri velit, idipsum ei Imp. *in hoc artic.* permittere voluit, etiam post condemnationē. Ratio: quia † remedia salutis nemini 3.
sunt deneganda, & vt is, qui à judice temporali condemnatus fuit, apud Summum illum Iudicem condemnationem euadat. Præterea † iubet Imp. reo vnum vel duos Sacerdotes adiungi, 4.
quando ad locum supplicij educitur, vel raptatur. Ratio est in textu: vt ipsum ad amorem DEI, ad veram fidem, spem & fiduciam erga merita Christi Saluatoris nostri concipiendam erigere,

& ad veram contritionem peccatorum, & pœnitentiam (nec non ad patientiam exercendam) adhortari poſſint. Confer Sum-
5. mam *c. 9. n. 28. & notata ſup. art. 79.* Ratio † iam fuit allegata *ſup. artic. 79.* cui adde, quod Imp. Iuſtin: *in L. Imperialis. 23. C. de nupt.* his verbis ſcribit: quod nimia ſit DEI beneuolentia, & circa genus humanum clementia, qui quotidianis hominum peccatis ſemper ignoſcere dignatur, & pœnitentiam ſuſcipere noſtram, & ad meliorem eam ſtatum deducere.

6. In fine † annectit Imp. vt reo, dum ad judicium producitur, & ad locum ſupplicij educitur, perpetuò ſignum ſalutiferæ
7. crucis præferri poſſit. Ratio † eſt: vt dum reus crucem ante oculos habet, paſſionem Chriſti Domini frequentius meditetur, & cruciatus ſibi inferendos maiori cum alacritate, patientia, & ſo-
8. latio ſuſtineat. Ratio † alia, vt diabolus, qui morituros plerumq; vehementius turbat, & tentat, hac ratione fugetur. Nam ſicuti veſpertiliones lucem, ita diabolus, & eius miniſtri, crucem fugiunt, & oderunt.

Ne Confeſſarij reum damnatum moneant ad delictorum confeſſorum reuocationem.

ARTICVLVS CIII.

SVMMARIA.

1. *Confeſſarij non debent reum ad reuocandam confeſſionem adhortari. & n. 3. 2. cur id quandoque fiat? 4. cur fieri non debeat? 5. cur tendat in præjudicium reip. & n. 8. 6. & proborum hominum? & n. 7. 9. cur malum nutriat? 10.*
11. *An hortari poſſint, ſi malè confeſſi ſunt, vel denunciarunt? & n. 12. 15. an ante vel poſt ſententiam? n. 13.*
14. *An reos monere, vt ſocios denuncient?*
16. *Reus in foro conſcientiæ poſt definitiuam reuocare debet, ſi crimen falsò ſibi impoſuit. & 17.*
18. *Niſi quando nulla ſpes veniæ, & metus grauiorum tormentorum imminet.*
19. *In foro externo hæc reuocatio poſt*

post sententiam non attenditur. 20. ratio. 21. nisi per euidentiam facti demonstrare posset, delictum vel omninò non, vel ab alio perpetratum. 22. quia probatio innocentiæ etiã post sententiam admittitur, vsque ad realem executionem. 23. & per quos modos? 24. 25. judex executionem quidem suspendere, sed reum semel condemnatum absoluere non potest. 26. Principi autem scribere.

SOlet quandoque † contingere, vt Confessarij improbâ quadam & superstitiosâ pietate, (vt eam Iodoc. Damhaud. *c. vlt. n. f.* appellat.) reos confessos ad negandum, reuocandumque facinus patratum adhortentur, & adducant, idque ob 1.
† hanc Rationem, & errorem: quod existiment, etiam hic verum 2.
esse, quod Theologi docent, vnumquemque in conscientia obligatum esse, ad vitam suam, quam diu licet, conseruandam, & in hac occasione faciendum, quod *Prouerb. c. 24. v. 11.* dicitur: erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitũ, liberare ne cesses, *can. non in inferenda 7. caus. 23. q. 3.* Verùm Imp. † rectè hoc loco id vetat, & confessarios malefactorum ca- 3.
uere iubet, ne persuadeant reis, vt quod *verè* de se, vel alijs confessi fuerunt, iterum negent, vel reuocent. Rationem † reddidit 4.
supra *artic. 31.* quam repetit hic in textu: quia non est conueniens, malefactorum malitiam contra publicam vtilitatem, & in præiudicium proborum hominum supprimere, & hac ratione vlterius malum nutrire. Ratio † cur tendat contra publicam 5.
vtilitatem, est ista: quia reip. interest, ne delicta maneant impunita, *L. ita 51. §. æstimatio. ff. ad L. Aquil. Dambauder, loc. cit. & ex ipso Zieriz. h.* & quia peccata nocentium nota esse, *L. eum qui 18. in pr. ff. de injur.* & commeritis pœnis plecti, expedit societati hominum, è qua ablegari maleficos, & resecari putrida membra summa exigit ratio, *Remus, Gilhausen, & ex ipsis Matth. Steph. hic.* Ratio † prima, cur hoc cedat in præjudicium proborum 6.
hominum, est ista: quia dum mali coërcentur, quietius inter ipsos viuunt boni, *c. non frustra. 18. caus. 23. q. 5.* Ratio † alia: quia 7.
solatio est injuriâ affectis pœna nocentũm, *L. 28. §. famosus pen: ff. de pœn. vbi VVesenbec. n. 9.* Hinc secundum Senecam, qui malos non plectunt, bonis injuriam faciunt, & qui parcit malis, probis

8. probis nocet, *Beuther. de jure Prælat. p. 2. c. 4.* Ratio † communis vtriusque membri est: quia per malefactores turbantur publica gaudia, & lætitia communis, *L. 3. C. de Episcop. aud.* sicut ergo expedit illos è medio tolli: ita quoque plurimum nocet victimam Deo mactandam pœnæ subtrahere, *Zieriz. h.* non enim potest pinguior victima mactari Deo, quam homo sceleratus, *Castrens. in. d. L. 3.* Hinc rectè dicit Stratocles apud Damhauder. *loc. cit.* quod ignoscendo nocentibus, innocentium salus custodiri non possit.

9. Ratio, cur † hoc modo malum nutriatur, est ista: quia nocentium remissio improborum studia ad peccandum excitat, *Damhaud. d. n. 6 cap. vlt.* & facilitas veniæ est incentiuum delinquendi, *c. vt Clericorum. 13. ext. de vit. & honest. Cleric. Zieriz. h.* vnde vulgò dicitur, malum seueritate coërcendum, non indulgentia alendum, *arg. §. sed & si. 8. inst. de oblig. quæ ex delict.*

10. *& ibi Mynſ. §. 1.* Et non † malè infert Damhauder. *loc. cit.* quod eiusmodi confessorum, qui de se, vel alijs, verè confessos ad reuocationem instigant, importunâ pietate & indulgentia cæteris ad liberius peccandum liberior occasio præbeatur: quod etiam suppresso nomine authoris sui Zierizius hoc loco recitat, & more suo valde ineptit, dum impertinenter omninò Pontificatum allatrat.

11. Loquitur † autem Imp. in textu nostro de ijs confessarijs, qui *verè* de se, vel alijs confessos ad reuocandum hortantur.

12. Ratio: quia † Confessarius non prohibetur admonere reos, vt si quos forte ex odio, inuidia, vel timore pœnæ, vel alia de causa contra veritatem denunciassent, iterum reuocent, Binsfeld. *de confess. malefic. mihi. fol. 253.* vbi dicit, id fieri debere ante senten-

13. tiam. per Rationem: quia † si postea confessarius reum comitetur ad supplicium, & sæpius inculcando admoneat, vt memor salutis, si quem iniustè denunciâsset, iterum reuocet, facile contingere posset, vt reus stimulis conscientiæ ex vna parte, cum mors instet, & ratio reddenda sit: & ex altera anxietate mortis exagitatus, totam primam confessionem in dubium reuocaret.

14. An autem † confessarius teneatur reos monere, vt socios denuncient, vide apud eundem Binsfeld. *f. 230. & f. 252. edit. quart.*

quart. Coloniens. Hoc etiam admittit † Dominus Weizenegger 15.
dissert. 6. c. vlt. n. 180. Si reus ipse constanter asserat, sibi confessionem tormentorum acerbitate, vel metu extortam esse, & pro eo circumstantiæ verisimiles se ostendant, non prohiberi confessarium, patrocinium rei damnati suscipere, ac reuocationem judici intimare, si tamen spes sit, eum re penitus intellectâ moueri posse: si autem nulla spes affulgeat, satius esse reum consolari, & adhortari, vt Martyrum exemplo breue supplicium fortiter subeat, atque duraturas alterius vitæ pœnas pro alijs peccatis redimat.

Quidsi † autem reus, siue malefactor, proprio suo motu, 16.
vel à confessario instigatus, reuocet, & post sententiam definitiuam crimen retractet, anne hoc permissum, & quid tunc faciendum? Hac in re distinguendum est inter forum conscientiæ, &
forum externum. In foro † conscientiæ reus, qui crimen falsò 17.
sibi imposuit, licitè retractat, imò tenetur, quamdiu commodè potest, vitam & famam suam integram tueri. Aliàs suiipsius occisor est, qui confitendo causam suæ mortis præbet, & eandem
non tollit. Quodsi † commoda retractatio futura non est, puta 18.
si nulla spes sit, veniam à judice posse impetrari (vt rarò impetratur) vel grauiorum tormentorum metus immineat, condemnatus confessionem reuocare obligatus non est, ita post Laymann: & Tanner. Dn. Weizenegg. *dissert. 6. c. vlt. n. 178.*

In foro † externo, si reus ad mortem condemnatus post 19.
sententiam, in loco supplicij, vel alibi confessionem retractet, & dicat, se sibi ipsi iniuriam fecisse, iudex hoc parùm attendere, sed nihilominus ad executionem sententiæ procedere debet, *text. in jur. Bauaric. tit. 6. artic. 5.* der Malefiz Proceß Ordnung. Ratio † secundũ Dn. Weizenegg. *n. 179.* nam quia resp. rebus
judicatis sustinetur, & exemplo pernitiosum est, rerum publicè 20.
judicatarum auctoritatem infirmari, reip. bonum, & salus populi exigit, vt sententia retractione non attentâ contra maleficos exe-
cutioni mandetur. Hoc † tamen LIMITAT dicta constitutio 21.
Bauarica: nisi condemnatus assereret, se ideo innocentem esse, quod demonstrari possit, delictum à se confessatum omninò non, vel saltem ab alio perpetratum esse, atque ita innocentiam suam

probare vellet, & simul indicaret, quomodo hoc ad oculum, apertè, & per euidentiam facti ostendi possit, tunc enim differri
22. potest executio. Ratio: quia † tantus est fauor innocentiæ, vt reus in qualibet parte iudicij, vsque ad realem executionem, ad eam probandam, & defensionem suam, etiam post sententiam definitiuam, faciendam admittatur, *text. in L. 1. §. si quis vltrò 27. ff. de quæstion.* vbi habetur: liberandum eum, qui in se fuerat confessus, cuius post damnationem de innocentia constitisset. Quam-
23. uis † autem tunc, si reus innocentiam suam probare velit, in termino probatorio partibus concesso, & per iudicem assignato: vel secundò post lapsum termini probatorij, imò etiam post publicationem testium, & conclusionem in causa: vel tertiò postquam renunciauit defensionibus suis, & termino assignato, possit id fa-
24. cere quolibet modo, & via legitima, & ordinaria: tamen † quando post sententiam condemnatoriam, innocentiam suam probare vult, id non potest aliter fieri, nisi per euidentiam facti, probando, v. g. negatiuam, quæ arguat & ostendat, non esse delictũ commissum, vt quia verè & realiter probat hominem illum viuere, qui dicebatur interfectus. Ita Antonius Gomez. *var. resol. tom. 3. c. 13. n. 33.* vbi *ad L. 4. ff. de confess.* quæ contrariari videtur, respondet. Ratio: quia cum præter ordinem ad probandũ admittatur, euidentiores probationes requiruntur. Confer notata sup. *artic. 74. n. 6. & seq.*

25. Dixi † autem, quod judex in hoc casu possit differre executionem. Ratio habetur in *d. L. 1. §. f. ff. de quæstion.* quia judex ipse, eum, quem damnauit, restituere non potest, (vel absoluere) cum nec pecuniariam sententiam suam reuocare possit. Proinde
26. † supersedere, & Principi scribere debet, ad hoc nimirum, vt reum absoluat, & sententiam reuocet, *Iul. Clar. §. f. q. 98. n. 8. Gomez. loc. cit. circ. f. n. 33. Dn. VVeizenegger differt. 6 c. vlt. n. 179.* Confer cum his, quæ notauimus supra artic. 91.

APPENDIX.

1. Reus ad supplicium ductus, an à muliere ipsum in maritum petente, liberari possit? 2. praxis quorundam locorum. 3. affirmatio Doctorum in meretrice. 4. praxis contraria. 5. & 6.

& 6. ratio. 7. statutum Palatinum contrarium. 8. ratio.
9. *An reus suspensus laqueo rupto liberandus?*
10. *Ratio dubitandi. & 11. 12. responsio negatiua. 13. distinctio plenior. cum num. 14. 15. 16. 17. 18.*
19. *Exempla miraculosa. & 20.*
21. *Quid juris, si pœna propter inhabilitatem rei nō possit dari executioni. 22. an judex possit in aliam mutare? 23. saltem ante sententiam? 24. in exemplis. 25. quid post sententiam? 26.*
27. *Pœna amputationis manus an locus sit, si reus vnam tantum habeat. & seqq. 28. 29. 30.*
31. *Si reo manus debeat amputari, sinistra amputanda, & quare? num. 32.*
33. *Quid si tempore executionis nullus carnifex habeatur, vnde assumendus? 34. 35.*

ABsoluimus † cum diuina gratia feliciter primam partem CAROLINÆ Constitutionis, qua de processu criminali rectè instituendo egit. Nunc appendicis loco vnam tantùm, vel alteram quæstionem, magis curiosam & quotidianam, circa executionem examinabimus.

QVÆRITVR † itaque primò: quid si reus condemnatus ducatur ad locum supplicij, & mulier aliqua, vel etiam meretrix in 1.
lupanari existens, petat ipsum in maritum, an per hoc sit liberandus? Nicol. † Boërius *decis 217. n. 20.* dicit, id in Hispania ita
practicari, de Gallia testatur Iul. Clar. §. *f. q. 98. n. 6.* Imò non 2.
rarò in Germania accidit, vt puellæ resecarent funem, quo fur ad patibulum ductus, ligabatur, eumq; in maritum petendo, à pœna liberarent, *constit. Palat. de anno 82. tit. 70.* Hoc factum † in meretrice laudat, & veniam mereri putat Soarez, *comm. opin. lit. M.* 3.
n. 135. per Rationem: quia hoc modo multorum barathrum de medio aufertur, & non leuiter plectitur, qui tale sibi consortiū asciuit: & maius supplicium est illi condemnato accipere talem vxorem, quàm mori. Accedit, quod † hoc modo anima illius
meretricis reducatur à statu perditionis, ad viam salutis, transeundo à meretricatu ad matrimonium, Iul. Clar. *loc. cit.* vbi di- 4.
cit, id in Ducatu Mediolanensi non seruari. Similiter † tradit
Gomez. *tom. 3. c. 13. n. 7. § quintus casus.* quod dum Andegauis 5.

quidam ad furcas duceretur, & à meretrice peteretur, non fuerit
6. relaxatus, sed statim suspensus. Additque, hoc † in jure non esse
prouisum, ac proinde non obseruandum, per Rationem: quia
tenderet in graue præjudicium reip. Quilibet enim Ribaldus
quotidie delinqueret, & veniam speraret, ducendo puellam, vel
meretricem in vxorem, vide Berlichium *p. 5. conclus. 41. n. 32. &*
7. *seqq.* vbi affirmantes & negantes refert. Elector † Palatinus *in dict.*
sua constit. mandauit, vt si quid tale contingeret in sua jurisdi-
ctione, & territorio, officiales & judices id nõ curarent, sed lectã
8. sententiam executioni darent. Rationem † expressit talem, quia
administrationem justitiæ hoc non parum impediret, & quilibet
homo leuis, de eo confidere posset, & quæuis impudica, & in-
famis puella, spe prçmij & pecuniæ tale aliquid attentare auderet.
9. QVÆRITVR † SECVNDÒ: quid si in ipsa executione, dum fur
suspenditur, laqueus rumpatur, an per hoc reus sit liberandus?
10. Ratio † dubitandi desumi potest ex verbis psalmi 123. laqueus
contritus est, & nos liberati sumus. Ratio alia: quia qui soluit
pœnam, pro absoluto debet haberi, quod etiam de pœna inchoa-
ta quidam interpretantur, v. g. si damnatus ad laqueum rupto
11. eo decidat in terram incolumis, *VVesenb. n. 9. ff. de pœnis.* Qua †
non attenta putat Iul. Clar. §. *f. q. 98. n. 9.* si vel laqueus rumpa-
tur, & suspensus laqueo fracto decidat; vel carnifex reo non
possit caput amputare, hoc ipsi parum prodesse, sed condemna-
12. tionem nihilominus exequendam esse. per Rationem, quia † in
sententia communiter solent addi illa verba: furcis suspendatur,
ita quod moriatur. Quorum similia scio, etiam in quibusdam lo-
cis Germaniæ fuisse vsitata.
13. Verùm † hoc loco plenior distinctio videtur adhibenda,
vtrum videlicet id factum ex incuria & culpa carnificis, vel sine
14. culpa. In primo † casu, si casus ille ex incuria, culpa, & negli-
gentia, vel ex infirmitate, vel ex malitia & collusione carnificis
fiat, haud dubiè reus elapsus iterum suspendendus, vel supplicio
subijciendus est, quemadmodum bene constitutum est in ordi-
nat. Palat. *de anno 82. tit. 70. apud Abraham. Saur* in seinem Straff-
Buch *circ. fin. vide etiam Berlich. loc. cit. n. 36. & seqq.* Ratio:
15. quia † culpa & malitia vnius non debet esse subleuamen alterius,
& quia

& quia aliàs in potestate carnificis esset, reum supplicio subtrahere, & sententiam iudicis eludere.

Si verò † nulla carnificis culpa appareat, & is, qui suspendebatur, cecidit in terram sanus & illæsus, laqueo fracto, tunc executio suspendenda, & Princeps prius consulendus, præsertim quando reus, priusquam ei inferretur supplicium, protestabatur, se esse innocentem, Iul. Clar. §. *f. q. 98. n. 9.* Anton. Gomez. *tom. 3. c. 13. n. 37. §. sextus casus.* vbi Rationem † reddit: quia ea, quæ rarò & insolitè accidunt, contra ea, quæ naturaliter sunt dispòsita, potius miraculo, quàm alij facto attribuenda, ac proinde nō sunt sub lege, vnde in hoc dubio iustius, & rectius erit executionem suspendere, quàm forte veritati & signo miraculi resistere. Proinde Principi † scribetur, qui causam examinet, & vel nouam executionem mandet, vel gratiam reo faciat. Vide de † hac quæstione etiam Nicol. Boër. *decis. 217. n. 18.* vbi plura exempla enarrat, quibus rei condemnati hoc modo miraculosè fuerunt à laqueo, gladio, & igne liberati. Similia recitat Iul. Clar. & Gomez. *loc. cit.* Et memini † ego ipse, quod anno 1630. cum Diuionem venirem, recens adhuc fuerit memoria alicuius puellæ, non quidem innocentis, sed tamen propter magnam fiduciam & spem erga misericordiam Dei, & D. Virginis, (cui proinde securis caput amputare non potuit,) per curiam parlamenti relaxatæ, & postea gratiâ impetratâ dimissæ. Vide aliter in hac quęstione distinguentem Thomam Mezgerum, *consil. crim. 15. n. 102. §. præsumptiones, f. 273.*

16. 17. 18. 19. 20.

Quæritur † Tertiò: quid si fur sit condemnatus ad amputationem aurium, postea autem, cum ad executionem venitur, reperiatur nullas habere, vel iam ante abscissas esse, quemadmodum in juuentute mea audiui de facto contigisse, quid tunc faciendum? ad quod † possumus petere responsum ex Iulio Claro. §. *f. q. 85. n. 11.* vbi tradit, quod tunc, quando reus non est capax pœnæ, quæ à jure imponitur pro delicto, judex possit illam in aliam commutare. Hoc † facile quidem admittitur ante sententiam, quando nimirum ex lege, vel statuto, certa pœna imponenda esset, quæ tamen in reo propter inhabilitatem eius executioni dari omninò non, vel difficulter potest: v.g. † si gip-

21. 22. 23. 24.

posus esset virgis cædendus, vel si ex forma statuti esset alicui amputanda manus dextra, propter perjurium, aut falsum testimonium, & ille non haberet manum dextram, vel haberet illam aridam, tunc enim officio judicis pœna deberet in aliam commutari, Iul. Clar. *loc. cit.* vbi putat rectè facturum judicem, si superio-
25. rem prius consulat. Sed quia † judex sententiam semel latam corrigere amplius nequit, *L. Paulus.* 42. *L. judex.* 55. *ff de sent. & re judic.* & pœnam semel impositam nemo potest reuocare, nisi Princeps, *L.* 27. §. 1. *ff. de pœnis. L. ad bestias.* 31 *ff. eod.* ideo maius dubium est, vtrum judex, qui sententia lata judex esse desinit,
26. *d. L.* 55. aliquid immutare possit. Nihilominus † quia sententia talis, ex crassissimo errore facti lata, videtur nulla, non video, cur judex non possit illam nullam declarare, per tradita Wesenb. *n.* 10. *ff. de re judic.* ac proinde ad aliam sententiam procedere.
27. An † autem tunc, si cui ex statuto, vel lege, manus debeat amputari, & is vnam tantùm habeat, pœna nihilominus imponenda sit, vid. Eman. Soarez. *commun. opin. lit. M. n.* 52. vbi negatiuam tenet, quàm vtpote mitiorem & æquiorem amplectitur
28. quoque Iul. Clar. *q.* 69. *n. f.* Ratio † est: ne talis homo reddatur prorsus inutilis, & in omnibus alieno auxilio indigeat, & quia leges nolunt, vt aliquis sit ad comedendum tantum, & non etiam
29. ad laborandum, *idem ibid. n.* 1. Contrariam † autem practicatam fuisse refert Thomas Grammaticus *decis.* 94. in casu, quo
30. quis propter idem delictum manum alteram amiserat. Ego si † judex essem, cum Claro Principem consulerem, vt ipse misericordiâ motus pœnam juberet commutari, & tanquam consiliarius mutationem suaderem, *per text. Nou.* 134. *c.* 13. *ibi: vnam solam manum abscindi*, nisi timendum esset, quod homo nequam illâ suâ manu adhuc alia quædam facinora committeret.

31. De hoc nemo † fere dubitat, quod si cui manus amputatio simpliciter sit imposita, id de manu sinistra & debiliori sit intelligendum, tanquam inutiliori, *Soarez loc. cit. n.* 51. *Menoch. l.* 5.
32. *præsumpt.* 49. *n.* 8. *Farinac. q.* 19. *n* 27. Ratio: quia † pœnæ interpretatione potius molliendæ sunt, quàm exasperandæ, *L. pen. ff. de pœn.* nisi præter manum, quâ necem, v. g. commisit, mox etiam caput sit amputandum, vt in latronibus & infanticidis practicatum memini.

QVÆ-

QVÆRITVR † VLTIMÒ: quidſi tempore executionis nullus 33,
carnifex habeatur, quid tunc faciendum? ad quod Reſpondetur: quod † ex proximo & vicino loco aliquis ſit euocandus, *Remus ad artic. 97. in marg.* vel † in defectu alterius aliquis talis de- 34.
putabitur, qui morte dignus eſt ob ſcelera, & ex pluribus reis vnus eorum poterit abſolui, & liber relinqui, vt alij ſupplicium inferat, vel ita condemnari, vt ſit carnifex ciuitatis, *Gregor. Tholoſ. lib. 31. ſyntagm c. 38 n. 5.* quemadmodum ego ipſe talem aliquem noui: vel † denique ex mente Iulij Clari, §. *f. q. 99. n. 4.* 35.
poterit judex propter publicam vtilitatem cogere aliquem, præſertim hominem vilem, vt ſit carnifex, ſiue executor, etiamſi ipſe nihil deliquerit, *vide Gilhauſ. in notis ad artic. 97.*

Forma iuratæ vrphedæ.

EGo N. N. fateor, & notum facio omnibus tenore præſentium, me ab Illuſtriſſimo Principe, ac Domino, Dn. N. N. ante aliquod tempus apprehenſum, & iam ſecundâ vice propter commiſſum furtum, & delictum carnis carcere detentum eſſe, poſtquam verò ob interceſſionem & ſupplicationem meorũ conſanguineorum dimiſſus, & pœnæ loco compedibus incluſus fui, ijs confractis aufugiſſe, & hinc inde diuagatũ non reſipiſcentem, neq; de priori carceris pœna cogitans plurima furta denuò commiſi. Quare ex mandato Illuſtriſſimi & clementiſſimi mei Principis ad judicium tractus, & criminaliter accuſatus fui. Et licet mortis pœnam meritus eſſem: tamen denuò mea juuentus, meorumque Conſanguineorum interceſſio, præcipuè verò parentis mei piæ memorię merita me ab vltimo ſupplicio liberarũt, & mitigationem pœnæ talem impetrarunt, vt à Carnifice virgis cæſus, ex Illuſtriſſimi & Clementiſſimi Principis mei territorio & diſtrictu (niſi ex ſpeciali fauore & gratia mihi regreſſus concedatur) ad dies vitæ relegarer. Quamobrem corporale Iuramentum præſtiti, me dictam meam carcerationem, nec quidquam

quam quod in ea mihi contigit, nec etiam pœnam perpessam, erga Illustrissimum & Clementissimum meum Principem, neque erga eos, qui quocunque modo, siue auxilio, siue consilio executionem adjuuarunt, vlcisci, nec sub pœna capitis in Illustriss: & Clementiss: Domini mei Territorium, vel districtum omnibus diebus vitæ, posthac redire velle. Si verò contingeret, me vel in vno vel altero supra nominato excedere, vel juramento meo contrauenire, tunc sine vlteriori processu licitum sit Illustrissimo meo Principi, seu Iudicibus ad id deputatis, me iterum apprehendere, & contra me tanquam perfidum, & periurum, ad pœnam corporis & sanguinis sine vlla misericordia procedere. Contra quem processum, nullum jus, nec Diuinum, nec humanum, nulla priuilegia, indulta, concessiones, & exceptiones me defendere, nullæque intercessiones, à quocunque demum factæ, quidquam proficere, vel me releuare à supplicio debent. His enim omnibus & singulis scienter & deliberatè renunciaui, & tenore præsentium expressè renuncio, sine omni fraude & dolo. In cuius rei maiorem fidem spectabilem virum Dm. N. oraui & exoraui, vt literas has proprio suo sigillo, (sibi tamen suisque sine damno) munire dignaretur.

Approbatio Theologica.

Clarissimi viri Dn. Caspari Manzij V. I. D. & in Catholicâ Electorali Academiâ Ingolstadianâ Professoris Ordinarij, Analysis Constitutionum criminalium, sine vllâ fidei orthodoxa, aut bonorum morum corruptelâ ita enucleatè & clarè singula tradit, & explicat, vt apprimè valeat instruere, non solum juris studiosos, sed ipsos etiam Iustitia Sacerdotes: quamobrem, vt id copiosius fiat, lucem & prœlum suo jure efflagitat.

Ita Censeo GVILIELMVS LVDOVICVS BENTZ, SS. Theol. Doctor, & Professor Ordinarius, pro tempore Collegij Theol. Decanus.

Designa-

Designatio

SINGVLORVM ARTICVLORVM

IVRIS BAVARICI der Malefitz Proceß Ordnung/ vbi vel in Commentario, vel in Summa nostra criminali fuerint declarati.

Der erste Titul.

1. Der erst Articul/ *Sum. c. 1. n. 17. & seq.*
2. Der ander Articul/ *Sum. c. 10. n. 21. Carol. art. 81.*
3. Der dritt Articul/ *Sum. c. 1. n. 11. & seqq.*
§. Nach dem auch/ *Sum. c. 1. n. 13.*
4. Der vierdte Articul/ *artic. 3. n. 14. Sum. c. 1. n. 6.*
5. Der fünffte Articul/ *Sum. c. 1. n. 19. & seq.*
6. Der sechste Artickul/ *artic. 5. n. 8. Sum. c. 1. n. 21. & seq.*
7. Der sibende Articul/ *Sum. c. 1. n. 22.*
8. Der achte Articul/ *Sum. c. 1. n. 23.*
9. Der neundte Articul / *art. 93. n. 6. & 7.*

Der ander Titul.

1. Der erste Articul/ *Sum. c. 1. n. 29. 31. 32.*
2. Der ander Articul/ *art. 6. n. 10. 14. 15. 16. 17. 18. 19. Sum. c. 2. n. 9. 34. c. 3. n. 12. 13. 15.*
§. Vnd ob wol auch / *artic. 12.*
3. Der dritte Articul/ *præfat. n. 37. 38. Sum. c. 2. n. 20. 21.*
4. Der vierdte Articul/ *art. 16. n. 34. Sum. c. 2. n. 40. 50.*
5. Der fünffte Articul/ *Sum. c. 2. n. 39.*
6. Der sechste Articul/ *Sum. c. 3. n. 15.*
7. Der sibende Articul / *art. 10. n. 5. art. 11. n. 16. in fin. Sum. c. 3. n. 23. 28. 29.*
8. Der acht Articul/ *art. 11. n. 26. Sum. c. 3. n. 30. & n. 19. cum seqq. c. 10. n. 15.*
9. Der neundte Articul/ *Sum. c. 3. n. 32. 34.*
10. Der zehend Articul/ *Sum. c. 3. n. 16.*
11. Der ailfft Articul/ *est tantum relatiuus.*

Der dritte Titul.

1. Der erste Articul/ *artic. 23. n. 5. Sum. c. 4. n. 34. c. 5. n. 15.*
§. So ist der/ *art. 23. n. 16. art. 30. n. 8.*
2. Der ander Articul/ *art. 47. n. 23. & 24. 25. 48.*
§. Were aber die/ *art. 16. n. 15. art. 28. n. 6. Sum. c. 5. n. 27.*
3. Der dritte Articul/ *artic. 47. n. 23. 24. art. 73. n. 19. Sum. c. 2. n. 30.*
4. Der vierdte Articul/ *art. 56. n. 7. Sum. c. 7. n. 1. & seqq.*
5. Der fünffte Articul/ *art. 47. n. 48. Sum. c. 1. n. 13. c. 5. n. 27.*
6. Der sechste Articul/ *Sum. c. 7. n. 1. & seqq.*
7. Der sibende Articul/ *art. 6. n. 38. Sum. c. 5. n. 5. c. 6. n. 17.*
8. Der achte Articul/ *art. 45. n. 16. & n. 33. 36. art. 63. n 21.*
9. Der neundte Articul/ *art. 6. n 30. art. 16. n. 9. & 11. art. 45. n. 14. art. 58. n. 6. 9. 26. 44. Sum. c. 5. n. 6. 10. c. 5. n 36.*
10. Der zehende Articul/ *art. 47. n. 49. artic. 58. n. 1. 4. 6. 13. 29. 30. 42. Sum. c. 5. n. 33.*
11. Der ailffte Articul/ *Sum. c. 7. n. 1. & seqq.*
12. Der zwölffte Articul/ *art. 31. n. 6. 12. 13. Sum. c. 4. n. 28.*
13. Der dreyzehende Articul/ *art. 58. n. 50. 51. 55. 67. 74. Sum. c. 6. n. 30.*
§. Es sollen aber/ *art. 58. n. 43. 44. 46.*
14. Der vierzehende Articul/ *art. 58. n. 70. art. 69. n. 8.*
15. Der fünffzehende Articul/ *Sum. c. 6. n. 48. edit. secund.*
16. Der sechzehende Articul/ *Carol. art. 58. n. 87. & 88. Sum. c. 6. num. 11.*
17. Der sibenzehende Articul/ *artic. 45. n. 21. art. 56. n. 11. n. 21. artic. 78. n. 13. Sum. c. 1. n. 13. 14. Sum. c. 7. n. 24. c. 8. n. 14.*

Der vierdte Titul.

1. Der erste Articul/ *art. 70. n. 6.*
2. Der ander Articul/ *Sum. c. 7. n. 24. secund. edit.*
3. Der dritte Articul/ *Carol. artic. 62. n. 8. & seqq. Summa c. 6. n. 35. & seqq.*
4. Der vierdte Articul/ *art. 16. n. 36. art. 66. n. 5. 10. Sum. c. 6. n. 38. & seqq.*

Der

Der fünffte Titul.

1. Der erste Articul/ *Sum. c. 7. n. 27. art. 76. n. 6. & 16.*
2. Der ander Articul/ *Sum. c. 7. n. 24. secund. edit.*
3. Der dritte Articul/
4. Der vierdte Articul/ *art 73. n. 16.*
5. Der fünffte Articul/
6. Der sechste Articul/

Quia hic titulus Iuris Bauarici peculiaris nihil commune habet in Carolina, ideo explicari non potuit.

Der sechste Titul.

1. Der erste Articul/ *artic. 73. n. 33. Sum. c. 8. n. 14.*
2. Der ander Articul/ *Sum. c. 9. n. 3. nou. edit. n. 4. art. 78. n. 7. art. 92. n. 2. & 9. art. 93. n. 6.*
3. Der dritte Articul/ *Sum c. 9. n 7. nou. edit. art. 79. n. 8. 13.*
4. Der vierdte Articul/ *Carol. art. 88. n. 5. & seqq.*
5. Der fünffte Articul/ *Sum. c. 9. n. 30. Carol. art. 103. n. 19.*
6. Der sechste Articul/ *Sum. c 8. n. 23. artic. 99. n. 3. & 4.*

Si qua in hoc indice allegata in Summa nostra non repereris, ea in editione secunda locupletata inuenies.

INDEX

Collectus à Ioanne Georgio Burckhardo Dilingano, I. V. Studioso.

A.

Absolutio rei quomodo facienda. art. 61. n. 2. & seqq.

Absolutus reus an semper regressum habeat contra accusatorem. art. 87. n. 14. vel quando art. 61. n. 42.

Absolutus penitus, simpliciter dimittendus: absolutus ab obseruatione iudicij prastitâ cautione de iudicio sisti. art. 99. n. 1. de iure Bauarico prorsus innocens repertus ab omni pœnâ absoluendus. n. 2. 3. & quid si aliqualiter reus. n. 4.

Abbreuiari quomodo soleat in camera processus. art. 73. n. 48.

Accessus ad carcerem ijs est permittendus, quorum operâ accusator & accusatus vti volunt in fideiubendo, vel testificando. art. 14. n. 7. 8.

Accusatio quâ formâ fieri debeat. art. 89. n. 1. cur nomen Iudicis. n. 5. accusatoris & accusati n. 6. species criminis n. 7. locus & tempus n. 8. annus & mensis? non tamen dies, nec hora exprimi debet. n. 9. 10.

Accusatio olim in scriptu tantùm, hodie etiam oretenus fieri potest art. 11. n. 12.

Accusatio alia absoluto processu fit. art. 89. n. 3. quibus verbis proponenda. n. 20. 21. cur nomen iudicis, locus & tempus omittatur. n. 22.

Accusator custodia similitudinem cum reo pati debet, donec idoneè cauerit. art. 12, n. 1. & quare. n. 2. 3. 4.

Accusator non tenetur amplius stare in carceribus, donec causa fuerit determinata, sed donec cautionem praestiterit. art. 12. n. 5. 6.

Accusator cautionem praestare debet de prosequenda accusatione, vel si defecerit, de resarcienda iniuria, damnis & expensis. art. 12. n. 7.

Accusator an caueat, si reus delictum fatetur, sed excusationes probabiles allegat. art. 13. n. 1. exempla n. 2. 3.

Accusator si satisdare non poßit, carceri vel custodia mandari debet, & quare? art. 14. n. 1. iuxta facti & personae qualitatem. n. 4. 6. an adhuc hodie. n. 3. 5.

Accusator indicijs probatis, aut ipso delicto omnibus innotescente, nullisq; exceptionibus reo suppetentibus, tantùm de prosequenda accusatione cauere debet. art. 15. n. 1. ratio. n. 2. 3. 4.

Accusator praestita satisdatione an poßit à loco iudicij recedere. art. 17. n. 1. ratio dubitandi. n. 2.

Accusator an praesens esse poßit tortura. art. 47. n. 52. 53.

Accusator an prius requirendus, antequam index ad torturam procedat, & quare? art. 45. n. 28. 29. 33. 34.

Accusator ad probationem criminis admittendus, & quare. artic. 62. n. 3. 4. 5.

Accusator calumnià detectà similitudine supplicij olim afficiebatur: & quid hodie. art. 68. n. 4.

Accusator succumbens quandoq; ab expensis excusatur, & quare. art. 13. n. 29. exemplum. n. 30. 31. 32.

Accusator mercedem viatori ad se decurrenti soluere debet. art. 17. n. 5.

Accusatori cur imperitia iudicis periculosa. in praefat. n. 23.

Accusatori quid olim. art 11. n. 2. quare inscriptio ad talionem incubuerit. n. 3. & 4. cur abrogata. n. 5. quid ei hodie incumbat. n. 6. 7. 8.

Accusatori petenti dies torturae designandus. art. 45. n. 34. aßignatio diei quando omitti poßit. n. 36.

Accusatus crimine cum indicijs expositis incarcerandus. art. 11. n. 12.

Acta cur in vltimo solemni confeßu produci & recitari debeant. art. 81. n. 2. an etiam tunc si nimis longa sint, & inutilia contineant. n. 3.

Acta vnius iudicij an probent delictum in alio. art 62. n. 10.

Actuarius domicilium ab accusatore designatum annotare debet. art. 17. n. 6. ab Actuario quae seruanda art. 53. n. 7.

Actuarij officium in quo consistat, art. 15. n. 5. & quare accuratè omnia consignare debeat. n. 6.

Aduocatè

Aduocati olim examini rei interesse poterant. art. 14. n. 9. hodie non n. 10.
Aduocati an reis permittendi, & quare. art. 47. n. 25. 27. quid de consuetudine. n. 26.
Aduocati an reos manifestè nocentes defendere poßint. art. 90. n. 5. 6.
Aduocati an tortura adesse poßint. art. 45. n. 30. vel saltem decreto torturæ. n. 32.
Aduocati notorijs malefactoribus, art. 47. n. 30. & famosis furibus non concedendi. n. 31.
Aduocati an sine arbitris cum reo agere, & loqui poßint. art. 47. n. 29.
Aduocati ad reum admitti debent. art. 73. n. 27. ratio. n. 28. & quidem soli n. 29. remotis arbitris n. 30. 31. saltem de iure communi, si non Bauarico. n. 32. 34. exceptis publicis & famosis furibus & latronibus. num. 34.
Aduocatorum fraudibus quomodo occurrendum. art. 47. n. 28. & art. 73. num. 33.
Aggreßori in dubio adscribitur homicidium. art. 34. n. 15.
Appellatio lege vel statuto prohibita intelligitur tantùm à definitiua. art. 45. num. 23.
Appellatione interposita an à tortura abstinendum. art. 45. n. 24.
Appellatio ab executione non recipitur. art: 12. n. 26.
Appellatio denegatur damnatis ob manifestum crimen. art 12. n. 27.
Appellare in Germania, non licet in criminalibus à sententia definitiua, art: 12 n. 5. art: 45. n. 21. sed bene ab interlocutoria, & à decreto torturæ. n. 22.
Appellare an poßit ad expensas condemnatus accusator, & quare non. art: 12. n. 17. limita. n. 25. & 27.
Appellare licet in causis ciuilibus, & criminalibus de iure. art. 12. n. 29.
Arbitrium iudicis non debet esse vagum & absolutum, sed iuris dispositione circumscriptum. art. 27. n. 5.
Arbitrium iudicis debet esse iuri & æquitati consonum. art. 18. n. 6.
Arbitrio iudicis relinquitur, quænam indicia sint sufficientia art. 18. n. 5. an vnum indicium sit tam graue, vt quis torqueri poßit. art. 20. n. 16. an indicia concurrentia sufficiant. art. 27. n. 4.
Armatus præter morem ad locum rixæ accedens, quando fiat suspectus, & quare. art. 34. n. 14. 16.
Articuli probatoriales cum nominibus testium, designatione domiciliorum, & directorio offerendi. art. 70. n. 2. 3.
Articulis captiosis quis respondere non cogitur. art. 100. n. 4.
Assessor qui pro accusatore vel reo verba fecit nullum in eo iudicio votum amplius habet, & quare. art. 88. n. 19. 20. 21.
Assessores iudiciorum criminalium quale iuramentum, & quare præstent. artic. 4. n. 1. 2. 3. 4.

Assessores qui sub iuramento de confessione rei deposuerunt, non debent à sententia ferenda excludi. art. 91. n. 12. ratio. n. 13.

Assessores qua ratione in vltimo solenni consessu interrogati respondere debeant. art. 93.

Assessores de iure Bauarico non vbiq; necessariò requirendi. art. 93. n. 5.

Assessorum vota in iudicio solenni exquirenda. artic. 92. n. 10. & quibus verbis. n. 11. 12.

De aßignatione diei pro definienda causa. art. 78.

Asylum praestat Ecclesia. art. 40. n. 25. & domus ICtorum Ingolstadij. num. 26.

Auctor rixa an in tormentis super lethali vulnere interrogari poßit. art. 34. n. 9. 10,

Auctoris votum. art. 20. n. 43.

AEquiparatio eruditionis & nobilitatis. art. 1. n. 15.

AEquiparantur pœna mortis & perpetui carceris. art. 10. n. 2.

B.

De baculi fractione. art. 96.

Baculus cur post publicatam sententiam frangi soleat. art. 96. n. 1. 2.

C.

Candelam extinguens in rixà quare indicium faciat. art. 34. n. 18.

Ad Capitale iudicium iudices & assessores conuocandi. art. 80. n. 1. iuxta morem receptum. n. 2. vel per signum campana, vel per apparitores. n. 3. 4. omnes conuocandi, qui sunt de corpore iudicij, & qui de iure vel consuetudine interesse solent. n. 5 & quare. n. 6. 7. vno tamen vel altero legitimè impedito reliqui nihilominus progredi possunt. n. 9.

Ad Capturam & incarcerationem quid requiratur art. 6. n. 4. cur diffamatio publica, vel alia verisimilia indicia. n. 5. 6 & 7. ad capturam an qualiscunq; diffamatio sufficiat. n. 8. n. 9. & 10. vel sola diffamatio idoneè probata. art. 6. n. 12. 13. an verò praeterea alia indicia. n. 14. & qualia requirantur n. 15. distinctio iuris Bauarici. n. 16. 17. 18. 19.

Capturam debet praecedere aliqualis informatio. art. 6. n. 21. citra quam iudex iniuriarum tenetur. n. 22. 23.

Ad Capturam non sufficit nuda accusatio, art. 13. n. 10. etiamsi accusator ad satisdationem se offerat, vel similem cum accusato custodiam subire velit. limitatio iuris Bauarici. n. 11.

Carcer potest hodie esse loco pœna, art. 10. n. 3. etiam de iure ciuili. n. 5. vti olim de iure canonico. n. 4.

Carcer est mala mansio, sordida, & infamis, species seruitutis. art. 11. n. 9.

Carcer an indistinctè reis decernendus, art. 11. n. 13. 14. 15.

Carcer debet esse comparatus ad custodiam, non ad cruciatum. art. 11. n. 26.

Carcer perpetuus morti aequiparatur, art. 101. n. 1.

Carceratus

Carceratus ob cautionem non præstitam, postea eâ oblatâ est dimittendus. art. 14. n. 25.

Carceri vni non plures rei includendi. art. 11. n. 29. & 32. Mares à fœminis separandi. n 30. & seqq.

Carceres subterranei & tenebricosi improbandi, & quare. art. 11. n. 27. 28.

Carnifex post executionem factam quomodo iudicem alloquatur. art. 98. n. 1. & quomodo is respondeat. n. 2. 3.

Carnifex tempore executionis, si nullus habeatur, vnde assumendus. in append. n. 33. 34. 35.

Carnifici cur cum commemoratione iuramenti præstiti mandetur, vt sententiam fideliter exequatur. art. 96. n. 3.

De Carnificis securitate publicanda. art. 97.

Carnificem aberrantem cur non liceat occidere. art. 97. n. 8.

Carnifices cur exosi? art. 97. n. 4.

Carolina an deroget moribus, & constitutionibus Principum, & locorum, in præfat. n. 50. & seqq.

Carolinam iudices in iudiciis ante oculos habere debent, art. 83. n. 1. tanquam normam & regulam. n. 2. 3.

CAROLVS *V. quis fuerit? quam magnus in militia armata? quam magnus in administranda republica? quam pius in religione? quos populos sibi subditos habuerit? in præfat. n. 2. 3. 4. 5. 6.*

CAROLVS *qua ratione iudicia criminalia emendauerit? & cur prudentibus commiserit. in præfat. n. 26. 27. 28.*

CAROLI *Imp. intentio & propositum. in præfat. n. 53.*

Cautela à iudice torquente adhibenda. art. 61. n. 40.

Cautio de lite prosequenda cur præstetur. art. 12. n. 8. 9.

Cautio de expensis & damnis cur præstanda. art. 12. n. 10. 11.

Cautio exultionis, seu vrpheda, & vrpheda formula. art. 20. n. 45. vid. finem operis.

An Cautionem præstet accusator, si reus delictum fatetur, sed excusationes probabiles allegat. art. 13. exempla. n. 2. 3. quam cautionem præstet, & quare. n. 4.

Cautionem etiam Illustres præstare tenetur accusatores. art. 14. n. 11. vel vadem eiusdem cum accusato conditionis custodiæ dare. n. 12. 13. 14. 15.

Cautionem accusator iudiciis probatis, aut ipso delicto omnibus innotescente, nullisque exceptionibus reo suppetentibus, de prosequenda accusatione tantùm præstare debet. art. 15. n. 1. ratio. n. 2. 3. 4.

Cautionem quam accusator præstet? vide Accusator.

Circumforanei, vel Zingari vid: Mendici.

Circumstantiæ delicti confessatæ si falsæ deprehendantur, art. 55. n. 1. denuò reus torquendus, n. 2. & quare. n. 3. 4. 5.

Circumstantia quomodo in veritatis cognitionem ducant. art. 58. n. 4. 5. quomodo ad rei condemnationem, vel absolutionem faciant. n. 6. 7. 8.

Citatus ad locum non tutum comparere non cogitur. art. 76. n. 1.

Clerici accusare non possunt, art 14. n. 22. nisi suam suorumq́ iniuriam persequantur. n. 23. aut delictum enorme deferant, & protestentur, quod non ad pœnam sanguinis agant. n. 24.

Clerici quomodo iurisdictionem criminalem exerceant, art. 2. n. 11.

Cognitio causarum criminalium an in diebus ieiunij rectè exerceatur. art. 78. n. 10. 11. 12.

De Commissarijs ad examen testium deputatis. art. 72.

Commissarius ex personâ committentis censendus. art. 72. n. 34.

Commissio sumptibus committentis facienda. art. 72. n. 10. ratio. n. 11. 12. 13.

Compendiosas relationes an semper facere expediat. art, 81. n. 7.

Compulsoriales literæ quid in appellationibus. art. 72. n. 28. vnde nomen habeant. n. 30. quid in examinatione testium. n. 31. forma. n. 32. necessitas earum. n. 33. clausula. n. 35.

De Complicibus reus nondum confessus interrogari potest. art. 31. n. 5. imò confessus de iure Bauarico, & communi Germaniæ consuetudine. num. 6.

Condemnari reus nequit, nisi constet de corpore delicti. art. 6. n. 35.

Condemnari reus vt possit ex confessione tormentis expressâ. art. 60. n. 7. debent indicia legitima præcedere. n. 8, probata. n. 9. & reo copia communicata esse. n. 10. & non elisa fuisse. n. 11. constare de corpore delicti. n. 12. (adde artic. 69. n. 10. 11. 12.) decretum torturæ præcessisse. n. 13. torturâ debito modo illata fuisse. n. 14. confessio sine suggestione & promissione impunitatis elicita. n. 15. specialis & certa, num. 16. pura non conditionalis aut qualificata. n 18 probabilis, possibilis, verisimilis & verificata. n. 19. dilatio reo pro defensione data num. 20. nisi delictum fuisset notorium. n. 21. an processus debeat fuisse validus? n. 22. 23.

Confessarij reum non debent ad delictorum confessorum reuocationem hortari. art. 103. n. 1. an hortari tunc possint, si malè confessi sunt, vel denunciârunt. n. 11. 12. 15. an monere vt socios denuncient? n. 14.

Confessi non torquendi, sed condemnandi, art. 16. n. 9.

Confessariorum abusus reprobatur, qui reos ad reuocationem instigant. art. 31. n. 22.

Confessio rei ijsdem verbis formulibus annotanda. art. 53. n. 6.

Confessio debet esse libera, certa, clara, verisimilis legitimè facta. art. 52. num. 13.

Confessio extraiudicialis facit indicium ad torturam. art. 32. n. 1. dummodo seriò & non iocosè. n. 2. 3. delictum aliquod in specie, & particulariter fuerit confessus. n. 4. & de tali confessione sufficienter conuictus. n. 5.

n. 5. exploratumq́; sit, delictum ipsum commissum esse. n. 6.
Confeßio extraiudicialis si reuocetur quid iuris. art. 32. n. 7.
Confeßio extraiudicialis expressa quid operetur. art. 44. n. 36. quid implicita. n. 37.
Confeßio extraiudicialis, & iactatio probationem plenam non facit. art. 62. n. 13.
Confeßio facta in tortura sine legitimis indicijs est nullius momenti. art. 20. n. 20. n. 27. 21 neque conualescit, etiamsi tortus in ea perseueret; & extra tormenta ratificet, etiam iudicialiter. n. 23. etiamsi postea legitima indicia superueniant. n 24. 25. etiamsi ad rescriptum Principis ad tormenta reus sit abreptus. n. 26.
Confeßio cur ad condemnationem sufficiat, & qualis. art. 22. n. 18. quid ad hoc requiratur. n. 19 20. 22.
Confeßio per suggestionem extorta nulla est. art. 56. n. 5. & quare. n. 6.
Confeßio debet esse verificata. art. 55. n. 10. ratificata & repetita. n. 11.
Confeßio facta ob tormenta illegitimè repetita non valet. art. 58. n. 58.
Confeßio in medijs cruciatibus non est attendenda, sed ea, quæ remissa tortura facta est. art. 58. n. 87.
Confeßio procuratoris vel principalis, in causa ciuili, non facit probationem in criminali. art. 62. n. 17.
De Confeßione condemnati audienda eoq́; consolando. art. 102.
Ad Confeßionem sacramentalem reus ante & post condemnationem admittendus. art. 102. n. 1. 2. 3.
Confeßionem verificatam sequitur condemnatio. art. 60. n. 2. ratio. n. 3. 4.
Confeßioni non semper fides habenda, & quare. art. 60. n. 5. 6.
Confeßiones reorum & depositiones testium verbis formalibus legenda, & quare. art. 81. n. 4. 5.
Confessus de se reus super socijs interrogari, & aliqualiter torqueri potest. art. 58. n. 70. hoc indicato, quod tantum propter socios quæratur. n. 71.
Confessus reus quomodo extra torturam interrogandus, & quare. art. 47. n. 1. 2. 3. 4. 5.
Confessus intoxicationem quomodo interrogandus, art. 50. n. 1. 2. quare. num. 3.
Confessus incendium quomodo interrogandus, & quare. art. 51. n. 1. 2.
Confessus homicidium quomodo interrogandus. art. 47 n. 6. & seq.
Confessus furtum vel latrocinium quomodo interrogandus. art. 47. n. 14.
Confessus proditionem quomodo interrogandus & quare. art. 49. num. 1. 2, 3. 4. 6.
Confessus magiam quomodo interrogandus. art. 52. n. 1.
Confessus quomodo in delictis innominatis interrogandus. art. 53. n. 1. & seqq. solummodo super ijs, quasi innocens quis esset, nec scire, nec eloqui posset. n. 5.

Confessus vel conuictus non nisi clementiam implorare potest. art. 90. *n.* 2. *ratio. n.* 3. 4.

Consilium Iurisconsultorum in dubio exquirendum, & cuius sumptibus, art. 81. *n.* 10. 11.

Consuetudo de reo in conspectu populi sistendo an valeat. art. 85. *n.* 1. 2. 3. & 4.

Consuetudo locorum vt reus in publico accusetur, defendatur, & condemnetur. art. 88 *n.* 3. *an tolerabilis. n.* 4. *cur de iure Bauarico sublata, & quid aliud inductum n.* 5.

Consultationes sine sumptu partium an facienda. art. 72. *n.* 38. 39. 43. 44.

Consultationes debent fieri cum aliqua facti informatione. art. 7. *n.* 6.

Consultationis modus, ante diem ferenda sententia. art 81. *n.* 1.

Continentia causa diuidi non debet. art. 12. *n* 20.

Contumacia in criminalibus non habetur pro confeßione. art. 62. *n.* 16.

Conuictus si fateri nolit quid faciendum. art. 69. *n.* 1.

Conuictus, licet non confessus, damnari & puniri potest. art. 9. *n.* 3. *etiamsi per imperitiam tortus persistat in negatione, n.* 4. *non tamen pœna ordinaria. n.* 5.

Conuicti torqueri nequeunt (ad euitandam appellationem, qua in criminalibus permissa non est. artic. 16. *num.* 10. 11.) *sed condemnari debent. num* 12. 13.

Conuersatio frequens cum magis & veneficis conuictis quid operetur. art. 44. *n.* 3.

De Conuocatione assessorum ad capitale iudicium. art. 80. *vid. capitale.*

Copia confeßionis cur concedenda. art. 47. *n.* 54. 55.

Copia indiciorum reo danda. art. 47. *n.* 16. *quare. n.* 17. *etiam non petenti. n.* 20. 22. *praxis contraria an toleranda. n.* 18. 19. *quando negari poßit, distinctio Bauarica, & quomodo nomina testium, eorumq́ depositiones edenda. n.* 23.

Copia testimoniorum pro tolerabili pretio concedenda. art. 73. *n.* 16. & 17. *expreßis testium nominibus. n.* 18. 19. *saltem separatim, si rei antea in statu honesto vixerunt. n.* 20. 21. *in famosis autem furibus aliisque vagabundis, sæpe ab ordine iuris receditur. n.* 20. 21.

De Corpore delicti constare non debet in iis, qua nulla relinquunt vestigia, & quibusdam aliis. art. 6. *n.* 38.

De Corpore delicti quando & quomodo constare debeat, antequam ad capturam, torturam, vel condemnationem procedatur. art. 6. *n.* 39.

Criminales causa intra biennium finienda. art. 77 *n.* 4.

Criminales causa cur ardua & periculosa, in prafat. n. 34.

Criminales causas quibus Romani commiserint? cur tantum maioribus Magistratibus? in prafat. n. 17. 18.

In Criminali iudicio, quot persona interueniant, art. 1. *n.* 1.

Criminalia iudicia & sanguinaria cur multi fugiant. in præfat. n. 19.
In Criminalibus causis diiudicandis, quo ordine consuetudo, statuta localia, Carolina, & Ius commune sit sequendum. in præfat. num 35. 36. cum seqq.
In Criminalibus iudicijs constituendis cur magna diligentia adhibenda. art. 1. n. 16 17. 18.
Curiosa & minutissima quæq; non sunt interroganda, art. 54. n. 6. 7.

D.

Damnatus an adhuc testari, & de rebus suis disponere possit. art 79. n. 5.
Damnato triduo ante executio denuncianda est, & quare. art. 79. n. 3. 4. & 8. per quem & quomodo. n. 9. 10.
Dandum est aliquid occupationibus hominum. art. 17. n. 4.
Decretum torturæ, torturam præcedere debet, art. 45. n. 7. Vt reus appellare possit. n. 8,
Decretum torturæ an sententia definitiua, art. 45. n. 8. an verò interlocutoria appellabilis. n. 9. an omitti possit. n. 10. & seqq.
Decreti torturæ formula remissiuè. art. 45. n. 17.
Decreto torturæ dies inferendæ torturæ inserenda, art. 45. n. 25.
Defensio reo permittenda ante torturam. art. 47. n. 1. art. 13. num. 10. 11. etiamsi appareat iniusta. n. 13.
Defensio & innocentiæ assertio reo vel propinquis eius, sine magna causa non est deneganda. art. 47. n. 38. etiam in atrocissimis. n. 39. 44. nisi appareat manifestè calumniosa. n. 40. 41.
Defensio rei an in scriptis fieri possit. art. 90. n. 12. 13.
Ad Defensionem quo tempore reus admittendus, art. 47. n. 45. cur vsq; ad executionem. n. 46. cur expediat ante torturam fieri n. 47.
Defensionem suam quomodo reus non confessus, vel releuantibus circumstantijs munitus proponere possit. art. 90. n. 7. 8.
Defensiones rei iudex ex officio quærere potest, & quare. art. 47. n. 2. 3.
Defensiones releuantes, si reus exhibere velit, aut testes producere, audiendus est, art. 74. n. 1. 2. in qualibet parte iudicij, etiam post testimoniorum publicationem, conclusionem in causa. num. 3. 4. 5. 6. & sententiam n. 7.
Defensor rei quod discrimen in sua solenni defensione facere debeat. art. 90. n. 1.
Per Defensorem suum, quid, & quomodo reus proponere possit. art. 90.
Delatores, qui reum per se, vel alium detulerunt, vel diffamârunt idonei testes non sunt. art. 66. n. 12,
Delegare, vel alios substituere, iudices criminales an possint? art. 2. n. 5. & 10.
Delegari olim an potuerit gladij potestas. art. 2. n. 2. quare non. num. 3. & quando. n. 7.

Delinquens coram iudice officium exercente, & pluribus aliis, absque alio processu condemnari potest. art. 16, n. 54. tutius tamen est recipere probationes. n. 55. ratio, n. 56.

Denunciatio & indicatio socii facit indicium ad inquirendum, artic. 31. n. 7. non tamen ad torturam. n. 8. 9. ne tunc quidem, si duo vel plures correi contra aliquem deponant. n. 10. nisi concurrentibus quinque aliis adminiculis. n. 11. & seqq.

Denunciatio complicum cur ad torturam non sufficiat, art. 44. num. 43. quando faciat indicium, art. 44. n. 40. 41. 45.

Denunciationis revocatio an, quando, & quatenus attendenda. artic. 31. n. 23. & seqq.

Ex Denunciationibus sagarum pluribus concordantibus an quis condemnari possit? art. 67. n. 8.

Depositiones testium, & confessiones reorum verbis formalibus in senatu legenda, & quare? art. 81. n. 4. 5.

Deprecatio & transactio non inducunt probationem capitalis delicti. art. 62. n. 15.

Deprehensio in flagranti, quam vim probandi habeat. art. 62. n. 11.

Deprehensio quot modis fiat. art. 16. n. 21.

Deprehensus a Iudice solo non potest condemnari. art. 16. n. 41. 42. an tunc, si deprehendatur cum familia. n. 43. data ad id opera. n. 45 46.

Deprehensus à ministris publicis non potest statim condemnari, art. 16. n. 22. an, & quando ob leviora delicta, n. 24. 25. 26. an torqueri? num. 27. quando sic.? n. 28. 29. 30. an iuramento purgationis sit locus. n. 31.

Deprehensus ab alio, & ab eo denunciatus, torqueri non potest, art. 16. n. 32. ratio 33. 34.

Deprehensus ab vno, & ab alio diffamatus torqueri potest. art. 16. n. 35. ratio. n. 36.

Deprehensus & denunciatus à pluribus quandoque torqueri non potest. art. 16. n. 37. quandoque potest, si denunciantes non sint lasi, & viri honesti. num. 38.

Deprehensus à pluribus, sed non denunciatus, condemnari potest. art. 16. num. 39.

Deprehensus à iudice & aliis, neque condemnari statim, neque torqueri, sed interuenientes examinari debent. ratio. art. 16. n. 47. 48 49.

Deprehensi an statim condemnari possint. art. 16. n. 14. an verò torqueri, si negent. n. 15. an semper. n. 16.

Dies sacer vel festum non est constituendus pro definienda causa, & quare. art. 78. n. 8. 9.

Dilatio reo an, & quando copiis concessis indulgenda. art. 47. n. 24.

Dilatio congrua partibus concedenda art. 73. n. 23. 24. 25.

Dilationes quot in causis criminalibus permittenda, art. 73. n. 26.

Dilationes superuacuæ non sunt dandæ. art. 77. n. 3.
Directorium quid prosit. art. 70. n. 6.
Diuersæ pœnæ propter vnum delictum an imponi poßint. art. 85. n. 6.
Diuinator vel magus non facit indicium, si quem furem, vel aliàs nocentem dixit. art. 21. n. 1. & 9.
Doctores præ alijs iudicare & cognoscere debent de causis criminalibus. art. 1. n. 12. 13. 14.
Contra Domesticos præsumitur, si delictum in domo. art. 25. n. 14. & contra vicinos, si in viciniâ commissum. n. 16. 18. non tamen solum id sufficit, ad torturam, absque alijs adminiculis. n. 15. 17. 19. & facilè elidi potest per contrarias coniecturas. n. 20. 25.
In Dubio quando non constat, an indicia sint sufficientia ad torturam, requirendus superior magistratus, vel ICti. art. 7. n. 1. 2.
In Dubio melius est superfluum admittere, quàm necessarium omittere. art. 81. n. 6
In Dubijs iuris ad Principem recurrendum. art. 7. n. 3.

E.

Eleuationi in eculeo quando locus sit. art. 58. n. 39.
Emißio sanguinis, ex occisi vulnere adducto reo promanantis, an indicium faciat. art. 33. n. 21.
Euidentia aliquando circa ipsum delictum, aliquando circa indicia versatur. art 16. n. 20.
Euidentia facti quomodo inducatur. art. 25. n. 28.
Euidentia facti quid operetur. art. 62. n. 22.
Examen testium an alijs committi poßit? art. 70. n. 7.
Examen magis idoneis committendum, & cui? art. 72. n. 1.
De Examinatoribus testium. art. 71.
De Examinatione & productione testium. art. 70.
In Examinandis testibus quis modus seruandus? art. 70. n. 1.
In Examinandis testibus attendi debet ad vocem, vultum, & externos gestus. art. 71. n. 4. 5. 6. item ad variationem & vacillationem. n. 7.
In Examinandis testibus quanta diligentia adhibenda? & quare. art. 72. num. 36.
Excipere licet publicatione facta contra personas, & dicta testium. art. 73. n. 35. 36.
Excusationes quomodo proponendæ? art. 13. n. 5.
De Executionis die reo denuncianda. art. 79.
In Executionis processu sufficit summaria petitio. art. 12. n. 24.
De Executoris interrogatione post factam executionem, & iudicis responso. art. 98.
Executionem iudex quidem suspendere, sed reum semel condemnatum ab-

soluere non potest. art. 103. n. 24. 25. Principi autem scribere. n. 26.
Eximentium de manibus iustitia condemnatum, pœna. art. 97. n. 3.
Ad Expensas condemnatus accusator, an appellare possit? art. 12. n. 17. 25. 27.
Expensarum quæstio coram quo iudice proponenda. art 12. n. 14. & cur coram iudice tam ordinario accusatoris, quàm accusationis, n. 15. 16. 19. 20. 21. 22.
Expensarum quæstio summariè decidenda art. 12. n. 23.
Ab expensis quandoque accusator succumbens excusatur. art. 12. n. 29. 30. 31. 32.
De Expensis cognoscit iudex criminalis, de reliquo autem nullam cognitionem in causis ciuilibus acquirit. art. 12. n. 36.
Extraordinaria pœna imponenda est, vbi nulla certa definita est. art. 1. num. 25.

F.

Falsi testes pœna talionis tenentur. art. 68. n. 1. & quare. n. 2. 3. 6.
Fama an faciat indicium. art. 25. n. 7. cur non sola, & quæ adminicula habere debeat. n. 8. 9. 10. 11.
Fama sola cur sine aliis adminiculis nihil operetur. art. 44. n. 13.
Fama vnico teste de facto ipso loquente, an faciat indicium. art. 21. n. 8.
Ad Famæ probationem quot testes sint necessarij, art. 6. n. 11.
In Famosis furibus, alijsq; vagabundis sæpe ab ordine iuris receditur. art. 73. n. 20. 21.
De Formularum variatione. art. 95.
Fuga quando faciat indicium art. 25. n. 26.
Fuga indicium facit post delictum commissum. art. 25. n. 52. ad inquisitionem. n. 53. non tamen ad torturam. n. 54. sed debent alia adminicula accedere. n. 55. quomodo elidi, & colorari possit. n. 56.
Fuga an, & quando faciat indicium magis. art. 44. n. 39.
Fuga crimen non plenè probat. art. 62. n. 14.
Fugiens è carcere, quando puniatur, vel non, vel pro confesso habeatur. art. 25. n. 58. 59.
Fugiens post commissum homicidium, ante inquisitionem, quando torqueri possit. art. 34. n. 12.
Furti indicia plura remissiuè. art. 42. n. 16.
Furti indicia quænam sint. art. 43. per tot.

G.

Generalis exclusio intelligitur de friuolis exceptionibus. art. 12. n. 32.
Gestus suspectos testium iudex annotare debet. art. 71. n. 9.
Gladij potestas, quibus olim competierit, an potuerit alijs delegari, quare non. quando autem, quibus hodie competat. art. 2. n. 1. 2. 3. 7. 4.

Haustus

H.

Haustus porrigendus reo dum ad supplicium educitur. art. 79. n 18. *sed non nimius.* n. 20. 21.

Homicidij in rixa commissi indicia quæ sint. art. 34. n. 1. & *seqq.*

Homines otiosi perpetuò in diuersorijs commorantes, & facultatibus destituti, præsumuntur viuere ex furtis & rapinis. art. 39. n. 1. *si ergo latrocinia, & furta commissa fuerint, sub tormentis interrogari possunt.* n. 2. *ratio.* n 3.

Hospitio suscipiens, sciens & volens fures & raptores nullâ necessitudine coniunctos, auxilij ad furtum & rapinam præstiti suspectus est. art. 40. n. 3. 15. 17. 16. *vid. plura Recipiens.*

I.

Idonei testes non sunt scelerati & criminosi. art. 66. n. 4. *qui non sunt probatæ vitæ, & opinionis, vel bonæ conuersationis.* n. 6. 7. 8. 9. 10.

Ignorantia iuris iudicem non excusat. art. 72. n. 40 41.

Illustres per procuratorem agere & accusare possunt. art. 14. n. 17. 18. 19. 20. 21.

Imperiti peritiores consulere debent. art. 72. n. 37.

Imperfectæ probationes coniungi possunt ad effectum torquendi, non etiam puniendi. art. 27. n. 3.

Impuberes testes esse non possunt. art. 66. n. 38. *nec minor* 20 *annis.* n. 39. & *quare.* n. 40.

Incendij indicium est, si homo malæ opinionis præparauerit, vel tractauerit occultè, materias ignem concipientes, vel fouentes. art. 41. n. 1.

Incognitus de facie quomodo ex alijs indicijs cognoscatur. art. 25. n. 27. 28.

Indicium vnum aliquando ad torturam sufficit. art. 20. n. 11. *etiam remotum.* n. 12. & *quare* n. 13.

Indicium præbet vita malè acta, & qualitas personæ. art. 15. n. 4.

Indicium, præsumptio, coniectura an differant. art. 19. n. 4.

Indicium vnum ad torturam non sufficit, sed requiruntur plura. art. 20. n. 7. *nisi sit valde vrgens.* n. 9. 15.

Indicia delictorum vnde petantur. art. 18. n. 2. *nullis certis legibus definiri potest, & quare.* n. 3, 4.

Indicia quænam sint sufficientia arbitrio iudicis relinquitur. art. 18. n. 5.

Indicia ad torturam debent esse legitima, & tam exquisita, vt nihil præter confessionem rei desit. art. 20. n, 4. *facere debent semiplenam probationem.* n. 5. *ratio* n 6.

Indicia per contrarias præsumptiones, vel probationes possunt elidi. art. 33. num. 17.

Indicia probari debent per duos testes, licet propinqua sint, & delictum proximè inferant. art. 33. n. 20. art. 20. n. 17.

Indicia non expressa, expressis aequipollentia ad torturam sufficiunt. art, 34. n. 7. & iudicis arbitrio subiacent. n. 8

Indicia quotuplicia. a. 25, n. 1. & 2. specialia praeualent generalibus. n. 3.

Indicia singula. art. 23. n. 1. non tantùm allegari, sed etiam probari debent, vt reus possit torqueri. n. 4. per duos testes. num. 2. idoneos. n. 3. omni exceptione maiores? n 8. 9. 10. art. 30. n. 9.

Indicia ad torturam sufficientia debent facere semiplenam probationem. art. 6. n. 31.

Indicia remota vix sufficiunt ad torturam. art. 27. n. 1. nisi quando plura concurrant. n. 2.

Indiciorum appellatione quid veniat. art. 19. n. 2. & 6.

In indicijs propinquis probandis, an duo testes requirantur. art. 20 n. 19.

Indicijs grauatus reus non statim torquendus, sed fons & occasio suspicionum discutienda, & praesumptiones pro reo stantes examinandae. art. 28. num. 1.

Ex Indicijs nemo torquendus, si possit ea aliquâ defensione elidere. art. 41. num. 8.

Ex indicijs etiam indubitatis nemo condemnandus. art. 44. n. 48.

Infanticidij indicia quae sint. art. 35. n. 1. & seqq.

Infames non possunt esse teste s. art. 66. n. 11.

Inimic itia quando indicium faciat art. 25. n. 32. & seqq.

Iniuriâ affectus, quando & quare de homicidio fiat suspectus. art. 34. n. 17. & 14.

Iniuriarum actio datur contra iudicem iniustè torquentem. art. 20. n. 32. adhuc durante officio. n. 33. 34. etiam vltra annum. n. 35.

Iniuriarum tenetur iudex aliquem ob indicia à magis petita torquens. art. 21. n. 16.

Si Innocens fuerit deprehensus reus legitimè tortus, quid faciendum. artic 61.

Innocentia varijs modis ostendi potest. art. 47. n. 7. per testes etiam non omni exceptione maiores. n. 8. per praesumptiones. n. 9. 10. per iuramentum purgationis. n. 11. an per causas non verisimiles redditas. n. 12. 13. & 14. per elisionem indiciorum. n. 15.

Insimulatio & inculpatio laesi vel vulnerati iam moribundi indicium facit. art. 25. n. 47. ad inquisitionem, & quandoque ad capturam. n. 48, 49. non tamen ad torturam. n. 50. nisi alia adminicula accedant. num. 51.

Inspectio inhonesta, an, & quando permissa. art. 35. n. 8.

Ex Inspectione cognosci potest, an mulier pepererit. art. 35. n. 11. vid. art. 36. num. 5.

Instantia in ciuilibus triennio, in criminalibus biennio perit. art. 77. n. 5. in illis tamen actor iterum auditur. n. 6. in his accusator non item. n. 7.

Instantia temporis an de consuetudine seruetur. art: 77. n. 8. 9. an in inferioribus tribunalibus seruandum? n. 10.
Instrumenta & ferramenta ad reserandum parata tractare visus prabet indicium furti. art: 43. n. 7. ratio. n. 8.
Interpellatio rei ante torturam quomodo facienda? art. 46. n. 6. 7. & 8.
Interrogandi formula in consessu solemni. art: 84. n. 2. 3. 4. 5. 6.
Interrogatoria ex inquisitione extrahi. art. 56. n. 7. & prius in senatu recitari debent. n. 9.
Interrogari quomodo debeat reus? vide Confessus quomodo & Curiosa.
De Interrogationibus inutilibus, & minus necessarijs amputandis art: 100.
Iudex nec clementia nec seueritatis gloriam affectare debet. in prafat: n. 22.
Iudex iustitiam administrare debet, aeque pauperi ac diuiti. art: 3. n. 5. & non habere acceptionem personarum n. 6. nihil tribuere odio, amicitia, affectui, donis. n. 7. manus puras à muneribus conseruare. n. 9. & 11.
Iudex ex se ipso quarere debet defensionem rei. art. 28. n. 2.
Iudex criminalis debet esse iuratus, & quare. art. 3. n. 1. 2. & 4.
Iudex cur bacillum, gladium vel sceptrum, portet, art. 82. n. 11. & prasidere debeat, donec omnia fuerint peracta. n. 12. 13.
Iudex criminalis de expensis cognoscit, de reliquo autem nullam cognitionem in causis ciuilibus acquirit. art. 12. n. 35.
Iudicem cuncta rimari oportet. art. 17. n. 4.
De Iudice cur primo loco agatur. art. 1. n. 2.
Iudices criminales quales esse debeant. art. 1. n. 3. & seqq.
Iudicium capitale quibus solennitatibus peragendum. art. 82. n. 1.
Iuramenti quod Iudex criminalis praestare debet, forma. art. 3. n. 3. & 12.
Iuramentorum formula hodie & antiquitus vsitata. a. 3. n. 15. 16. 17. 18. 19.
Iuramentis cur adijciatur clausula: sine fraude & dolo, *& altera:* sic me DEVS adiuuet. *art: 3. n. 13. 14.*
Iurisconsulti quam exosi fuerint aliquando apud Germanos & quare. in prafat. n. 13. 14.
Iurisdictiones non debent confundi. art: 12. n. 36.

L.

Lac in mammis puella suspecta existens, quando indicium faciat. art: 36. n. 1. & an sit signum virginitatis corrupta. n. 2. an non ex alia causa fieri possit. n. 3. 4.
Laqueo rupto an reus liberandus? in append: n. 9.
Latrunculator de re pecuniaria iudicare non potest. art. 12. n. 34.
Lis de omnibus vel maiore parte bonorum indicium facit. art. 26. n. 2. non tamen sufficiens ad torturam. n. 3. & facilè per contrarias allegationes elidi potest. n. 4.
Litera mutui compassus quid? art. 72. n. 23. & vnde dicta. n. 24.

Ex Loco ad delinquendum apto quando sumatur indicium. art. 25. n. 12. 13.

Locus indicij tutus esse debet etiam aduocatis, & procuratoribus & testibus. art. 76. n. 2. 3. inde exceptio loci non tuti. n. 4.

M.

Magia & incantationis indicia: art. 44.

Magia indicia ad inquisitionem sufficientia. art. 44. n. 47.

Magiam confessus, quomodo interrogandus. art. 52. n. 1, cur de magistris. n. 16. 17.

Magus. Vid. diuinator.

Magos consulens quomodo puniatur? art. 21. n. 10. cum seqq.

Magi siue diuinatores furta indicantes quomodo? art. 21. n. 11. 12. 13. 14. 15.

Magos consulens quomodo puniatur? art. 21. n. 10. cum seqq.

Ob Magorum denunciationes non est descendendum ad capturam, vel torturam, & quare. art. 21. n. 3. 4. 5. 6. 7.

Magistratus qui opera imprudentum vel imperitorum iudicum vtitur, pœna. art. 1. n. 24.

Magistratus inferiores non debent omnes iuris apices. art. 72. n. 42. sed iudiciarij ordinis solennitatem scire. n. 44.

Malefactores & nocentes cur puniendi? in præfat. n. 21.

Manifestum delictum si reus neget, quid faciendum. art. 36. n. 1. 2. an torquendus & quare. n. 3. 4.

Manus si reo debeat amputari, sinistra amputanda, & quare. in append. n. 31. 32.

De Maturando processu. art. 77.

Mendici validi, circumforanei, & Zingari quam suspecti. art 39 n. 7. 9. cur non tolerandi. n. 8.

Mendicorum discrimen quod seruandum. art. 39. n. 10.

Mentiri an magistratui liceat. art 37. n. 15.

Mendacium cum alijs adminiculis facit indicium ad torturam. a. 55. n. 6.

Merces examinatorum & scribarum. art. 73. n. 22.

Mercedem viatori ad se currenti accusator soluere debet. art. 17. n. 5.

Milites palantes & errones Die Herrenlose gartende Knecht quam sint suspecti, & quare art. 39. n. 4. 5 6.

Minæ indicium faciunt, si malum comminatum fuerit secutum. art. 25. n. 41. ad inquisitionem, non tamen semper ad torturam. n. 42. 43. Sed debent alia adminicula accedere. n. 44.

Minæ an, & quando faciant indicium. art. 32. n. 8. & seqq.

Minæ quid operentur? art. 44. n. 2.

Minitans incendium eo subsecuto indicium præbet, si sit homo aliàs suspectus. art. 41. n. 9. 10.

Minores 14. an: non nisi virgis castigandi cum discretione. art. 48. n. 3. 4. 6.

Modus

Modus procedendi per viam inquisitionis, vel denunciationis. art. 8. n. 1. 2.

Modus in probatione & cognitione seruandus, si reus ex officio magistratus apprehendatur. art. 9. n. 1. 2.

Mulier de iure canonico non potest esse testis in criminalibus. art. 66. n. 32. sed de iure ciuili. n. 33. nisi in casibus exceptis. n. 34. distinctio Doctorum. n. 36. in depositione mulierum ad quid attendi debeat. n. 37.

Mulier pregnans terreri, vel torqueri non potest. art. 59. n. 3. ne quidem per 40. dies post partum. n. 4.

Mulieres de iure non incarcerantur. art. 11. n. 24. sed de consuetudine. n. 25.

Multitudo scripturarum quomodo restringenda. art. 73. n. 47.

Munera an accipere liceat iudici. art. 3. n. 10.

Mutui compassus litera quid? art. 72. n. 23. & vnde dicta. n. 24.

N.

De Negationis effectu in tortura facta. art. 61

De negatione delicti iam antea confessati. art. 91.

In Negatione persistens reus dimittendus est. art. 61. n. 1.

Si Neget reus manifestum delictum. quid faciendum. art. 16. n. 1. 2. an torquendus, & quare? n. 3. 4.

Nemo potest esse simul in duobus locis. art. 47. n. 5.

Nobiles an iudicijs criminalibus præsidere, vel assidere poßint, saluo statu suo. art. 1. n. 26. 27. 28. 29. & cur debeant. n. 30. 31. 32.

Notorietas & deprehensio an idem? art. 16. n. 17.

Notorietas circa ea, quæ delictum antecedunt, vel sequuntur, non ad condemnationem, sed quandoq; ad torturam sufficit. art. 16. n. 57.

Notorium quid sit, & quis eius effectus? art. 16. n. 18.

Notorium dicitur, quod est coram decem factum. art. 16. n. 19.

O.

Occasio huius constitutionis condendæ. in præfat. n. 7.

Opera hominum imperitorum, & officialium socordium vtens, cur pœnam mereatur. art. 1. n. 21. 22. 23.

Ordo iuris & processus. art. 78. n. 3.

P.

Paciscens suo vel alieno nomine, quando se delicti suspectum reddat. art. 40. n. 1.

Palam & notoriè reus delinquens, an statim condemnari poßit. art. 16. n. 50. 51. 52. an torqueri. n. 53.

Pariens fœtum mortuum, clam & remotis arbitris, & postea occultans suspecta est de infanticidio. art. 36. n. 6.

Participans de rebus furtiuis, aut raptis, auxilij ad furtum & rapinam præstiti suspectus est. art. 40. n. 1.

Peritiores consulendi. art. 7. n. 4. 5.
In Perplexis iudex prudentes consulere, vel rem ad superiorem referre debet. art. 28. n. 6.
Personæ viles & leues quæ dicantur? art. 25. n. 5.
Plebei & illiterati an rectè causas criminales tractent? cur olim fuerint tolerati? in præfat. n. 8. 9. 10. 11. 12.
Plebei & illiterati iudices quæ mala causauerint, quàm iniqua & Reipub. perniciosa. in præfat. n. 19. 20.
Pluralis locutio singulari non acquiescit, duorum autem numero contenta est. art. 20. n. 8.
Possessionis causam quando quis dicere teneatur. art. 38. n. 2.
Si Pœna propter inhabilitatem rei non possit dari executioni, quid iuris, in append. n. 21. an iudex possit in aliam mutare. n. 22.
Pœna amputationis manûs an locus sit, si vnam tantùm habeat? in append. n. 27. 28. 29. 30.
Pœna minantis incendium. art. 41. n. 11.
Pœna iudicis innocentem torquentis quæ? art. 61. n. 30. 31. 32. 33.
Pragmaticæ sanctiones quæ, & an Carolina talis. in præfat. n. 29.
Præparatoria apta ad delinquendum, arguunt delictum subsecutum. art. 41. n. 2. exempla. n. 4. 5. 6. nî præparans finem licitum demonstrare possit. n. 7.
Præsentia rixæ sola non facit indicium. art. 34. n. 6.
Præsentia sola, visitatio, transitio, frequentatio ad torturam non sufficit. art. 25. n. 23. 24.
Contra Præsentem in loco delicti perpetrati, oritur præsumptio, vel transeuntem. art. 25. n. 21. vel locum sæpius frequentantem. n. 22.
Præsumptiones sufficiant ad torturam. art. 22. n. 16.
Præsumptiones & indicia an & quando probent in criminalibus. art. 62. n. 18. 19.
Ex Præsumptionibus & indicijs nemo condemnandus. art. 22. n. 1. ni præsumptiones sint violentæ iuris, & de iure, quæ lege pro idoneis habentur. art. 22. n. 4. 6. vel nisi crimina sint occulta, & difficilis probationis. n. 7. 8. 9. non tamen capitaliter. n. 10. & 15. an in rebus ad statum pertinentibus? n. 14.
Præsumptiua Rei probatio contrariam accusatoris probationem tollit. art. 28. n. 5.
An Præsumatur iudex in dubio legitimè torsisse? art. 61. n. 34.
Probatio innocentiæ etiam post sententiam admittitur, vsq; ad realem executionem. art. 103. n. 22.
Probatio ante & post torturam fieri potest. art. 62. n. 21.
Probatio sufficiens quæ sit. art. 22. n. 23.
De Probatione delicti. art. 62.

Probatio

Probationum tres species in criminalibus. art. 16. n. 8.
Ad Probandum certum tempus iudex aßignare potest. art. 12. n. 12. 13.
Quomodo Probentur delicta. art 62. n. 6. *an per literas, & instrumenta?* n. 7. 8. 9.
Processum maturare debent iudices? art. 77. n. 1.
Procurator an in criminalibus internenire poßit? art. 88. n. 9. 15.
De Procuratoribus in solenni & publico capitali iudicio adhibēdis. art. 88.
Proditionis indicia quæ? art. 42. per tot.
Proditionem inter spontaneam & necessariam discrimen. art. 49. n. 5.
Præmium iudicum criminalium. in præfat. n. 46. & 49.
De Publicatione testimoniorum post examen facienda. art. 73. n. 1.
Publicationis effectus est, vt eâ factâ testes non poßint amplius produci. art. 74. num. 5.
Publicatione factâ excipere licet contra personas & dicta testium. art. 73. n. 35. 36.
Pro publicatione attestationum partibus dies constituendus, eaq; citanda. art. 73. n. 12. *præsertim illa pars, contra quam testes, producuntur.* n. 13. *ratio.* n. 14. 15.

R.

Rapina indicium præbet, res rapta inuenta apud aliquem, si auctorem suũ non indicet. art. 38. n. 1. & 3.
Ratificatio confeßionis quomodo fieri debeat. art. 56. n. 11.
Ratificatio ob quas rationes requiratur? art. 56. n. 12. 13. 14.
Ratificatio ad bancum quando facienda. art. 56. n. 21. *non statim vel paulò post torturam.* n. 22. *sed post interuallum.* n. 23. *duorum vel plurium dierum.* n. 24. 25. *pro discretione iudicis.* n. 26. *& qualitate torturæ, vel tormentati* n. 27.
Ratificatio vbi fieri debeat. art. 56. n. 28. *in loco tuto, vbi reus instrumenta torturæ videre non poßit.* n. 29. 30.
Ratificatio quibus præsentibus fieri debeat? art. 56. n. 32. 33.
Ratificatio an sit necessaria, si reus delictum extraiudicialiter sit confessus. art. 56. n. 34. 35. 36. 37.
An Ratificanda spontanea confeßio. art. 56. n. 15.
Receptatores quâ pœnâ affici poßint? art. 40. n. 11. 12. 13.
Recipiens res furtiuas, & raptas auxilij ad furtum & rapinam præstiti suspectus est. art. 40. n. 4. & 14.
Recipiens vel occultans scienter & dolosè fures & latrones, è carceribus elapsos, auxilij ad furtum vel rapinam præstiti, suspectus est. art. 40. n. 18. & 21.
Reconuentionis æquitas art. 12. n. 21.
Reiteratio torturæ an sit in arbitrio iudicis? art. 58. n. 72. 73.

Religiosi viri quomodo reo damnato aßistere debeant? art. 79. n. 15.
Repetere torturam iudex intendens quomodo interloqui debeat? art. 58. num. 61.
Repeti tortura quando poßit? art. 58. n. 62. cum seqq. vid. Tortura repeti potest.
Res interfecti tenens vel alienans an praebeat indicium. art. 33. n. 10.
Res rapta inuenta apud aliquem, vel ab eo alienata, indicium rapina praebet, si auctorem suum non indicet. art. 38. n. 1. & 3.
Res relicta in loco perpetrati delicti, quae demonstretur esse rei accusati, vel inquisiti, facit indicium. art. 29. n. 2. nisi alijs argumentis suam innocentiam docere, & indicia elidere poßit. n. 3. 4.
Res suspecta apud aliquem reperta suspectum facit. art. 33. n. 11. si sit homo malae conditionis n. 12. 13. 14. 15. 16.
Responsio assessorum in solenni consessu. art. 84. n. 11. 12.
Reuocans confeßionem suam an, & quando, & quoties torqueri poßit. art. 57.
Reuocatio denunciationis an, quando, & quatenus attendenda? art. 31. n. 23. & seqq. quid si autem denunciatus post exculpationem fateatur? n. 28.
Reuocatio in foro externo non attenditur post sententiam. art. 103. n. 19. n. 20. nisi reus per euidentiam facti demonstrare posset, delictum vel omnino non, vel ab alio perpetratum. n. 21.
Reuocare debet reus in foro conscientia post definitiuam, si crimen falsò sibi impositi, art. 103 n. 16. 17. nisi quando nulla spes veniae, & metus grauiorum tormentorum imminet. n. 18.
si Reuocauerit reus in vltimo ferali die confeßionem ante factam, quid faciendum? art. 91. n. 1. & quid si post sententiam? art. 91 n. 14.
Reus in ratiocinijs ibi se defendere cogitur, vbi res gesta est. art. 12. n. 22.
Reus damnatus per triduum lautius nutriendus. art. 79. n. 17.
Rixosus an torqueri poßit super homicidio in rixa commisso? art. 34. n. 11.

S.

Sacerdotes reo adiungendi, dum ad supplicium educitur. art. 102. n. 4. 5. 6.
Saluus conductus quid? vid. securitatis promißio.
Saluum conductum contra violentiam facti non iuris iudex concedere potest. art. 76. n. 7. 9. & denegare debet, si non verisimiliter periculum timeatur. n. 10. iudex non potest securitatem promittere contra iudicium publicum, sed solus Princeps. n. 11. 12.
Saluo conductu non obstante, an impetrans reus repertus puniri poßit? art. 76. n. 16.
Sanguinaria, vid. criminalia.
De Sanguine humano iudicare an piaculum? in praefat. n. 16.

An Satisdatio in grauioribus reū liberet à carcere, a.11. n.19.20.21.22.23.
Satisdationem qui offert, carcerari non debet in leuioribus. art.11. n.16.
Satisdatione præstita an possit accusator à loco iudicij recedere. art.17. n.1.
Satisdare qui non potest, suæ iuratæ promissioni relinquitur. art.11. n.17 18.
Satisdare si non possit accusator, carceri vel custodiæ mandari debet. art. 14. n.1. an adhuc hodie. num.3.5. iuxta facti & personæ qualitatem. n.4.6.
Scribæ iudiciorum quomodo appellentur, & quod eorum officium. artic.5. n.1. quæ illorum necessitas. n.2. & vtilitas n.3.4. an debeant esse iurati n.5. quomodo iurent. n.6. & quare. n.7. Scribæ officio quid incumbat? remissiuè. n.8.
Scripturam sacram cur Iustinianus voluerit in iudicijs reponi? art. 83. n.5.6.7.
Securitatis promissio quid? art.76. n.5. vnde nomen habeat, auctores de saluo conductu scribentes. n.6 forma n.8.
De Sententia concipienda & formanda. art. 92.
Sententia concipienda actis, & iuri conformis, art.92. n.1.2.3. non secundum propriam scientiam. n 4.
Sententia contra leges lata est nulla. art. 92. n. 7.
Sententia in scripturam redigenda. art. 92. n.8.9.
Sententia quomodo publicari debeat? art. 94.
Sententia alta voce per actuarium legenda art. 94. n.1. iure communi ab ipso iudice proferenda. n.2. exceptis illustribus personis n 4. cur in præsentia vtriusq; partis. n.4. Si per viam accusati processum est. n.5. cur ex scriptis recitanda. n.6.7. genus pœnæ cur in sententia exprimendum, & quomodo. n 8.
Signum crucis præferendum, si reus ad supplicium educitur. & quare? art. 102. n.7.8.
Silentium eius, qui de maleficio insimulatur, an indicium faciat? art.44. n.38.
De Similibus ad similia procedendum. art. 14. n.1.
Socius criminis an possit interrogari de socio. art. 31. n.1. & quare non de iure communi. n.2. nisi in exceptis. n.4.
Socij denominatio cur non faciat indicium ad torturam? art. 31. n. 3.
Societas, familiaritas, & conuersatio cum facinorosis indiciū facit. art. 25. n. 29. non tamen sufficiens ad torturam. n.30. & facilè elidi potest. n. 31.
De Solenni iudicum consessu, & signo dando. art. 82.
Spes commodi ex delicto exspectati indicium remotum facit. art.25. n.45. non sufficiens per se ad torturam. n. 46.
Squassatio quando in tortura vsurpetur? art. 58. n. 40.
Status Imperij cur iudiciorum criminalium emendationem petierint? in præfat. n. 25.

Subsi-

Subsidiales cur vocentur literæ mutui compaßus? art. 72. n. 25. 26. & 28.
Substituere. vid. delegare.
Substituere alios possunt, & debent, quibus iudicandi vel aßidendi munus ratione honorum competit: cum præscitu tamen superioris. art. 2. n. 6. 7.
Substituere ob quas causas alium liceat? art. 2. n. 8.
Suggestiua interrogatoria damnantur. art. 56. n. 1. 2. 8. reus in genere, non in specie interrogandus. n. 3. exemplum. n. 4.
Per Suggestionem *extorta confeßio nulla est. art. 56. n. 5. & quare. n. 6.*
Sumptus testium is, qui produxit, sustinere debet. art. 75. n. 1, 2. 3. tales, qui pro congruo victu, & itinere necessarij sunt. n. 4. operarijs etiam diuturna merces. n. 5.
Sumptus quanti præstandi plebeis. art. 75. n. 6. quanti honestioribus. n. 7. 8. secundum qualitatem & conditionem personæ. n. 9. 10.
Sumptus, quos quis domi facturus esset, non deducuntur. art. 75. n. 11.
Sumptus testibus ab initio præstandi. art. 75. n. 12.
Sumptus & molestia iudiciorum euitanda. art. 77. n. 2.
Sumptus quis præstet, si reus, vel eius propinqui præstare non poßint? art. 47. n. 42. cur magistratus. n. 43.
Sumptus quis debeat sustinere post relaxationem rei. art. 61. n. 22. & seqq.
Sumptus iudiciorum euitandi. art. 73. n. 8.
Sumptus qui soluant, si consilium ICtorum exquirendum. art. 81. n. 10. 11.
Superfluitas resecanda. art. 100. n. 3.
Syndicatus remedium quale, & vnde fluxerit. art. 20. n. 37. contra quem & quare competat. n. 38 an tunc, cum iudex reum illegitimè torquet? n. 39. quâ pœnâ talis afficiendus. n. 40. 41. 42.

T.

Taciturnitatis & insensibilitatis maleficio quomodo occurrendum? art. 58. n. 81. cum seqq.
Territio an propriè sit species torturæ. art. 58. n. 34. cur torturæ æquiparetur. n. 35.
A Testimonio repelluntur. art. 66. n. 13. inimici capitales. n. 14. qui ipsimet de eo crimine sunt suspecti. n. 16. subornati ab alijs, & qui conspirant de testimonio contra aliquem dicendo. n. 17. qui se spontè obtulerunt. n. 18. qui minis, vel alia ratione coacti sunt, vt testimonium dicerent. n. 19. qui reo sanguine, vel alia affectione sunt coniuncti. n. 20. vt consanguinei. n. 21. coniuges. n. 22. amici magni, aduocati, procuratores, ij, quibus reus seruitium, vel beneficium præstitit, & qui affectionem erga reum habent. n. 23.
Testimonio vnius nulla causa decidi potest. art. 67. n. 5. 6.
Testimoniorum disputationem vltra triplicas extendere non licet. art. 73. n. 45. ratio. n. 46. 47.

Testi-

Testis domesticus reprobatur. art. 66. n. 24. 25. nisi utrique parti aequaliter sit coniunctus. n 26. aut de domesticis & occultis delictis audiatur. n. 27. aut ad defensionem producatur. n. 28.

Testis inhabilis est pauper. art. 66. n. 29. nisi sit honesta persona. n. 30. aut iudex ex officio procedat. n. 31.

Testis de auditu alieno deponens fidem non facit, & quare. art. 65. n. 5. 6. & seqq. an verò de auditu proprio. n. 9.

Testis unicus semiplenam probationem facit. & sufficit ad torturam, si de ipso delicto, vel capite delicti, vel de actu immediato testetur. art. 23. n. 11. 12. 13. & sit omni exceptione maior. n. 14. dilucidè & clarè proponat. n. 15. 17. rationem dicti per sensum corporeum reddat, & non adsint coniectura contraria pro reo. n. 16. non sufficit autem, si non immediatè de ipso delicto, sed de actu delictum proximè inferente deponat. n. 18. 19. 20. 21. 22. art. 30. n. 1. & seqq.

Testis idoneus, & omni exceptione maior quis sit. art. 30. n. 7. 8.

Testis titubans reprobatur. art. 71. n. 8.

Testis dicti sui rationem reddere debet. art. 65. n. 4.

Testis pretio redemptus, vel corruptus reprobatur, & quare. art. 64. n. 1. 2. 3. & criminaliter punitur. n. 4.

Testes singulares non probant. art. 23. n. 6. & art. 67. n 7.

Testes comparere nolentes inuiti sunt cogendi. art. 72. n. 14. etiam excepti. n. 17.

Testes aliena iurisdictionis per literas mutuè compassiuas euocantur. art. 72. n. 19. 20. 21. 22.

Testes ignoti an reprobentur? art. 63. n. 1. 2. cum seqq.

Testes debent deponere de sua propria scientia. art. 65. n. 1. de veritate facti per sensum corporeum percepta. n. 2. 3.

Testes (ut reus conuincatur) debent esse idonei, & omni exceptione maiores. art. 66 n. 1. 2. 3. 4.

Testes esse non possunt infames. art. 66. n. 11.

Tormenta apud Romanos qua usitata fuerint, & qua apud nos. art. 58. n. 20. & seqq.

Tormenta ultra tertiam vicem non debent repeti. art. 58. n. 75. 76. nisi noua urgentissima indicia se prodant. n. 77. aut apud reum charta magica reperiantur. n. 78.

Tormentis solitis non inusitatis utendum est. art. 58. n. 19.

Torquendi modus in quibus consistat? art. 58. n. 18.

Torquens reum sine legitimis indicijs, tenetur de iniuria, dolore, sumptibus, & damnis. art. 20. n. 28. etiamsi postea apparuerit eum nocentem esse. n. 29. 30. 31.

Torquens aliquem ob indicia à magis petita iniuriarum tenetur. art. 21. num. 16.

Torquens immodicè, quam pœnam incurrat. art.58. n.15. 16.
Torqueri nemo debet, nisi legitima exceptionum rei cognitio præcesserit. art. 13. n. 9.
Si Torquet iudex reum illegitimè, an tunc syndicatus remedium competat. art. 20. n. 39. qua pœna talis afficiendus. n. 40. 41. 42.
Tortura diebus festis (nisi in atrocibus) non est inferenda. art. 58. n. 43. neque post cibum sumptum. n. 44.
Tortura quamdiu continuanda? art. 58. n. 47.
Tortura adhiberi non potest, nisi in subsidium, deficientibus alijs probationibus. art. 16. n. 53. art. 8. art. 45. n. 3. art. 46. n. 4.
Tortura quibus præsentibus inferenda, & ad quid attendendum. art. 47. n. 49. cur in præsentia iudicis. n. 50. & actuarij. n. 51.
Tortura adhiberi debet secundum qualitatem indiciorum, & conditionem personæ, art. 58. n. 1. pro arbitrio iudicis. n. 2. 3. 4. 6.
Tortura ita temperari debet, vt reus saluus sit, vel innocentiæ, vel supplicio. art. 58. n. 23.
Tortura quam sit res grauis. art. 6. n. 27.
Tortura non habet locum, nisi in delictis grauioribus, trahentibus post se pœnam corporis afflictiuam. art. 6. n. 28. 29.
Tortura an nunquam locum habeat deficientibus alijs indicijs? art. 6. n. 30.
Tortura inferri non potest, nisi constet de corpore delicti. art. 6. n. 32. exempla. n. 33. limitatio. n. 34. & 37.
Tortura non in mero iudicum arbitrio consistit. art. 8. n. 3.
Tortura omittenda, si reus fateatur delictum, & excusationes vel defensiones idoneas alleget, & quare? art. 13. n. 6. 8. & 9.
Tortura adhibetur, vt veritas eruatur. art. 13. n. 7.
Tortura repeti potest, si reus non sufficienter tortus est. art. 58. n. 59.
Tortura, à quo ex pluribus reis incipienda? art. 58. n. 29.
Torturæ gradus quot sint, & quando adhibendi? artic. 58. num. 30. & seqq.
Torturæ an accusator præsens esse debeat? art. 45. n. 26. 34. 35.
Torturæ locus est, si causa suspicionis euidentior sit, quàm defensionis. art. 28. n. 3.
Torturam quæ præcedere debeant. art. 45. n. 1. cum seqq. cur admonitio, & comminatio. artic. 46. num. 1. 3. 4. 5. cur omnia prius experiunda. num. 2.
Ad Torturam quid amplius requiratur, quàm ad capturam? artic. 6. num. 20.
Ad Torturam requiruntur legitima, & sufficientia indicia. artic. 6. num. 24.
Ad Torturam non deueniendum absque præcedentibus indicijs, & quare? art. 20. n. 2. 3.

In Tortura vna quoties reus eleuandus? art. 58. n. 50. vel squassandus. num. 52.

A Tortura non est incipiendum. art. 6. n. 25. ne quidem in grauissimis delictis. n. 26.

Tortura omittenda, si causa defensionis efficaciores sint, quàm suspicionis. art. 28. n. 4.

Tortura plures distinctæ non debent vno die inferri. art. 58. n. 46.

Transigens vel fidem suam interponens, quando auxilij furi præstiti suspectus fiat? art. 40. n. 24. 26. 28. 22. 23.

Trepidatio quid operetur? art. 25. n. 51.

Tribunal Christi cur in iudicijs reperiatur depictum? art. 83. n. 8.

V.

Veneficij indicium censetur, si is qui venenum emit, vel præparauit, à magistratu interrogatus, negauerit & conuictus fuerit. art. 37. n. 13. 14.

Venenum emens vel tractans si inimicus fuit extincti, vel ex morte illius commodum expectauit. vel aliàs leuis vita est, suspectus de veneficio redditur. ibid. n. 3. 4. n. 6. 7. ita vt sub tormentis interrogari possit, in quem vsum adhibuerit. n. 8. nisi docere possit, se ad res minimè malas vsum, & vsurum fuisse. num. 9. vel adsint alia indicia pro ipso, num. 10. 11. 12.

Veneno occidere plus est quam gladio, & quare. art. 37. n. 1. 2.

Venena vendentes quomodo puniantur, & quando excusentur? artic. 37. num. 18.

Venena vendere non licet absque magistratus præscitu, artic. 37. num. 16. 17.

Venerabile sacramentum an condemnato largiendum? art. 79. n. 11. 12. 13. an vltimo die executionis? n. 14.

Verborum prior, rerum potior est interpretatio, art. 19. n. 1.

Verborum cortici non præcisè inhærendum. art. 95. n. 4.

Si Verificentur circumstantiæ, tunc colligitur delictum commissum fuisse. art. 54. n. 4. 5.

Veritas circumstantiarum delicti confessati quomodo inquirenda, & quare? art. 54. n. 1. 2. 3.

Contra Vicinos præsumitur, si delictum in vicinia commissum. artic. 25. num. 18. id tamen solùm non sufficit ad torturam, absque alijs adminiculis, num. 15. 17. 19. & facilè elidi potest per contrarias coniecturas, num. 20. 25.

Victus non tenetur ad expensas, si iustam causam litigandi (vel etiam accusandi) habuit. art. 12. n. 28.

Virginitas corrupta an ex inspectione deprehendi possit? art. 35. n. 9. 10.

Virginitatis corrupta an sit signum lac in mammis puellæ existens? artic. 36 n. 2.

Visio in loco delicti cur sola non sufficiat, & quæ alia adminicula requirat? art. 33. n. 7. 8. 9.

Visus cum armis, vel vestibus cruentatis, tempore commissi clandestini homicidij, in loco delicti, an præbeat indicium? art. 33. n. 1. & seqq.

Visus exire domum, in qua furtum factum, cum fasciculo sub veste præbet indicium, art. 43. n. 14. 15.

Vnum quandoque prævalet pluribus, art. 20. n. 10. ergo vnum indicium aliquando ad torturam sufficit. n. 11. etiam remotum. n. 12. 13.

Vrpheda seu cautio exultionis: Vrpheda formula. art. 20. n. 45.

Vrpheda non excludit viam iuris, sed tantum facti, art. 20. n. 46. & ne tunc quidem, si reus cavit, se nulla ratione velle vindictam quærere. n. 47. 48. ratio. n. 49. 50.

In Vsu quæ non sunt, attendenda non sunt, art. 100. n. 5.

Vtilitas iudiciorum, & iudicum criminalium, in præfat. n. 47.

FINIS.

BAYERISCHE STAATS-BIBLIOTHEK MUENCHEN

Manz, Caspar,

Commentarius rationalis in Carolinam sanctionem criminalem, vulgo die Halß gerichts-Ordnung dictam

Ingolstadium 1650

4 Crim. 83
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10348737-2
VD17 12:624211U